SC.SUP. 6.P1.S.

ANUELE · EBORENSE
A

Ex libris Alberti Cherosini
Viterbiensis
Anno Jub. 1725.

Alberti Cherofini Viterbienſ

# Rodolphi Agri colæ Phriſii, de inuentione Dia-lectica libri tres, cum ſcho-liis Ioannis Matthæi Phriſſemii.

ACCESSIT HIS EIVSDEM RO-
*dolphi perquàm elegans, doctaq́; (ſicut ſunt illius viri omnia) ad Iacobum Barbirium epiſtola.*

Summa cura, optima fide nunc demum recognita omnia.




LVGDVNI,
Apud hæredes Simonis Vincentij
M. D. XXXIX.

HVMANISSIMO AC INTEGERRI-
*mo viro domino Matthiæ Vuagener, ædis D. An-
tonij apud Coloniam Agrippinam præceptori di-
gniſsimo, Ioannes Matthæus Phriſſemius* S. D.

SENTIO *non defuturos mihi, vir
humaniſsime, qui quod dici à Græ-
cis ſolet, nihil referre, ſis ne planè
inimicus an importune beneuolus,
id in neminem perinde atq; in me
hoc tempore cenſeãt dici poſſe: neq;
id fortaſſe immerito. Impulit enim huc me amor erga te
meus, impulit ſingularis quædã tui beneuolentia, vt quæ
Scholia per æſtatem hãc ſucciſiuis (vt aiunt) operis nõ tã
ſcripſi quàm effudi in dialectica Rodolphi Agricolæ, ea
& dedicarem tibi, & ſub tuo nomine, ſi quam forſan ea
re vtilitatem ſtudioſis afferre poſſem, ſinerem in vulgum
prodire. Sed enim quis non videat, quàm hic importu-
nus ſit amor? quàm nõ apta tempori beneuolentia? Solẽt
alij, ſi cui ſuas vigilias nũcupant, ea id facere de cauſa, vt
illius, cui eas inſcribunt, nomen reddant illuſtrius poſte-
riſq; cõmendent: ego, tantum abeſt vt ſplendorẽ aliquem
acceſſurum hinc credã nomini tuo, vt verear etiã, ne quid
exiſtimationi decedat, ne ve minore alij poſthac tui ad-
miratione teneãtur, quòd nõ magis te ſuſpexerim ego,
quàm vt tã vile hoc munuſculũ vel inuito obtruderẽ: haud
ſecus, atq; ruſtici quidã ineptiores ſolẽt, qui cum egregie
à ſe honoratum volunt hoſpitem aliquẽ, ita illũ licet inui
tum deprecantemq́;, pyris, malis, alijſq; id genus nugis à
ſe oneratũ dimittunt, vt nec ponderi ferendo vllo modo
ſit par, & omnino non habere hoſpitem ruri malit, quàm
eiuſmodi ſubinde xenijs honorari. Et præſtabat id quidẽ.*

quanquã & in accipiendo liberalitatem quandam ineſſe aiunt, putantq́; non minus regium eſſe, parua interim ab amicis tenuioribus exporrecta, hilariq́; fronte cũ offerũtur accipere, quàm vel maxima dare. Ita laudari ſolet magnus ille Perſarum rex Artaxerxes, cognomẽto Memor: qui cũ ruſticus ei, neſcio quis, aquã vtraq; manu è proximo hauſtã flumine obtuliſſet, benigno illã iucundoq́; vultu accepit: & de ruſtico altero, ingens ſibi malum porrigenti, per Solem (inquit) hic vir is mihi eſſe videtur, qui ex parua etiã vrbe magnã poſſit efficere: animũ videlicet eius à quo dabatur magis ſpectandum ratus, quàm quod offerebatur munus. Quod ego vt & te facturũ nunc ſperem, tua iſthæc toties iam cognita mihi ſpẽ facit humanitas: cui vni aſſignes licet, quicquid à me peccatum hic eſt. quãdo ſola ea hos nobis animos fecit, vt quò affectus vocabat, quò inclinabat voluntas, ab eo ne nos pudor aliqs reuocaret. Hoc ſi intellexero non fuiſſe vſquequaque ingratũ tibi, cauſa erit profectò, quamobrẽ ipſe mihi debeã non immerito gratulari: vt cui tanto ea res futura ſit gratior, tanto maius gaudium allatura, quanto minus, vllis meis in te meritis datum id erit. Neque abs te petiturus ſum aliud prætera quicquam, niſi vt aliis per hoc cõmendatioria eſſe hæc ſinas, quòd non ſint excluſa à te, agiq́; gratias tibi, ſi quis forſan exiſtet è multis vnus, qui non omnem planè operam his legendis perdidiſſe ſe arbitretur. Nam patrocinio cuiuſquam vel ob id mihi credo non fore opus, quòd hæc mihi etiam ipſi humiliora videntur, quàm aduerſus quæ vires ſuas experiri velit aliquis ex albo eruditorum. quocirca ſatis (vt dixi) erit ſub tectum recipi: ſatis erit, munus hoc leuidenſe non excludi à te. Et qua id fronte excludas, pro quo etiam eſt cur habeas grãtiam, quoquo tandem tu id animo complectare? Placebit

enim, eo ipſo gratia habenda erit quod placeat. Non placebit: nihilominus erit quamobrem mihi habeas gratiam tu, cui ſemel ego documento futurus ſim importunitate hac mea, obeſſe etiam ſolere nonnunquam humanitatem nimiam: atq; proinde ita eſſe hanc temperandam in poſterum, vt ne alijs quoq; idoneus videare, quem & ipſi, meũ exemplũ ſecuti, eiuſmodi xeniolis nõ tam honorẽt quàm onerent. Vale, Coloniæ. Anno .1523. Nouis Auguſti.

## IDEM LECTORI.

INter omnia ea quæ in hunc diẽ præter opinionem mihi accidẽre, cãdidiſſime lector, nihil tam vel inſperatũ vel nouũ fuit, quàm quod vbi ad calcẽ iam perducti à typographis eſſent hi libri, neq; quicquã ſupereſſet adhuc, niſi vt index rerũ inſigniorũ cũ breui totius operis argumento præponeretur, tum repẽte ad me allatũ eſt, eſſe neſcio quẽ in hac vrbe, qui demirari ſe dicat, quid ſit quãobrẽ tãti hodie à non paucis fiat Rodolphus Agricola, quãdo nihil is tradat tribus hiſce libris tam lõgis, quod nõ ſuccinctius dilucidiusq; in quinto tractatu ſummularũ ſuarũ doceat Petrus Hiſpanus: aut certe quod nõ facile intellecturus ſit is, qui illius probe teneat ſummulas. Quo ego dicto nihil neq; impudẽtius neq; imperitius audiui vnquam. Et tamen aiunt hæc iſtũ, mirũ qua grauitate, quo ſupercilio, inter rudẽ illã puerorũ quos doceat turbã: qui & doctiorẽ eum credant eſſe, quàm qui ſua ipſe opinione ijs in rebus fallatur, & meliorẽ virũ, quàm qui propter quæſtũ aliquẽ ſuũ, aliud loquatur quàm ſentiat: tanquã ex tripode quoſdam, cotidie penè detonare ſolere: ea maxime occaſione fretũ, quòd ij apud quos iſta audet, neq; intelligant fraudem adhuc, & à ſe ita inſtituãtur, vt cõfidat etiã nũquã eſſe intellecturos. Qui ſit, nondũ licuit reſciſcere ex ijs.

qui hæc ad me detulerũt. Quocirca nihil eſt quod in præſentia à me dici poßit de homine, vt qui albus ille an ater ſit planè neſciã. De iudicio dicã, & quidẽ eò audentius, quòd & ipſi olim plus ſatis in Petro iſto Hiſpanenſi atriti ſumus, lõge meliu s conſulturi ſtudijs noſtris, ſi illo longũ valere iuſſo, initio ad meliores literas conuolaſſemus. Nunc quod factũ eſt ſemel, id infectũ vt ſit, fieri nõ poteſt: & in hoc certe iuuentuti profuturus eſt error hic meus: quod & credere tutius licet experto, & perquàm iucundũ eſſe id ſolet, ſapere malo alieno, & alterius (quod aiunt) frui inſania. Quid eſt, inquit Ariſtarchus hic noſter, quamobrẽ tãti hodie ſit à quibuſdã Rodolphus? cur hunc Petro Hiſpano præferimus? quid noui docet, quid tradit, quod non citra negociũ intelligat is, qui audierit ſummulas Petri Hiſpani? Quæ cũ apud rudes adhuc auditores deblacterat homo impudens, parũ candide ſentire mihi videtur de ingenijs ac profectu diſcipulorũ ſuorum: quos ſi quando eò euaſuros ſperaret, vt diſcernere atque dijudicare poſſent ea, quæ nunc à præceptoribus citra iudiciũ audiunt, nõ tam amens eſſet profecto, vt tã verſute, tam fraudulenter, à melioribus eos ſtudijs auocaret. Nã quid ego primũ hic mirer? quid cogitẽ? quid dicã? Tu'ne, ô os impudens, nihil eſſe ais in Rodolpho Agricola, cui intelligendo ſatis non ſit Petrus Hiſpanus? Tu homini longe doctißimo, cui haud ſcias, ecquid vnquam tulerit Germania parẽ, certe maiorẽ eloquentia atq; eruditione non tulit: ei tu cõparare vlla ex parte audes hominẽ barbarum, indoctũ, & quo ſub ſole non eſt alius ſcriptor ineptior? Pudet me lector, pudet, in tam impudenti fraude detegenda verſari diu. Sed quando hoc tempore ita Pythagoriſſare coguntur boni ſtudioſiq; adoleſcentes, vt quicquid vel per ſomnium excidit ſophis iſtis, eis nefas ſit

verbo vllo obſtrepere, ſatq; rationis ſit, iſtos ita pronunciaſſe: idcirco vel inuito mihi hæc de re dicenda ſunt, alia quæ non in vniuerſum quidē, nimis enim quàm longum hoc foret: ſed de cauſa tantū iſta Hiſpanienſi, hoc eſt, de impudentia hominis iſtius, qui in hac vrbe, hoc ſeculo, tā fraudulēter, adoleſcentes ſtudioſos ac probos, ab optimi authoris lectione conatur auertere. Quem ego hominem cū hæc agit, tale quiddā animo agitare exiſtimo, quale pictorem olim neſcio quē machinatū fuiſſe ſcribit Plutarchus. Is cū Gallos aliquot ſanequàm infeliciter pinxiſſet, puerū aſſidere tabulæ iuſſit, qui veros gallos quàmlōgiſſime inde abigeret, ne ſi illi propius acceſſiſſent, tum ineptitudo gallorū ſuorū facilius deprehēdi à quouis poſſet, ita etiā nunc iſte, cū ipſe aliud nihil, niſi nugaciſſimas nugas quaſdā ex ſuo iſto Petro Hiſpano pueris inculcet cotidie, mira quadā arte, miris impoſturis id agit, ne quid vnquam veræ ſolidæq; eruditionis auribus illorū admoueatur, quam ſi contingat illis guſtare ſemel; actum fuerit de regno ipſius. Hinc illæ lachrymæ, hæc illa eſt Helena, pro qua iſte, tanquā pro aris ac focis, extrema omnia ſibi ferenda putat. Timet paruis logicalibus, timet copulatis: præter quæ cū ipſe nihil in vita literarum attigerit, miſere timet, ne quēadmodū olim inuentis frugibus glādes negligi contemniq; cœpere: ita nunc ipſe vera eruditione accedente, cū ſua iſtac merce contemptui habeatur. Alioqui quis tam cæcus quin videat, quàm ne matulam quidē porrigere Rodolpho poſſit Petrus Hiſpanus? quo ego neq; ineptiorē neq; magis indoctū ſcriptorē vllū extitiſſe puto ab orbe condito, tantū abeſt vt hunc conferēdum vlla ex parte putē Rodolpho. Nam vt incipiamus à fine, & contra hominem præpoſterum, præpoſtero item ordine ipſi vtamur: quid tandem ad intelligentiā eorū,

*quæ toto tertio libro ab Rodolpho traduntur, facient ſummulæ iſtæ Hiſpanienſes? Quod in his verbum ineſt de mouendis affectibus? Quid de oblectandis auribus auditorum, quid de diſpoſitione habent? quid de breuitate & copia? quid de alijs multis? quæ cũ vel in primis omnia neceſſaria ſint dialectico, non ei, cui vulgus hoc nomẽ hodie falſò tribuere ſolet, qui aliud nihil, quàm in vmbra nugatur, diſputatq; cotidie, ecquid tãtũ ſeptẽ ſint artes mechanicæ, ecquid adiectiua appellent, ecquid terminus in propoſitione poſitus, poßit ſupponere perſonaliter. Nũ ſint hæc vera ſophiſmata, omne animal fuit in arca Noe, ego bis fui, hic & Romæ venditur piper, totũ quod eſt in mundo eſt in oculo meo. Ecquid inter axiomata iſta interſit: bis comedi offam, & offam bis comedi: bis audiui miſſam, & miſſam bis audiui: aliaq; id genus penè innumera, quibus cũ neq; eruditio neq; vtilitas inſit vlla, ita tamen hoc tẽpore data opera hiſce nugis miſera obruitur adoleſcentia, vt non modo id perdat tẽpus quo hæc ſummo cum labore perdiſcit: ſed in poſterum quoq;, alijs, hoc eſt melioribus literis inepta reddatur. Niſi forte deſipiuiſſe planè exiſtimamus laudatißimũ illũ inter muſicæ profeſſores Timotheum: qui duplici docere mercede eos ſolebat, quos alius prior inſtituiſſet, quàm qui nullo antè ſe præceptore vſi fuiſſent: propterea quòd vt color ille primus, candidæ adhuc lanæ imbibitus, elui ita nunquã poteſt, quin aliquod in ea ſui relinquat veſtigium: ita quæ rudibus adhuc animis inſtillantur, ſiue optima ea ſiue peßima ſint, altius figere ibi radices ſolent, quàm vt facile inde poßint reuelli, & tamen his reuulſis eſt opus, priuſquam meliora inſeri queant. Ergo vt dicere inſtitueram, ſi cui decretum eſt conſeneſcere in leptologijs iſtis, ei ego nõ video quorſum magnopere opus ſit ijs, quæ. 3. de*

inuẽtione libro docet Rodolphus. Sat eſt, ſi perfricta fronte ſit egregie impudẽs, ſi fortiter clamet, ſi omnia ſurſum ac deorſum verti malit, q̃ concedere aliquid aduerſario. Quæ tamen miror cur tam magno hodie emant multi, cum vel gratis diſci poßint à paulo impudentioribus muliercul1s. At dialectico, hoc eſt ei, qui probabili accurataq; de re quauis vti velit oratione, & in vmbra ac ſchola diſcere ea, quæ poſtea de ciuilibus cauſis diſſerenti aliquem allatura ſint fructum: ei ego (quemadmodum dicere cœperã) tam eſſe hæc neceſſaria duco, vt nihil magis: quippe ſine quorum acceßione, parum admodum profutura ei ſint omnia ea, quæcunq; vel de argumentis inueniendis, vel de vſu argumentorum traduntur. Et quod de his rebus verbum facit Petrus Hiſpanus? Vbi horum illi in mẽtem venit? quid de his affert? quid docet? quid monet? Quid de motione affectuum præcipit? quid de oblectatione? quid, quomodo allocanda diſponendaq; oratio? Quæ omnia cũ non erudite minus q̃ copioſe ac elegãter explanet Rodolphus, qua tu frõte illud mihi dices homo impudentißime, nihil eſſe in libris viri huius, quod in ſummulis nõ doceat Petrus Hiſpanus? nihil eſſe, quod non facile poßit aſſequi is, qui præclaras iſtas audierit ſummulas? Quid tu? ecquid vnquã legiſti libros viri huius, an nõ legiſti? Si legiſti, quid ſceleratius, quid cruce dignius, q̃ q ſciẽs volẽsq; perdis eos, quorũ tibi cura mãdata eſt, nõ vt perdãtur à te, ſed vt erudiantur? niſi fortè hoc perdere illos non eſt, ab ineũte eos ætate inſtituere peßime: & cũ aliud poßis nihil, eiuſmodi eos offucijs, mẽdacijs, ne dicam dolis, ab vtilißimis optimi authoris libris abducere. Sin autẽ non legiſti, quid audacius, quid impudentius excogitari te poteſt homo leuißime, qui tã temere, tã impudenter, ea de re apud pueros ferre auſis ſententiã, quæ cuiuſ-

modi ſit,neq; noſti adhuc ipſe,neq; vnquã intellecturũ te ſperas? Qui ſperes enim? quem vnũ eſſe aiũt de grege iſtorum,qui nec ipſi per inertiam ſuam aſpirare ad meliora poſſunt:& ſi quem alium non omnino infeliciter conari id vident,ei id quod vnũ poſſunt egregie inuidẽt:exiſtimantq; memorabile aliquod à ſe facinus edi, ſi in hũc dicta dicãt:ſi apud pueros,apud ſimiles ſui,in cõuiuijs præſertim,obliquis interim orationibus hũc perſtringãt ac mordeãt. Sed bene habet,ꝙ & pueris tandẽ aliquãdo innoteſcũt artes imposturæq; iſtæ: à quibus tũ te audio irrideri maxime,cũ tu minime ridicule in Rodolphũ velitari tibi videris:quanto melius conſulturus famæ atq; exiſtimationi tuæ,ſi non toties inſulſiſſimis iſtis iocis tuis ea proſcinderes ſtudia,quorũ idcirco te ſuggillatorem eſſe nouerunt omnes,quòd tu ea aſſequi nequeas.haud ſecus,atq; vulpes olim neſcio quæ,pyra ea vituperaſſe dicitur, quæ ex arbore decutere ipſa nõ poſſet. Libro ſecũdo quatuor in ſumma ſunt quæ docet Rodolphus,ꝗd dialectica,& qui eius ſit finis,quæ ſit ei ſubiecta materia,quo inſtrumento vtatur,deniq; qua ratione ex locis parãda ſit diſſerẽdi facultas.quorũ omniũ,quãtulum eſt,quod vel extremis (vt aiunt) digitis attigerit Petrus Hiſpanus? Finit is dialecticen quidẽ,ſed ita finit,vt ſi tu dicas,homo eſt animans animantiũ,creatura creaturarũ,in cæteras creaturas omnes dominiũ ac imperiũ habens.quod qui dixerit,verum dixerit fortaſſe,ſed tamen inepte finierit.niſi forſitan ſat eſt,conuerti vtcunq; finitionem cum eo quod definitur, etiamſi naturam eius parum commode explicet. Et quid ſi huc addas ſomnia copulatorũ? Scientiam (inquiunt) ſcientiarũ dialecticã vocat,non ratione dignitatis,ſed miniſterij. Quid? an non etiam dignitate ea ars cæteras præſtat, quã iccirco apud Platonem Socrates omnibus præ

*fert, quòd ſit domina & regina quædam artium omniũ? Verum miſſa faciamus hæc, quæq; alia circa hanc finitionem penè innumera philoſophantur, hoc eſt nugantur iſti, quæ cũ ſint tam multa vt vel mille plauſtris vehi vix poſſint, nullam tamen afferunt vtilitatem diſcentibus, & omnino aliud nihil, quàm tempus, rem vnam omniũ precioſiſsimam, perdunt. Certe nihilo plus momenti afferũt ad intelligenda ea, quæ de finitione dialecticæ tradit Rodolphus, quàm ſi in clara die, fumoſam aliquã facẽ, lucis cauſa accẽdas. Et adhuc tu illud nobis obgannis homo impudentiſsime, nihil eſſe ſcriptum à viro hoc, quod non æque doceat in ſummulis Petrus Hiſpanus? Aut quid tandem is habet, cui tantillũ ſit cõmertij cũ ijs, quæ de fine ac officio dialecticæ ab Rodolpho traduntur? Quid de quæſtione: de ſtatu, & iſtorũ diuerſitate ac diſcrimine docet? Quæ cũ non modo vtilia, ſed & neceſſaria in primis ſint diſſerenti, quid quæſo de ijs omnibus habẽt tuæ iſtæ præclaræ ſummulæ? Nam de expoſitione, quid hoc loco dici poſsit non video, quãdo huius ne per ſomniũ quidem vnquam in mentẽ venit ſummulario iſti, tãtũ abeſt vt quid recti de ea præceperit. Tradit de argumentatione quædã, ſed ita tradit, vt nec ipſe ea quæ ex Ariſtotelis Boëthijq; libris ſublegit, ſatis intellexiſſe videatur, nedum ea doceat alios. Et poterant tamen minore cũ diſpendio legi iſta: poterat, quanquã exiguus, tamen aliquis inde fructus ſperari: niſi ineptiſsimis iſtis cõmentarijs vndiq; cõſpurcata ſic forẽt, vt facilius multo fuerit reſtitantẽ tergiuerſantemq; educere ab inferis cerberũ, quàm vt hinc ſibi vtilitatẽ aliquã expiſcari poſsit inuẽtus. Et nos tamen adeò etiamnum miramur nenias iſtas, vt cõtinuo nobis ruitura videatur facultas artiũ, niſi eiuſmodi nos eã columnis fulciamus. Id quod æque erat timendũ nobis, vt ſic*

cælum aliquis olim collapſurum fuiſſe credat, nihi hume ros illi ſuos ſuppoſuiſſent Atlas & Hercules. Quorum alter etiam laudari ſolet, quòd ſtabula neſcio quæ fimo eo repurgaſſe dicatur, quem millia aliquot boum per cõplures annos feciſſent: quãto itẽ laudandus magis, ſi & hæc ſtabula repurgare ſic queat, vt ſi quid forſan non vſquequaq; inutile deliteſcat ſub fimo tam alto, id quãdoq; ſe exerat, in apertumq; referatur. Quæ ſequuntur apud Rodolphũ, de ſolutionibus argumẽtationũ, de orationis partibus, de vſu locorũ: de ijs omnibus mirũ quoddã agũt ſilentiũ iſtæ pluſquàm ſummatæ ſummulæ, & quidẽ adeò firmũ, vt vel ranæ illæ Seriphiæ citius verba facturæ videantur, quàm de his rebus vllũ illis verbũ expreſſeris. Adeò inueniri nihil illic quod proſit poteſt, adeò nugis occupata ſunt omnia. Qua de re vt ne plura in præſenti dicenda putem, illud mihi in cauſa eſt, quòd verear, ne & hæc multa nimium videantur in re perſpicua. Sed ignoſcere par eſt, quando iuuentuti ſcribuntur hæc, cui nimis quàm facile imponi ſolet præſtigijs iſtis, præſertim, cum Rodolphum ea nondum attigerit, atque tantos ei iampridem fumos tenebraſq; offuderit iſte, vt caligantibus adhuc oculis, lucem etiam dum ferre vix queat: haud ſecus, ac ſi nunc primum, è ſpecu illo Platonico in hunc noſtrum orbem egrediatur. In quo qui ab ineunte vſque ætate vincti ſederunt, eos aiunt, vmbris illis quas ex aduerſo contuẽtur, ita aſſuetos eſſe, vt omnino vllas alias res eſſe negent: neq; vllo modo perſuaderi ſibi id patiantur, vt à quoquam in meliorẽ aliquẽ locum velint inde abduci. Porrò ſi quem tamen eorũ quoquo modo inde abduci cõtingat, eũ principio ægre admodũ ferre ſolẽ hunc noſtrũ: neq; aliud quàm incuſare eos,

qui ex felicitate tanta, in tantas ſe miſerias coniecerint. Sed paulatim tamen id ei minus ac minus graue eſſe, adeoq; in dies ſingulos dolorē hūc minui, vt & ipſe tandē aliquando damnet ſententiam ſuam, nihilq; minus, quàm in priſtinū illum vitæ ſtatū velit reuerti. Qui autē in ſpe cu illo degant adhuc, ab eis ita defleri caſum huius, quaſi non modo meliora adeptus non ſit, ſed in ſummas etiā calamitates & miſerias præcipitatus. Quo modo nunc etiā vociferatur iſte, perditum iri iuuentutem, ſi quis illam ab inanibus illis vmbris ipſius, ad res ipſas velit educere, ſi quis ad meliora hortetur. Sed fallet eū (ſcio) opinio ſua: quoſq; hactenus in ſpecu iſto ſuo miris quibuſdam pedicis vinctos detinuit, iĳ ſi volent conſultum ſibi, exitū inde quærēt: præoptabuntq; in clariſſima luce, inter res ipſas degere: quàm in iſtis plus quàm Cimmeriĳs tenebris, inter vmbras modo ac ſimulachra rerum verſari. Sed de his alibi. Interim ad id, quod huius proprie inſtituti eſt, reuertamur. Vbi vt initio præteream illud, quàm multa de origine atq; vtilitate locorum, de finiendi legibus, de partiū cauſarumq; natura, de adiacentibus, actibus, connexis, loco, tempore, aliĳsq; locis dialecticis habeat primo libro Rodolphus, quorum vel nullam prorſus mentionem facit Petrus iſte Hiſpanus, vel ſic facit, vt omnino non dididiciſſe, quàm quo ille modo docet didiciſſe præſtiterit: quid quòd tam referta ſunt apud hunc omnia, poëtarum, hiſtoricorum, oratorumq; exemplis, vt nec pagina vlla ſit, quæ non ex optimis quibusq; authoribus abditiſſimos difficillimoſq; locos adducat? Quoties nunc Vergilĳ, nunc Ciceronis, nunc alterius cuiuſquam locos integros affert, & quid illic artis, quid ingenĳ inſit demonſtrat? Quoties oratorum in orationibus conſilia aperit? Quoties vel totarum orationum, vel partium ſingularū

artificium velut digito indicat, oculisq́; contuẽdum ex-
ponit? Quoties interim exempla præceptis, interim rur-
ſus præcepta exemplis accommodat? Quanta vbiq́; cura
id agit, vt ita ex præceptis intelligamus virtutes autho-
rum, vt illorum rurſus veſtigia inſiſtentes, ipſi in ſimili-
bus rebus cõmode præceptis iiſdem vtamur? Quàm acu-
rate, quàm diſerte hoc docet, qua ratione, quaq́; via id cõ-
ſequi liceat, vt ex tempore etiam & quãuis ſubito, de re
quauis, probabili vti oratione poſſimus? Quarum rerum
ſi quis petendum ſibi quicquam putat ex Petro Hiſpano,
is eadem opera, & ab aſino lanam, & è pumice aquã pe-
tat. Vt deſinat aliquando tam thraſonice loqui iſte: deſi-
nat iniuriari Rodolpho, cui iniuriam facit, quoties ei con
ferendum vlla ex parte cenſet hominem indoctiſſimum,
ex quo illud modo refert iuuentus, vt cum fuerit egreſſa
ſcholam, tum quid præter barbariſmos ac ſolœciſmos in-
de abſtulerit, neſciat. Quanquam non deſinet ille quidẽ:
& quo deſinet minus, hoc & maiorem ignominiam ſibi,
& Rodolpho maiorem pariet gloriam: quando & pue-
ris perſuaſum iam eſt, non poſſe illud non eſſe optimum,
à quo iſte, partim inuidia ſtimulante, partim ne quid ſuo
decedat quæſtui, rudem adhuc iuuentutem quoquo modo
auocare conetur. Quamobrem pergat licet quà cœpit ho-
mo candidus, & ſalſiſſimis ſalibus iſtis ludat quoties li-
bet in hominem diſſimillimum ſui, hoc eſt, eloquentiſſi-
mum, ſiquidem ita demum certo ſciet iuuentus maxime
dignum eſſe lectione Rodolphum, ſi iſti cũ minime proba
ri intelligat. Tu mihi illud expende lector, quantum fi-
dei talibus hominibus ſit habendum in rebus aliis, qui-
bus ad faciendã hæc, ſacra illa auri fames eſt in cauſa vt
velint: impudentia, vt auſint.

# ARGVMENTVM OPERIS.

Reliquum eſt, vt de argumēto operis pauca dicamus, Nam de vtilitate vel ob hoc mihi nihil dicendũ eſt in præſentia, quòd certum illud eſſe ſciam apud ſtudioſos omnes, non poſſe illud nõ vtiliſſimũ eſſe, à quo iſti bona ingenia tāto pere ſtudeāt auocare. Fiet autem id non incommode, ſi quædam paulò altius repetendo, à vulgatiſſima illa artium diuiſione incipiamus.

Artium tria genera.

¶ Artium igitur (inquiunt) tria in vniuerſum ſunt genera. ſiquidem aliæ earũ ad cognoſcendas rerũ naturas, aliæ ad vitam formandam, aliæ ad artificium orationis dicendiq; regulas pertinent. Primi generis quæ ſunt, eæ à Græcis phyſicæ, à Latinis naturales dicuntur. Quæ ſecundi, has illi ethicas, nos morales vocamus. quæ tertij, eas λογικὰς illi, quòd circa orationis artificium verſentur, appellant, ex noſtris ſunt qui vocent rationales.

Tria i oratione quæ exigũt.

¶ Iā in omni oratione, quæ modo digna ſit legi, tria hæc exiguntur, vt ſit emēdata, vt elegans, vt probabilis. quocirca tres etiā artes circa huius curā verſantur, grāmatica, dialectica, & rhetorica, quarũ prima, quo modo emēdate loquamur docet, altera, quo modo probabiliter, tertia, quo modo polite atque ornate ſeu eleganter.

Dialectica quid.

¶ Claret ergo ex ijs, dialecticē eſſe artem probabiliter de vna quauis re diſſerendi, quatenus natura eius rei qua de agitur, probabilitatis eſt capax.

Duo neceſſaria ei diſſerē.

¶ Quiſquis autē probabili vti vult oratione de re aliqua, ei duo cũ primis neceſſaria ſunt, alterum, vt inueniat ea. i. quibus res propoſita in hanc aut illā partē probari queat: alterum, vt inuenta illa velut indice quodam probet, conueniant ne inſtituto ſuo an non conueniāt: ne qua fraus aut deceptio inter dicendum ſubornatur.

Dialecti

¶ Hinc fit, vti tota hæc diſſerēdi facultas, quā dialecticen

*cæ partes duæ.*

dicimus, in duas diducatur partes, vnam inueniēdi, alterā iudicādi. Inueniendi pars ea eſt, quæ certos quoſdā oſtēdit locos, è quibus velut theſauris qbuſdā, in rem quāuis confirmandā refellendam ve argumēta ducant. Iudicandi, quæ formulas ac præcepta quædā argumētandi tradit, quibus ceu perpēdiculis atq; normis quibuſdā facile explores, idonea ſint argumēta quæ inueneris inſtituto tuo an nō idonea, proſint an officiant magis, apta ſint an inepta. Neque enim vt quærēti quicquā primum occurret, ita & cōmodiſsimum erit in cauſam eam, de qua erit dicēdū nobis: non magis, quàm aut lapis quiuis temere oblatus, ad vnā quamuis ædificij partem fulciēdam eſt aptus: aut vniuerſis morborū generibus, vna aliqua ſalubris eſt medicina. Ergo queādmodum fabri, nihil niſi examinatū exploratumq; prius, operi ſuo ſolent inſerere: ita ne nos quidem, temere vnūquidvis operi noſtro, hoc eſt orationi qua fidem facere volumus, infulcire debemus: ſed velut delectu quodam, inſpicienda omnia, optima eligenda.

¶ Harum partium quemadmodum prior, ita & difficilior ea eſt, qua docetur inuentio. Quocirca etiā hanc ſibi initio explicandam exiſtimauit Rodolphus: deinde traditurus & alteram, ſi vita longior contigiſſet.

*Quam dialecticæ præceptiōē tradat Rodolphus.*

¶ Porrò inuentionē cōtinēt loci quidā. Vt enim piſcator, venator, auceps, certos quoſdā definitosq; locos habere ſolēt, in qbus etſi nō ſemper, tamē plerunq; id quod quærūt inueniant: ita & dialecticus, certos quoſdā habeat locos oportet, è quibus ceu latebris qbuſdā argumenta in rē omnē ducātur. Atq; hos locos primo libro copioſiſsime deſcribit Rodolphus, ſingulos ita explicans ac diducēs, vt facillime quid ex quoque duci in rē quāuis poſsit diſpiciatur.

*Primo libro q̄ doceantur.*

*Quæ ſecundo.*

¶ Sed enim tanq; militi parum profutura ſint quamlibet bona arma, qui quemadmodum vtendum ijs ſit armis ignoret: ita ne loci quidem vtilitatem aliquam afferent

nobis,niſi qua via,quoq́; modo,ex ijs copia dicendi ſit pa randa ſciamus.Hæc cauſa fuit,cur ſecundũ librũ adiecerit de locorũ vſu.Etiãſi in eodẽ libro traduntur & alia multa,quemadmodũ cum ad eũ locũ ventũ erit, dicemus.

Quæ tertio. ¶ Fit aũt hoc ſæpenumero,vti parũ admodum profuerit cauſam docuiſſe,niſi præterea & affectibus moueatur auditor,& voluptate quadam demulceatur.ac ne doceri quidem cauſa cõmode queat,niſi quæ inuenta à nobis ſunt, ea ſic diſponantur,vt ſint ad fidẽ faciendã idonea.Proinde acceſſit his liber tertius, quo de his tribus ita diſſerit Rodolphus,vt nec eruditius nec elegantius ijs de rebus diſſeri poſſit.Eſtq́; res planè digna,cuius cũ primis ratio habeatur ab eo,qui cum laude aliqua vel dicere vel ſcribere velit,& quod cupiat dicendo efficere.quid enim admirabilius,quid potẽtius,quid efficacius,quàm & in ſpem cum libet oratione erigere homines,& in metũ deijcere, & lætitia ipſos ſibi auferre,& dolorem lachrymasq́; vel inuitis exprimere? deniq; dicendo conſequi illud, vt non cum velint ipſi,ſed cum tibi libeat,miſereantur,indignentur,inuideant,faueant,iraſcantur? Quid dulcius,quid iucundius,q̃ honeſta quadã voluptate ita afficere animos hominum, vt quãobrem ita afficiantur ipſi neſciant, & tamen afficiantur:itaq́; extra ſe poſiti ſint, vt cum nulla ſit manẽdi neceſſitas,tamen perinde vt ſi catena illa Herculis Gallici alligati ſint,diſcedere à dicente nõ queant? Quid ornatius, quid decentius, quàm quæ longo labore inuenta ſunt,ea ſic collocare,vt pulcherrimo omnia ordine tanquam in domo diligentis patrisfamiliæ diſpoſita videantur? Atq; hæc ſunt quæ cum alijs quibuſdam non copioſe minus q̃ erudite tertio libro docet Rodolphus:ne quis rerũ ignarus,ea modo de cauſa minoris putet faciendа hæc,quod non habeat eadem Petrus Hiſpanus.

# RODOLPHVS AGRI-COLA PLINIO SVO S. D. P.

1 ABſoluit tandem libros, quos
de Inuentione Dialectica tuo
ſuaſu rogatuq́ aggreſſus ſum
2 ſcribere. Scis tu quidem eos
partim paranti iter, partim in
3 itinere, excidiſſet mihi verius,
quàm ſcriptos eſſe. Suntq́ vni tibi ſcripti, cui
ſi ſatisfacient, defuncti erūt munere ſuo. Non
addo huc ſi non ſatisfaciēt, quippe cum tibi be
neuolētia noſtra, omnes etiā nugas meas ap-
probare poſſit. Quāquam autē vni tibi deſti-
nauerim eos, vt qui populi os iudiciumq́ in
re præſertim tam ſcrupuloſa reformidem: me-
4 mor tamen eius quod dici ſolet, oratorē nul-
la alia re tam excitari ad dicendū, quàm audiē
tiū corona, ſcripſi eos tāquam populū mihi le-
ctorem adhibiturus, quo maiorē ipſe mihi di-
ligētiam ſolicitudinemq́ operis circūdarem,
minusq́ indulgerem deſidiæ cauſis, & cona-
rer (ſi qua poſſem) nō ſolum iudici tibi fidere,
5 ſed in cauſa ſpem aliquā habere. Quòd ſi quē
admodū Lucilius dicebat, Conſentinis & Ta-
rentinis ſe ſcribere, ſic ego poſſem dicere, ſo-
lis me Phriſiis meis iſta ſcripſiſſe, minus eſſet
6 verendū fortaſſe, vt populū admitteremus.
Nunc quando ſtudiorum partem, mentione

potius quàm vſu peruulgatã, tractauimꝰ mo
reminime peruulgato,& contra veterẽ vulga
tamq́ perſuaſionem auſus nonnunquam ſum
libere proferre,quid mihi videretur multorũ
fortaſſe ſubeunda nobis eſſet cenſura. Quòd
ſi quis eos in manus ſumpſerit, vel Philoſo-
phus, vel † ex magnis profeſſoribus his pa- 8
tronisq́ linguæ latinæ:quid ni:nonne tibi pro-
tinus videris audire,

Quis † nouus hic nr̃is ſucceſſit ſedibꝰ hoſpes? 9
Ergo (vt initio dixi) tibi deſtinati, tibi dediti
ſunt, hæc opera tibi eſt impenſa. Et quemad-
modum ſecundum † iuriſcõſultos, filius † qui 10
in adoptionẽ datur, omnia ſanguinis gentisq́ 11
exuit iura,& in alterius tranſit nomen:alius in
eum vitæ necisq́ accipit poteſtatem: ſic † ego 12
iſtos manu mea emiſſos, tuo poſthac permitto
arbitrio. Ego omnẽ pro eis ſolicitudinẽ depo-
no, tu ſi voles, emittes. Quod ſi bene ceſſerit,
nec laudẽ putabo meã, nec dedecus: ſi ſecus,
tuũ, in vtranq́ partẽ æſtimabitur conſiliũ. ego
dicar obſequutus tibi, dicar præſtitiſſe quod
potuerim, plurimũ certe ſi potuiſſem præſtitu
rus. Cæterum in hoc opere, præterquam quòd
ſtilum exercui, plane videor mihi operã per-
didiſſe. Nã niſi quis meliores literas attigerit,
non video magnopere quid poſſit prodeſſe ei
propter multitudinem exemplorũ, quæ ab eru
ditioribus ſcriptoribus erãt eruenda, & idcir-

eo negligetur ab eis, vt qui balbi præter balba nihil intelligant. Contrà eorum qui eruditi ſunt, vel videri volũt, quotuſquiſq; vlla artis præcepta attingit? aut ſi attingat, nónne tibi videris ad primũ protinus conſpectum audire,
13 vnde nobis ex vltima barbariæ nouus† Ana-
14 charſis iſte, qui poſt† Ariſtoteles, Cicerones, Quintilianos, aliquid inuenturum ſe credat? Quẽadmodum† apud poetã tamẽ ſcriptũ eſt,

Victurus genium debet habere liber.

ita multos libros ſolo hoc credo viuere, quia geniũ habeant. Qui ſi nobis ſit, viuemus etiã. ſin minus, feram æquo animo interitum eius, quem tot tamq; præclara ſubierunt ingenia. quibus vt laborem eruditionis diligentiæq; ſuæ impartirent, mortalium ignauia fuit indigna. Vale.

SCHOLIA IN EPIST. PRAECEDEN.

1 *ABſoluit† tandem.] Scopus totius huius epiſtolæ hic eſt. quanq; hi de inuentione dialectica libri, vni Plinio ſcripti deſtinatiq; ſint, non minori tamen cura eos elaboratos eſſe, q; ſi euulgãdi ſint omnibus. quocirca etſi ipſe premi eos q; edi malit, facere tamen ſe poteſtatẽ Plinio, vt pro ſuo is arbitratu, eos vel emittat vel ſupprimat. Porrò qui ſit Plinius is, cui hoſce libros dedicauit Rodolphus, ipſe in epiſtola quadam ad Iacobum Barbirianum his verbis docet. Eſt oppidum, inquit, vicinum nobis, quod Campos vocant. Eo pridie decollationis Baptiſtæ, negotij cuiuſdam, tum animi quoq; leuandi cauſa, domo pro-*

*Theodericus Plin. iurecõſultus.*

Theoderi fectus eram. Illic redduntur mihi literæ ex Theoderico Plinio, ornato homine, & mei amantiſſimo: qui iuris ciuilis doctor in primis eruditus, in conſilio eſt comitis Palatini. Credo te vidiſſe illũ ſuperiore anno, in comitatu domini Auguſtẽſis. quia perpetuo magiſtrum Adolphũ noſtrum aſſectabatur, iuuenis decora facie, & flauis criſpantibusq; capillis inſignis. Hæc Rodolphus. Ego cõiectura quadam adducor, vt credam eum Plinio hoc in Italia familiariter vti cœpiſſe, cum ingenij excolendi cauſa
ageret Ferrariæ. ¶ Scis † tu quidem eos partim paranti 2

*In quo itinere hi libri ſcripti ſint.*

iter. ] Fui ego aliquando in ea opinione, vt putarem eo de itinere hic loqui Rodolphum, quod cum Ioanne Dalburgio epiſcopo Vuormacienſi fecit Romam, cum his à Philippo comite Palatino orator miſſus eſſet ad ſummũ pontificem Innocentium eius nominis octauum, nouam illi gratulaturus dignitatem. Sed cum in epiſtola quadam, quã Grouningæ adhuc agens Rodulphus ſcripſit ad Alexandrum Hegium, mentio horum librorum fiat, & in alia item epiſtola ad Iacobũ Barbirianũ, cui titulus eſt de formando ſtudio, neceſſum profecto eſt, ante profectionem illam abſolutos eos fuiſſe. cum & poſterior hæc epiſtola ante annum miſſa fuerit ex Heidelberga, q̃ oratio illa quæ inter Rodolphi opuſcula extat, apud Innocentium habita ſit. modo ne lectori imponat aſcriptus vtrobique annorum numerus. Quod vt ſit ita, ex ea tamen epiſtola quæ eſt ad Hegiũ, ſatis conſtat ante id temporis ſcriptos fuiſſe. Mihi dum rem expẽdo diligentius, de itinere eo loqui videtur, quo ex Italia, vbi aliquot iam annos abfuerat, eſt reuerſus in Phriſios. Quanquam vtinam de tempore quo ſcripti ſint parum conſtaret, libri
omnes extarẽt. ¶ Excidiſſe † mihi verius quàm ſcriptos

*excidere.*

eſſe. ] Excidere ea dicuntur, quæ ſubito neq; conſiderate 3

ſatis effuſa, rudia impolitáq; adhuc, in alienas manus peruenimt. Hinc Antonius apud Ciceronē libro de oratore primo, Tum ego (inquit) hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum. Et apud eundem Craſſus: Petimus ab Antonio, inquit, vt ea quæ continet, neq; adhuc protulit, ex quibus vnum librum excidiſſe iamdudum queſtus eſt, explicet nobis & illa dicendi myſteria enuntiet. Ac rurſus in eodē opere, libros rhetoricorū inueni ſibi excidiſſe Cicero ait.

4 ¶ † Oratorem nulla alia re &c.] Quid in excitādo oratore poſſit corona aſtantium, Cicero explicat in libro de claris oratoribus, vbi poſt multa alia: Nec enim poſſet idē (inquit) Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachū clarum poetam ferunt. qui cum conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud quod nouiſtis volumen ſuum, & cum legentem omnes præter Platonem reliquiſſent, legā, inquit, nihilominus, Plato enim mihi vnus eſt inſtar multorum millium. Et recte. Poema enim reconditū, paucorum approbatione: oratio popularis, aſſenſu vulgi debet moueri. At ſi eundem hunc Platonem vnū auditorem haberet Demoſthenes, cum eßet relictus à cæteris, verbū facere non poſſet: Quid tu Brute poſſes, ſi te, vt Curionem quondam, concio reliquiſſet? Ego verò, inquit ille, vt me tibi indicem, in eis etiā cauſis, in quibus omnis nobis res cum iudicibus eſt, non cum populo, tamen ſi à corona relictus ſim, non queam dicere. Orator multitudine gaudet.

5 ¶ Quòd † ſi quemadmodum Lucilius dicere ſolebat.] Æmulatus eſt locum Ciceronis primo libro de bonorum atq; malorum finibus: quo in loco verba illius ſic habent. Nec verò, vt noſter Lucilius, recuſabo, quo minus omnes mea legant. Vtinam eſſet ille Perſius, Scipio verò & Rutilius multo eſſent magis, Lucilij ſatyrici poetæ verbū.

quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait ſe, & Conſentinis, & Siculis ſcribere. Meminit eiuſdem rei quanquam paulò diuerſius ſecundo libro de oratore. Cur autem Lucilius Tarentinos, Conſentinos ac Siculos, ſcriptorum ſuorum iudices non formidaret, illud nimirũ in cauſa fuit, quòd ij homines luxu perditi, palatũ (quemadmodum dicere ſolebat Cato) ſapiẽtius haberẽt quàm mentem. ¶ Vt †populum admitteremus. ] Ductum ab 6
ijs qui publicè ea quæ elucubraſſent recitare ſolebant populo, illiusq́; iudicium ac cenſuram ſubire. ¶ Mentione †potius quàm vſu peruulgatam. ] Verißimum hoc eſt. 7
Vſum ſiquidem nomen quidem dialecticæ identidem omnes oc-
dialecti- cinimus, vſum eius tam pauci norunt, quam multi eum
ces pauci noſſe ſe arbitrantur. Auſus eſt dicere quidam, vtinã non
norunt. tam vere quàm falſe, bonam partem eorum qui hodie dialectica docent, non intelligere id ipſum ſtudiorum genus quo alantur. Nolim tam acerbe ego. Tantum illud demiror, qui fiat, vt cum ſciant vtiq; viri longe doctißimi, alium quendam eſſe dialecticæ vſum, quàm vt perpetuo graculorum more in vmbra garriamus: ita tamen ipſi totos triginta annos artis tradant præcepta, vt de vero interim vſu eius ne verbum quidem. Diſputatur cotidie, verſeturne dialectica circa primas an ſecundas intentiones, ſit ne ſpeculatiua an practica, realis an rationalis. Et vt hic quiſq; clamat fortißime ita maxime à præceptore laudari ſolet. At ſi quis interim roget illud, quemnam finem ſtatuamus vociferationum iſtarũ, aut quiſnam fructus expectãdus ſit ex ſtudio dialecticæ ſcholam egreßis, hoc tam neſcimus omnes, quàm ſcire omnium referebat.
Profeſſo- ¶ Vel †ex magnis profeſſoribus his. ] Εἰρωνικῶς dictum 8
res inepti. aduerſus iſtos, qui cum ne nomen quidem bonarum artium quid ſibi velit ſatis intelligant, harum tamen pro-

feſſores patroniq́; haberi volunt: quales ſumus ferè, qui vocamur magiſtri artiū. ac proinde ita placemus nobis, quaſi vnà cum purpureo illo pilleolo conferatur & eruditio: aut quiſquis philoſophicam geſtet cucullam, is continuo idoneus ſit erudiendæ iuuentuti. Satis ad docēdos alios eſſe putamus ipſum magiſtri nomen. cui poſtea q̃ addiderimus tria ex Petro Hiſpano ſophiſmata, iam vel cœlum digito contingere nobis videmur. Teneas licet hiſtorias omnes, poetas cunctos intelligas, nihil ſit in rhetorum libris quod non excuſſeris, niſi tamen huc acceſſerit magiſteriū, nihil es. Contrà ſi duobus aut tribus ad ſummum ſyllogiſmis inſtructus, aureis aliquot mercatus es magiſterium in artibus, hic demum criſtas licet erigere, hic repente doctus euadis: neq; ita longe iam abeſt, quin cum poeta Horatio, ſublimi ferias vertice ſidera. Id quod à nemine ita accipi velim, quaſi ego contemnendas cenſeam promotiones, ſed quòd nolim ad has aditum patere indignis, optemq́; eruditionis illas teſtimonium eſſe, non pecuniæ. Si quis reclamantibus nobis probatum aliquem authorem iuuentuti audet prælegere, hic iam parum reuerentialiter ſe habet aduerſum ſeniores, huic præcludūtur gymnaſia, hunc periurum & deſtructorem facultatis artium vociferamur, planeq́; dignum eſſe cenſemus, quem oderint omnes, qui ſaxis obruatur. Quaſi verò quiſquam æque obſit facultati artium, atque nos ipſi, qui, dum doloſi ſpes refulgeat nummi, dignos iuxta atque indignos ad promotiones admittimus. Hinc eſt, vt qui noſſe aliquid ſibi videntur, ij quod pecunia ſola comparari vident, contemnant: qui autem planè ſunt rudes, ij ſtudia negligant: & quemadmodum dicere ſolebat Alexandri pater Philippus, nullam vrbem inexpugnabilem eſſe, in quem ingredi poſſet

aſinus onuſtus auro, ita vulgo iam dictitent iſti, nullam
ſe timere repulſam, dum loculos habeant differtos pecu-
nia. Hæc eſt peſtis illa, qua ad extremam prope interne-
cionem eſt redacta facultas noſtra. Hanc de medio tolla-
mus oportet, ſi qui illam cupimus reuiuiſcere. Digni mo-
do à nobis promoueantur, repellantur indigni, ita breui
futurum eſt, vt in priſtinam illam dignitatem ſuam facul
tas noſtra reſtituatur. Fallimur quidem vicinitate verbo-
rum, & quicquid noſtro officit quæſtui, id facultati artiũ
obeſſe interpretamur. Hoc deſinamus facere nos, & aut
nullos aut pauciſſimos certe aduerſarios habebit facul-
tas artium. cui is demum ex animo fauere mihi videtur,
qui id agit, nõ vt diteſcat ipſe, non vt ſit plenum ærariũ,
ſed vt quamplurimi ſint, qui in ea docti euadãt, quiq; ve-
lut ſupellectile quadam bonarum artium inſtructi, non
modo vnam facultatem hanc noſtram, ſed vniuerſitatem
totam apud exteros reddant illuſtriorẽ. ¶ Quis † nouus 9
hic noſtris.] Verba Didonis ſunt de Ænea, libro Ænei-
dos quarto. ¶ Secundum † vos iuriſconſultos.] Hoc eſt, 10
ſecundum iureconſultos, in quorum albo & tu es. Vt ad
vniuerſum referatur iureconſultorum genus, nõ ad vnũ
Plinium. Sic Terentius: Quæ veſtra libido eſt, id eſt, viro
rum. ¶ Filius † qui in adoptionem datur.] Hac de re agi 11
tur apud iureſconſultos, primo digeſtorum libro, capite de
adoptionibus & emãcipationibus. Et inſtitutionum im-
perialium libro primo, titulo, quibus modis ſoluatur ius
patriæ poteſtatis. Quod autem addit Rodolphus, patrem
adoptiuum vitæ neciſq; in filium adoptiuum habere po-
teſtatem, id fortaſſe accipiendum cautius, quãdo huc ne-
quaquam ſe extendit poteſtas patris. ¶ Sic † ego iſtos 12
manu mea emiſſos.] Ductum à ſeruis, qui manumitti di
cebantur, cũ eis à dominis cõcederetur libertas. Siquidem

manumiſsio aliud non eſt quàm datio libertatis. Inſtitu. capite de libertinis. Et ff. de manumiſsionibus. ¶ Nouus

13 † Anacharſis iſte.] Qui talis videri velit, qualis fuit Anacharſis: qui cũ natus eſſet apud Scythas, homines omniũ maxime barbaros, inſignis tamen ſtudijs philoſophiæ euaſit. Vita eius eſt apud Diogenem Laertium, & Plutarchus mentionem de eo facit in vita Solonis. Dicere is ſolebat, leges ſane quàm ſimiles eſſe telis araneorum: & quemadmodum hæ infirmiora animalcula retinentes, valentiora tranſmittunt: ita legibus humiles quidem pauperesq́; conſtringi, diuites autem & præpotentes nõ alligari. ¶ Poſt † Ariſtoteles, Cicerones.] Longe hoc feſtiuius, longe etiam acrius, quàm ſi numero ſingulari idem dixiſſet. ¶ Quemadmodum † ſcriptum eſt apud poëtã.] Martialem libro epigrãmaton ſexto. Eſt autem carmen longe feſtiuiſsimum, quare non pigebit totum aſcribere. Anacharſis.

14

15

Rem factam Pompillus habet, Fauſtine, legetur,
Et nomen toto ſparget in orbe ſuum.
Sic leue flauorum valeat genus Vſipiorum,
Quiſquis & auſonium non amat imperium.
Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur,
Sed famæ non eſt, hoc mihi crede, ſatis.
Quàm multi tineas paſcunt blattaſq́; diſerti,
Et redimunt ſoli carmina docta coci.
Neſcio, quid plus eſt quod chartis ſecula donat,
Victurus genium debet habere liber.

# RODOLphi Agricolæ PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA LIBER I.

*¶ Quæ origo locorum, & quæ eorundem vtilitas.*

## CAP. I.

**Propriũ orationis munus eſſe, vt doceat.**

ORATIO †quæcũq; de re quaq; inſtituitur, omniſq; adeo ſermo quo cogitata mentis noſtræ proferimus, id agere, hocq; primũ & propriũ habere videtur officium, vt doceat aliquid eum qui audit. Cuius rei quod certius quis propiusq; capiat indicium, quàm quòd ſoli omnium animantium homini, vt rationis doctrinæq; capaci, parẽs ille & author rerum Deus, loquẽdi atq; orationis indulſerit munus? Quod ſi eſt ſignum rerum quas is qui dicit animo cõplectitur, oratio: liquet hoc eſſe proprium opus ipſius, vt oſtendat id atq; explicet, cui ſignificando deſtinatur. Nec† me 2

præterit maximis authorum placuiſſe, tria eſſe quæ perfecta oratione fiant, vt doceat, vt moueat, vt delectet. & docere quidem rem facilem eſſe, & quam quiſque tantum non inertiſſimæ mētis præſtare poſſit. cōcutere vero affectibus audientem, & in quemcunque velis animi habitū transformare, allicere item, audiendique voluptate tenere ſuſpenſum, nō niſi ſummis & maiori quodā Muſarū afflatu inſtinctis contingere ingeniis. Nec ſane inficias iuero, eſſe iſta præcipua bene dicendi præmia ſequique orationem, verū ſequi verius quàm effici, potiuſque acceſſionem eſſe ipſius quàm proprium opus. Sed † de his alio loco explicatius dicendum erit. Hoc in præſentia dixiſſe ſufficiat, poſſe docere orationem, vt non moueat, non delectet: mouere aut delectare, vt non doceat, non poſſe. Itaque precantes, conquerentes, ſed & interrogantes quoque, quanquam aliud agere videntur, hoc tamen primum efficiunt, vt diſcant audientes, cuius deſiderio teneantur, quo vrgeantur dolore, quid ſit quod ſcire velint. *Obiectio.* *Dilutio.*

3

4 ¶ Docemus † autem nonnunquā hoc tantum pacto, vt intelligat auditor. quādoque, vt fiat illi fides. Fidem facimus: vel credenti, & velut ſponte ſequentem ducimus: vel peruincimus non credentem, atque repugnantem trahimus. Alterum expoſitione fit, alterum argumētatione conficitur. Expoſitionem *Duplex docendi ratio.*

voco orationem,quæ ſolam dicentis mẽtem explicat,nullo,quo fides audienti fiat,adhibito. Argumentationẽ vero,orationẽ, qua quis rei de qua dicit fidẽ facere conatur. ¶Cũ vero nulli dubiæ rei queat ex ſe cõſtare fides,ſed ex aliis quibuſdam notioribus atq; magis exploratis de vnoquoq; certitudinẽ colligamus neceſſe eſt:iaḿq; alii mẽtis acumine freti, vberiꝰ expeditiuśq; argumentũ,id eſt ( vt inquit Cicero )probabile inuentum ad faciendam fidẽ excogitent:alii contrà hebetiore mẽtis vi , ad rerum obtutum caligent, & vel nihil vel ſero quid quaque de re dici poſſit,inuenire queãt: vtiliſſimum vidẽtur feciſſe,qui ſedes quaſdã argumentorum(quos locos dixerunt)excogitauere:quorũ admonitu,velut ſignis quibuſdam,circũferremus per ipſas res animum , & quid eſſet in vnaquaque probabile aptuḿq; inſtituto orationis noſtræ,perſpiceremꝰ. ¶Vtilem autem eſſe locorum rationem apparet,cũ magnæ parti humanorum ſtudiorum (quandoquidẽ pleraq; in ambiguo hærent)& diſſentientium certaminibus ſunt expoſita. Exigua enim portio eorum quæ diſcimus certa & immota eſt,adeoq́; ſi Academię credimus,hoc ſolũ ſcimus quod nihil ſcimus. Certe pleraque,pro cuiuſq; ingenio, vt accommodatiſſime ad probandum quiſq; excogitare potuerit,alio atq; alio trahuntur. Tum vero eis pre-

*Cur loci inuenti.*

*Cicer. in partitionibus.*

*Locorum dialecticorum vtilitas.*

cipuè confert, qui tractant illa, quorum nullæ traditæ ſunt artes: dico, qui conſilio rempublicam gubernant: quos de pace, bello, cæteriſq; ciuitatis negotiis in rem præſentem, ſæpe ſenatui, ſæpe populo fidem facere oportet, quiq; in iudiciis item accuſare, defendere, petere, abnuere, quiq; populũ docere iuſtitiã, religionem, pietatem, in profeſſo habent. Quãquam enim & iſtorum nonnulla cõprehenſa ſint artibus, ſubtiliora tamen illa & ex mediis ſcholis deducta, velut exilia nimiũ, vel non intrant craſſiores vulgi animos, vel non hærẽt: rudioribus & ex medio depromptis tanquã popularibus robuſtioribuſq; mouentur magis. Vt delicatiores aures lyra citharáve delectat, ita
8 militẽ non niſi tuba accenderis. Craſſis enim (quod in prouerbio eſt) craſſa conueniunt. Nec inſtruere ſolum os facultas iſta, & tãtum dicendi copiam ſubminiſtrare, ſed prouidentiam animi, & recte conſulendi quoque aperire viam videtur: quando non alia re prudentiam conſtare apparet, quàm perſpicere quid in quaq; re ſit poſitum, & conſentanea repugnãtiaq;, & quò quidque ducat, quidve euenire poſſit, colligere. Indicio fuerint duo
9 vtriuſque linguæ diſertiſſimi, Demoſthenes & Cicero: quorum vt prudentiſſima fuit oratio, ita quanquã nonnulla æmuli reprehendẽda ſibi in ipſorum vita ſumpſere, conſiliorum

tamen prudentiæq́ laus ipſis eſt vel inuidia conſentiente conceſſa. Nanque dicere pruden ter, niſi qui prudenter cogitarit, non poteſt. Fit enim, vt quod prouiderit quis, non faciat: dicit certe quod nō prouiderit nemo. Sed hæc de origine locorum, deq́ ipſorum vtilitate, ha ctenus præfatos eſſe ſufficiat.

## SCHOLIA IN CAP. I.

*ORatio † quæcunq́;.] Tametſi (inquit) ad per- fectam illud pertinet orationem, vt doceat, mo- ueat, delectet: proprium tamen eius munus atq́; officium, eſt docere. reliqua duo, potius acceßio quædam eius ſunt, quàm proprium opus. Quiſquis autem docere cupit rem aliquam, ita vt & fidem de ea faciat, is argu- mentis id conetur oportet. Quæ cum non cuiuis ſemper ad manum in promptuq́; ſint, vtilißimus nimirum labor eorum fuit, qui locos quoſdam deſcripſerunt argumento- rum, è quibus ceu receptibus ac theſauris quibuſdam ea erui in rem quanq́; poſſent.* ¶ *Nec † me præterit, maxi- mis authorum &c.]* Id Cicero his verbis docet in Bru- to. *Tria ſunt enim, vt quidem ego ſentio, quæ ſint efficien da dicendo: vt doceatur is apud quem dicetur, vt delecte- tur, vt moueatur.* Idem in Oratore: *Erit igitur eloquēs is, qui in foro cauſisq́; ciuilibus ita dicet, vt probet, vt dele- ctet, vt flectat. Probare neceßitatis eſt, delectare ſuauita- tis, flectere victoriæ.* Habet eadem Fabius libro tertio. *Tria ſunt, inquiens, quæ præſtare debet orator, vt doceat, moueat, delectet.* ¶ *Sed † de his alio loco.]* Is locus eſt li- bro ſecundo, capite, quarto. Et rurſum libro tertio de affe- ctibus atq́; oblectatione agitur per capita aliquot. ¶ *Do- cemus † autem.]* De hac duplici ratione dicendi fuſius

1 (beside line 1 of scholia), 2 (beside "maxi-"), 3 (beside "li-"), 4 (beside "fuſius")

libro ſecundo capite 12. ac deinceps per cõpluſcula capita.

5 ¶ Vtilem † autẽ eſſe hanc.] Tria paucis attingit, ad quæ conducunt in primis loci. Primum, ad omnia humanitatis ac bonarum artium ſtudia. Deinde, ad tractandas res eas, quæ nullis etiamnum comprehenſæ ſint artibus. Poſtremo, ad prouidentiam animi recteq; conſultandum.

Ad tria vtiles locis.

6 ¶ Si † Academiæ credimus.] Nam Academici ἀκαταληψίαν illam ſuam probabant adeò, vt nihil certo comprehendi cognoſciq; poſſe arbitrarentur. Sed de his rurſum libro ſecundo, capite quarto.

ἀκαταληψία academicorum.

7 ¶ Hoc † ſolum ſcimus, quòd nihil ſcimus.] Socrati in more fuiſſe aiunt, vt diceret, ſe hoc vnum ſcire, quòd eſſet inſcius atq; omnis ſcientiæ expers. Lactantio viſum eſt, hanc Socratis ſentẽtiam eſſe ἀσύστατον, hoc eſt, inconſiſtentem, quæq; ipſa ſe iugulet, ac falſam conuincat.

Socratis verbum.

8 ¶ Craßis † enim vt eſt in prouerbio.] Id quàm ſit verum, docet Plutarchus exemplo Ateæ regis Scytharum. Is Ateis ſiue (vt quædam exemplaria habent) Anteas, Iſmeniam optimum tibicinem bello captum, tibia canere in conuiuio iuſſerat. Quem cum cæteri, qui in conuiuio eo aderant, ad ſtuporem vſq; admirarentur: at mihi, rex ait, longe iucundior foret vox hinnientis equi. Notum eſt græcum illud, ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον. Quantumuis rudius dicito, dum planius.

De fortuna Alexandri, & in apophthegmatis.

9 ¶ Demoſthenes † & Cicero.] Non defuiſſe qui in horum vita aliquid reprehenderint, id conſtare vel ex Fabio poteſt, qui ita & in Demoſthenem multa falſo conficta fuiſſe, & Ciceroni nulla in re optimi ciuis voluntatem defuiſſe contendit, vt aliorum tamen interim ſententiam non diſſimulet. Notus ſanè in Demoſthenem iocus eius, qui dicebat non συνάγχην eſſe quod pateretur Demoſthenes, ſed ἀργυράγχην, quò minus dicere poſſet contra legatos Mileſiorum.

Quintilianus libro 12.

Gellius libro 11. capite 9.

*Iam quæ & quanta illi obiecit Æſchines? quæ vt maxi- ma ex parte mendacia fuerint, omnia tamen falſa fuiſſe, mihi ego perſuadere non poſſum. Quin verò & Cicero- ni duas illas ſellas, quibus ſolitus eſſet ſedere, obiecit La- berius: illud nimirum ſignificans, parum integra eum fi- de fuiſſe inter Pōpeium & Cæſarem. Vt taceam interim, quòd in aperto idem mendacio deprehenſus, ita elapſus eſt, vt diceret, prudētis & cauti patrisfamiliâs eſſe, quod emere velit, id ſe empturum negare, propter cōpetitores emptionis. Sed quis eſt, cui ignota ſint hæc?*

*Macrobius libr. 2. & 7. Gellius libro 12. capite 12.*

### ¶ *Quæ quibus probandis conueniant, quomodo inueniendum diiudicandumq́; medium ſeu argumentum, & quid locus.*

### CAP. II.

QVando igitur de locis dicturi ſu- mus, commodiſſimum fuerit defi- nire quid ſit locus. Id quo cuncta magis in aperto ſint, altius repeten tes, paulò vberius explicemus. Dictum eſt no bis pauloante, nullam rem de qua ambigitur, ipſam per ſe probari poſſe. quod clarius ſane arbitror eſſe, quàm vt oſtendendū ſit: non mi- nus, quàm tenebras ſi viſum oculoſq́; admit- tere debeant, illato alicunde lumine indige- re. Relinquitur ergo, quicquid confirman- dum eſt, ex aliquo alio fidem aſſequi. Nec tamen probādis omnibus omnia cōueniunt. Quid enim differenti de optimo ciuitatis ſta- tu, & vtilius ne ſit eā principis vnius arbitrio, quàm populi conſenſu regi profuerit ſcire,

*Non oīa omnibus probādis cōuenire.*

reſpirent nec ne ſub aqua piſces? Quid itē ſuadentē Cæſari vt inferat bellum Pompeio, adiuuerit, ecquid habitent ex aduerſa nobis regione orbis terrarum homines, quos ἀντίχθονας Græci vocant? Itaq; differentibus à re præſenti abhorrentia, neq; vlla ex parte coniuncta inſtituto orationis ſuæ, dici ſolet, Quorſum hæc? &, Video quid dicas, quid velis dicere non video. Quanquam autem ſit apud Ariſtotelem, omne verum vero conſentire, nec poſſint plura vera diſcrepantia eſſe: aliud tamen eſt conſentire ipſa, aliud fidem aſtruere. Ergo vt ad alterius confirmationem aliquid poſſit adhiberi, coniunctum quadam ratione, & velut cognatũ eſſe oportet illi cui probando adhibetur, taleq; videri, vt non ſubſiſtere ſine illo, ſi affirmes, non ſuberti, ſi neges, poſſit. Id quo facilius accipi poſſit, craſſiore quidem ſed apertiore exemplo oſtēdamus. Videmus in metienda rerum magnitudine, ſi duo ſint propoſita quæ æqualia eſſe vel inæqualia oſtēdere velimus, ſi huiuſmodi res ſint, vt applicari altera alteri nequeat, accipitur tertium aliquid, quod poſſit vtriq; adhiberi, neq; temere illud aut quoduis, ſed quod alteri ſaltē illotum ſit æquale. Id deinde alteri adhibitũ, ſi fuerit & illi ęquale iã æqualia illa inter ſe dicimus ſin inæquale, inęqualia. Quoniã certũ exploratumq; eſt, eã magnitudinũ eſſe proprietatē, vt

Rem quã qȝ per eã tantũ poſſe probari, quæ ipſi modo quodam cognata ſint.

quæcũq; duæ cuiquã tertiæ ſint æquales, ſint & inter ſe æquales, & quarũcũq; duarũ altera tertiæ alicui ęqualis ſit, altera inæqualis, ſint & inæquales inter ſe. Quorſum hæc? vt oſtendã, quemadmodũ in magnitudinibus dixi, ſic in omni rerũ natura eſſe, vt quæcũq; duo cuiquã tertio cõſentanea ſint, inter ſe, quoq; eſſe conſentanea. Cõſentanea autẽ voco, quorũ poſſit alterũ de altero dici. Vt homini & ſubſtãtiæ cõuenit in animali, quoniã omne animal eſt ſubſtãtiã, & oĩs homo eſt animal, ſequitur ergo conuenire ipſis inter ſe, hoc eſt, omnẽ hominẽ eſſe ſubſtantiã. Et cõtrà, quorũcũq; duorũ alterũ cõſentaneũ eſt alicui tertio, alterũ diſſidẽs, ea q[illegible]ter ſe diſſident. Vt lapidi & homini. L[illegible]uidẽ animal diſſidet, homini vero cõuenit: certũ igitur eſt, lapidẽ & hominẽ inter ſe diſſidere.

*Quem in modũ inueniendũ diiudicãdumq́; ſit argumentum.*

¶ Si qua duo itaq; cõueniãt inter ſe nec ne, velis perſpicere, ſi ſint eiuſmodi, vt quẽadmodũ magnitudines diximus applicari nõ poſſe, ſic & iſta cõſentanea ſint an diſſentanea, ex ipſis perſpici nequeat, neceſſe eſt tertiũ aliquod inuenias, quod alteri horũ conſentaneũ eſſe certũ ſit. idq; alteri deinde cõparatũ, proinde vt illi fuerit cõſentaneũ vel diſſentaneũ, ita eſſe inter ſe ambo, quæ propoſita fuerãt, ſciamus. Id tertiũ, tũ mediũ argumẽtationis dicitur, quoniã propoſita velut extrema duo cõiungit, tũ quia probabiliter propo-

ſitis iūgitur,inſtrumētumq́ eſt faciēdæ de illis fidei,vocatur argumētū. Hāc partē excogitā-di vel medij vel argumēti,vocāt dialectici inuentionis. Altera eſt pars quæ iudicādi vocatur. Ea cuiuſmodi ſit,ex prædicta eadē ſimilitudine indicemus. Cū mēſurā aliquā metiēdarū duarū magnitudinū ſumpſerim⁹,ea ſi ꝓba debeat eſſe, neceſſe eſt certa & firma ſit. ꝙ ſi aut extēdi poſſit,aut in arctū cōtrahi,& quēadmodū ait Ariſtoteles de regula Leſbia,quę ad parietis flectitur formā,ſic iſta aptetur magnitudini metiendę, fallax nimirū erit. Hoc pacto, vnū illud cui vel cōſentanea vel diſſidētia ea quę proponūtur dixim⁹ eſſe debere, id ſi opinione ſolū atq; aſpectu,nō reuera ſit vnū,fallemur argumētatione:euenietq́;,vt quę cōſentanea eſſe oſtēdi argumētatione credimus, diſſideāt maxime:& cōtrà,pro diſſidētib⁹ cōſentanea capiam⁹. Vt ſi dicam⁹,aliquod animal eſt irratiōale,homo eſt aīal,ergo homo eſt irrationalis:vidētur qdē iūgi in aīali irratiōale & homo:ſed ꝑſpicuū eſt,nō eſſe idē aīal, de quo irrationale dicitur,& ꝙ dicitur de hoīe:ſed noīs tātū ambitu,& generis ſimilitudine idē videri. Quòd ſi adhibito iudicio legē ſyllogiſmi obſerues,dicaſq́;,omne animal eſt irrationale,homo eſt animal,ergo homo eſt irrationalis:iam quādo pro cōſentaneis accipiūtur ea quæ diſſident,vt omne animal irrationale eſſe, nihil

mirum eſt, homo & animal quanquam cōſentanea ſint, hominem tamen & irrationale diſſidere. Vt ergo certum ſit atq; liquidū, id quod in argumentum aſſumimus, non facie, ſed reuera vnum eſſe, adhibita eſt inuentioni hæc iudicii pars, cui omnis de modis figuriſq; ſyllogiſmorum præceptio, & cautio omnis captioſarum argumentationum, quas fallacias dixere, ſubſeruit. Sed nos de priore illa quæ ad inueniēdum pertinet, his libris loquemur. ¶ Intuentem ergo illa quæ dixi de ea, non latebit verū eſſe quod propoſuimus, omnia quæ vel pro re quaq; vel contrà dicūtur, cohærere, & eſſe ea quadam (vt ita dicam) naturæ ſocietate coniuncta. Res autem numero ſunt immenſæ, & proinde immenſa quoq; proprietas atq; diuerſitas earū. Quo fit, vt omnia quæ ſingulis conueniant aut diſcrepent, ſigillatim nulla oratio, nulla vis mentis humanæ poſſit cōplecti. Ineſt tamen omnibus, tametſi ſuis quæque diſcreta ſint notis, cōmunis quædam habitudo, & cuncta ad naturæ tendunt ſimilitudinē, vt quod eſt omnibus ſubſtantia quædam ſua, omnia ex aliquibus oriuntur cauſis, & omnia aliquid efficiunt. Ingenioſiſſimi itaq; virorū, ex effuſa illa rerum varietate, cōmunia iſta capita, vt ſubſtantiā, cauſam, euentū, quæq; reliqua mox dicemus, excerpſere. vt cū ad conſiderandā rem quempiā animū aduertiſſemus,

*Inquiritur quid ſit locus.*

ſequentes iſta, ſtatim per omnem rei naturam & partes, perq́; omnia conſentanea & diſſidentia iremus, & duceremus inde argumentum propoſitis rebus accommodatum. Hęc igitur communia, quia perinde vt quicquid dici vlla de re poteſt, ita argumenta omnia intra ſe continent, idcirco locos vocauerunt, quod in eis velut receptu & theſauro quodã omnia faciendæ fidei inſtrumenta ſint repoſita. Non ergo aliud eſt locus, quàm cõmunis quædã rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile ſit, poteſt inueniri. Sit ergo nobis locus hoc pacto definitus. *Loci cur appellati.* *Quid locus.*

## SCOLIA IN CAPVT SECVNDVM.

1 *QVando†igitur.* ] *Toto capite hoc dicit. Argumenta quibus confirmare aut refellere volumus aliquid, ea cõiuncta modo quodã eirci eſſe oportet, quæ in diſceptationem venit. Iam cũ infinita rerum multitudo id faciat, vt ſingulatim ea quæ ſingulis coniuncta ſunt rebus, explicari nõ queant: hinc eſt, quòd excellenti ingenio viri, omnem hanc multitudinẽ in communia quędã capita digeſſere, eaq́; vocarunt argumentorum locos, propterea, quod in ijs ceu theſauro, atq́; receptu quodã, argumenta cuiuſq́; rei confirmandæ refutandæ've lateant repoſita, vt cũ vſus fuerit, inde promãtur.*

2 ¶ *De optimo reipublicæ ſtatu.* ] *Tres enim formæ ſunt rerũ publicarũ: Monarchia, principatus vnius. ariſtocratia, paucorũ, optimatumq́;. democratia, popularis. Ariſtot. in 2. Politicorum tradit fuiſſe nõnullos qui optimã gubernationẽ crederent ex omnibus his cõmixtã, vt*

fuit Lacedæm. ¶ Reſpirent † ne ſub aqua piſces. ] Hoc 3
Ariſtoteles negat, ait Plinius, lib. naturalis hiſtoriæ nono, capite ſeptimo. ¶ Suadentẽ † Cæſari vt inferat bellũ 4
Põpeio. ] Id facit Curio apud Lucanũ Pharſaliæ lib. primo. ¶ Quos † ἀντίχθονας Græci vocant. ] ἀντι contra ſeu 5
ex aduerſo eſt, χθὼν terra. Hinc ἀντίχθονες dicti, quod in
aduerſa nobis terræ parte habitent. Sunt enim ij, qui alio
vocabulo dicuntur ἀντίποδες, eo quòd contraria atq; ad-
Lactant. li. 3. Augu. de ciuitate dei li. 16. Plinius lib. 7. Macr. in ſõniũ. uerſa nobis figant veſtigia. Lactãtius & Auguſtinus eſſe
hos negãt: aſſerũt præter alios multos Plinius & Macrobius. Hodie certò eſſe àpleriſq; credũtur. Quorſũ † hæc? ] 6
diuus Hieronymus in epiſtola quadã aduerſus errores Ioannis epiſcopi Hieroſolymitani. Vetus (inquit) narrat hiſtoria. quidã cũ diſerte diceret, ferreturq; impetu & volubilitate verborũ, cauſamq; omnino nõ tãgeret, prudẽs auditor & index, Bene, inquit, bene, ſed quò iſtud tuũ tã bene? ¶ Quẽadmodum † ait Ariſtoteles de regula lesbia: ] 7
Regula Lesbia. Verba Ariſtotelis hac de re quinto libro moralium ſic habent. τοῦ γὰρ ἀορίστου ἀόριστος, καὶ ὁ κάνων· ὥσπερ τῆς λεσβίας οἰκοδομῆς ὁ μολύβδινος κάνων. πρὸς γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ λίθου μετακινεῖται, καὶ οὐ μένει κάνων. Ea verba hunc in modum vertit Eraſmus. Siquidem infinitæ rei infinita item regula quẽadmodũ plũbea Leſbiæ ædificationis regula. Ad lapidis enim figuram tranſmouetur, neq; manet regula. Dicitur itaq; regula Leſbia, quoties præpoſtere, nõ ad rationẽ factum, ſed ratio ad factũ accõmodatur. ¶ Cõmunis † quædam rei nota. ] id eſt ſignum, index. Vt enim quondã ſta- 8
Loci definitio. tuæ illæ mercuriales, nũc ferreæ iſtæ aut ligneæ manus, quas crucibus in biuijs affixas videmus, indicant viatori, qua vertendũ ſit iter: ita hi loci eũ qui inuenire cupiat argumenta, veluti manu apprehenſum, ducũt eò quò tendit. Venatoris qui incertus vagatur, ignarus quibus in

*locis feræ delitescere ſoleant, raro onuſtus præda domum reuertitur: at qui latibula earũ cognita habet, qui ſedes nouit, is etſi vnum forte aut alterum domiciliũ vacuũ inuenit, nunquam tamen diſcedit ita, quin alijs luſtratis locis ſi non omnino, certe quadã tenus voti cõpos redeat domũ. Hũc in modũ & argumẽta inuenire qui velit, nũquã ei ex ſententia opus procedet, niſi certos quoſdã definitosq́; habeat locos, è quibus ea ceu latebris quibuſdã ducantur. Quocirca recte dictum illud, locũ eſſe notã ac ſignũ, quod nos admoneat eorũ, quæ probabiliter de re quaq; in hanc aut illam partem dici poſſint. Porrò quemadmodum non omne mare omnem gignit piſcem, neq; in vna quapiã terra omnis herba naſcitur: ita neq; fieri poteſt, vti vno ex loco omnem in rem ſuppetant argumenta. Quamobrem deſperandum nõ erit, ſi excuſſo loco vno aut altero parũ ſuccedat. Inſpiciendi ſunt oẽs, & quod negabit primus, id alter tertius've aut etiam quartus ſuppeditabit. Erit fortaſſis, cum luſtratis omnibus, nihil tamen quod ſit in rem noſtram inueniemus. at ne ſic quidem abijciendus erit clypeus, nec arena cedendum. imò verò redeundum ad caput, & per ſingulos rurſum locos eundum, videndumq́; ſi quid forte prius oculos noſtros ſubterfugerit, ſi quid minus diligẽter expenſum ſit. Quod ſi faciemus, nunquam erit res vlla, in quam non aliquot certe argumenta habere poſſimus. qua de re plura libro ſecundo.*

*¶ Se poſt Ariſtotelem, Ciceronem, Quintilianum, Themiſtiũ, Boethium, de locis ſcripſiſſe, non vt ſcriberet aliquid melius, ſed vt explicatius fuſiusq́; de ijs ageret, & ad captum iuuentutis magis ſeſe accõmodaret.*

## CAPVT III.

*Difficile eſſe de rebus obſcuris, nō obſcure diſſerere.*

POſſum equidē videri craſſius effu
ſiuſq; aggreſſus eſſe iſtis de rebus
dicere, quàm vel pro natura ipſa-
rum vel pro more illorum qui ante
nos iſta tradiderunt. Nec ego quidem ſum tā
rudis veri, vt neſciam poſſe ſubtilius iſta ſpi-
noſiuſq; dici: cum ſit nihil alioqui facilius, quā
ſuæ quodque relinquere naturæ, & de obſcu-
ris obſure diſſerere: contrà vero magni ſudo-
ris eſſe, †Cerberū ab inferis extrahere, hoc eſt, 1
abſtruſa & in rerum interiore receſſu latentia
proferre in lucem, & tanquam ſpectanda pro
ponere. Sed cupio explicare iſta meæ turbæ,
id eſt craſſioribus atq; harum rerū imperitis,
quando doctis quidē ſuperuacuus eſt præce-
ptor. Vellem itaq; me † non dicere modo iſta, 2
ſed vel pingere ſi res id caperet, vel ſculpere
etiam poſſe, & tum quoq; pulchrè mecum agi
putarem, ſi non ſic etiam mihi ſoli iſta viderer
elaboraſſe: ſed aliqbus profuturus labor meꝰ,
aliquorum eſſet ſtudia iuuaturus. Quæ mens
vtinam fuiſſet pleriſq; maximis & pari inge-
nio facundiaq; viris: haberemus apertiora illu
ſtrioraq; in philoſophia profecto omnia. Vt
enim eos tranſeam, qui rerum omnium natu-
ram vel † ad numeros conati ſunt, vel † ad fi- 3
guras redigere. vt eos etiā, † qui omnia inuo- 4
lucris atq; ambagibus quibuſdā velut myſte- 5
ria texerūt. iam † qui obſcuritatem in dicendo 6

ſecuti,rerum lumen orationis tenebris obrue-
runt:credas eos illa quæ ſciebant nõluiſſe pro-
dere,& reticere nequiuiſſe. De Ariſtotele di- *Ariſtoteles.*
cã.Hic enim propemodũ ſolus omniũ priſcæ
ætatis philoſophorũ permãſit in manibus,hũc
ſolum qui philoſophiæ deſtinantur attingunt,
hunc primũ pueri diſcunt,huic vltimũ ſenum
7 ſtudiũ immoritur:† hunc artes omnes, omnia
ſtudiorũ genera,terunt,trahũt,diſcerpũt.Ma-
gnus vtiq; vir,& quẽ iure omnis miretur po-
ſteritas.Nec enim vel memoriæ viri,abſoluen
dis omnis philoſophiæ partibus optime de ſtu
diis meriti,obiectum quicquã velim: vel lau-
di,quam tot ſeculorũ firmauit opinio, putem
quicquã detrahi poſſe.Sed videtur mihi dolẽ *Ariſtotelis in ſcribẽdo obſcuritas.*
dum eſſe,ſediſſe illud animo grauiſſimi homi-
nis,vt non ſimpliciter atq; aperte proferret,
quæcũq; inuenerat:vt præter laborẽ, quẽ ipſa
rerũ eſſet habitura obſcuritas,alia nobis etiam
ex ipſo obiiceretur difficultas,quo neceſſe ha-
8 beremus mentẽ ipſius,† velut oraculi ſuſpen-
ſam & ambiguã,indagine perquirere. ¶ The- *Ariſtotelem aliter docuiſſe domi quã libris euulgauerit.*
miſtius itaq; author eſt,longe aliter omnia fo-
ras eſſe edita ab illo,quã ſint domi tradita.de-
mẽtiæq; ſimile eſſe, ſi quis legẽdis libris ipſius
ſperet illius ſe ſententiã conſecuturũ.Sed quid
Themiſtium dico? Ipſe de ſe locupletiſſimus
9 eſt teſtis.Scribit enim † quadã ad Alexandrũ
epiſtola,edidiſſe ſe quæ ad philoſophiã perti-

nent:ſed perinde tamen, niſi qui ab eo audie-
rint eadem iſta, ac ſi edita non eſſent, futura.
Nos tamen omneis illius non ſententias mo-
do, ſed verba etiã pertinaciſſime & mordicus
tenemus† ac ſi quis mouere quicquam tentet, 10
aut diſcedat† tranſuerſum (quod aiunt) digitũ 11
ab eis, †non aliter atq; qui ſecantur vrũturq;, 12
clamamus, faciliusq; tulerimus, de myſteriis
ſummaq; religionis aliquid auferri. ¶ † Ego 13
Ariſtotelẽ ſummo ingenio, doctrina, eloquen
tia, rerũ peritia, prudentiaq;, & vt ſemel dicã,
ſummũ quidem hominẽ: ſed hominem tamen
fuiſſe puto, hoc eſt, quem & latere aliquid po-
tuerit, quiq; vt nõ omnia primus inuenerit, ita
aliis poſt ſe inuenienda aliqua reliquerit: qui
etiã non omnia quæ inuenerat, crediderit in
vulgus prodenda: & nonnunquã fortaſſe con
tradicendi ſtudio, quo maxima ferè tentantur
ingenia, non tam quid ipſe ſentiret, quàm con
trà quod alius ſenſiſſet, dicendũ putaret. Plu-
rima ille recte, ſed & alius aliquid non male.
Quo iuſtiorẽ ego veniã credo illis eſſe oporte
re, ſi qui fuerũt, qui putarẽt nõ vtiq; illi tãquã
ſcopulo vſquequaq; adhæreſcendũ eſſe, neq;
de ſuis deſperarũt ingeniis: cũ ingrati poſſit &
iniq̃ de parẽte omniũ natura exiſtimantis vi-
deri, credere ipſam omnia ſua in vno illo par-
tu effundentẽ munera, reliquæ poſteritati hu-
mani generis in omne æuum ſterilẽ effoetamq;

Cenſura Rodolp. de Ariſtotele.

14 manere voluiſſe.¶ †Verum de re noſtra dica- mus,ſcripſit de locis octo libros,erudite & di ſerte,ſicut omnia: ſed anguſtius videtur eorũ 15 concluſiſſe materiã. †Voluit enim cuncta de quibuſcunq; differerem⁹,intra quatuor quæ- ſtiones contineri. vt quæreretur, definitio ne eſſet,an genus, an propriũ,an accidẽs. vt ſint hæ queſtiones eiuſmodi,ſit ne animal rationa- le diffinitio hominis, ſit ne hominis gen⁹ ani- mal,ſit ne propriũ hominis docibile eſſe,ſit ne accidẽs ei⁹ albũ eſſe.Sane quicquid vlla de re queꝛim⁹,intra aliquod horũ quatuor recidit, neq; eñ plura ſunt,que poſſũt vlla de re dici. Sed nõ id agim⁹,vt de iſtis ſemp quæramus ſub nominib⁹ illis,que ab Ariſtotele ſunt poſi ta,nec eñ quero ſemp,ſit ne albũ accidẽs ho- minis:ſed ſimpliciter, ſit ne homo albus. Sic etiã,nõ,ſit ne definitio defect⁹ ſolis,interpoſi- tio lunæ inter ſolẽ & aſpectũ noſtrũ. ſed, ſit ne ſolũ hoc illud.Nã fuerũt etiã q aliud aliquid crederẽt eſſe defectũ ſolis.Sic de aliis etiã non quærimus,ſit ne hominis gen⁹ animal,& pro- prium docibile:ſed per ſe,ſit ne homo animal, & ſit ne docibilis.¶ Verũ hæ quæſtiones oẽs, de quibus nos loquimur, quoniam ſolum id agunt, vt ſciamus,ſit ne hoc in illo,vt cũ quæ- ro,ſit ne homo animal,id percõtor,inſit ne ani mal in homine, & reliqua in hunc modũ. quia etiam inſit nec ne,de accidente primum ſolet

*Cauſſa prima, cur Topica Ariſtotelis minus ſatis faciũt ſtudioſis.*

*Obiectio.*

quæri: poterat idcirco videri, quod ad has quæſtiones pertinet, ſatis eſſe accidentis tra-
Dilutio, ctatu explicatum.¶ Eſſet hæc aliqua ratio, ſi o-
cōplectēs mnia quæ ad oſtendendū ineſſe aliquid accō-
cauſā ſec modata ſunt, recenſuiſſet Ariſtoteles, cum de
cundam. accidente loqueretur.¶ Sed neq; locos deſcri-
Cauſa bit, neque numerum ipſorū facit, aut nomina.
tia. ſed deducta ex locis argumēta quæſtioni pro- 16
Quarta. poſitæ applicat.¶ Deinde † pleraque pro locis ponit, quæ nullius propria ſunt loci. vt cū dicit, inſpiciendū eſſe, quib⁹ inſit aliquid omnibus, vel quib⁹ nullis, id eſt de quibus vniuerſaliter aliquid affirmetur vel negetur. Ea de quibus affirmatur dicit eſſe ſpecies. Quid ergo? definitio, genus, proprium, non omnibus inſunt? Iam pleraq; etiā accidētia, ſi debemus accidens vocare quicquid nō eſt aliquid triū illorum, inſunt omnibus. Nam quod non de aliquibus nō negetur vniuerſaliter, nihil propemodum eſt. quicquid enim affirmatur de aliquo, de aliquo etiā diuerſo naturæ ſuæ negatur. Iam quod dicit, præſcribendum eſſe diſſerenti, quas res oporteat vocare vt vulgus, quas contrà: ſic etiā, ſi propoſita ſit res tenuior ad diſſerendum, quo pacto ad vberiorem aliquam elabendum: ſic pleraque alia, quæ non res nobis ſubiiciunt vnde poſſimus deducere argumentum, ſed diſſerentis tantum aſtus arteſq; cōtinent: haud video quo pacto iſta poſ-

ſint loci vocari.¶ Quid ergo? non vtiliter præ *Cauilli*
cipiũtur iſta? Vtiliſſime certe. Quis neget? Sed *ſubmotio*
non tamen quicquid diſſerenti vtile eſt, locus
erit. Niſi & didiciſſe multa & diligenter id
quod in diſceptationem venit perſpexiſſe, &
cõtẽtioſius aliquãdo aliquid affirmare, locos
credere velimus: cũ ſine prioribus illis nemo
17 cõmode diſſerere queat, &† conſtans aſſeuera
18 tio perſæpe argumenti impleat fidem.¶ † Ad- *Quinta*
de, quod videtur nimis arctos dediſſe fines *cauſſa.*
dialecticæ, qui iis quatuor quæſtionibus termi
nauit eam. Cũ doceat enim rationẽ argumẽtan
di, vel (quod idem eſt) probabiliter diſſerẽdi
dialectice, videtur tã late diſtentos habere ter-
minos, quam ſunt omnia de quibus ratione
atque via aliqua diſſeri poſſit, neque vllã cer-
tam ſibi præfinire materiã, ſed arma tantũ da-
re, quibus parati inſtructiq; ſimus in omne cer
tamen.¶ Sed de his quiſq; vt videbitur ſta- *Cauſſa*
tuat, illud res ipſa conuincit, magni & immen *ſexta.*
ſi laboris eſſe, auulſos ab illis quæſtionibus
quas ipſe inſtituit, locos, in alium aliquẽ diſſe-
rendi vſum traducere. Quiqui itaq; philoſo-
phiæ hodie nomen vſurpant, cupiuntq; paulò
videri doctiores, libros illos legunt quidem,
cũq; Peripateticos & haberi ſe & dici velint,
quæ præcipua ſemper Peripateticorum fuit
19 laus, de qualibet re ꝓpoſita in vtranq; partẽ
apte expediteq; diſſerẽdi, eã tamen vt præſtẽt,

multū vtiq; abeſt. † Dictata potius (vt inquit
Cicero) & in ſcholis multis iam ſeculis per ma
nus tradita decantant. Qua id cauſa credā fie-
ri, niſi id (quod opinor) difficillimū eſt maxi
miq; negotii, ex inſtituta Ariſtotelis locorū ra-
tione, facultatē prōpte copioſeq; diſſerēdi ex-
pedire? Sequuti ergo alij, certos definitoſq; in
omnē vſum diſputādi fecere locos. E quibus
Cicero, & in libro quem ad Quintū fratrē de
oratore ſcripſit, & in partitionibus ad filium,
enumerare eos ſatis putauit. † Ad Trebatium 21
autem, libro vni huic rei deſtinato, copioſius
omnia execut⁹ eſt. Sed vir vt multarū magna-
rumq; artiū, ita iuris etiā peritus, habita præſer
tim Trebatii ratione ad quē ſcribebat, qui &
ipſe inter primos ius profitebatur, omnia ex
iure ciuili exēpla deduxit. Quo fit, vt nōnul-
la paulò obſcuriora ſint, non aſſuetis auribus.
Quintilianus deinde in quinto inſtitutionū,
tradidit eos, † magis (quātū videtur) vt obſer 22
uatū aliis ſequeretur morem, quā quia puta-
ret ad inſtitutū ſuū magnopere pertinere. Itaq;
eſt videre, ab dialecticis rhetoribuſq; acceptos
locos, permixtos ab eo, & in vnum confuſos
aceruū. Themiſtius poſt hos & Boethius, ean-
dem rem tractauerūt. Boethius nō aliud ſane
videtur egiſſe, quā vt relatū Ciceronē & The
miſtiū, quenq; per ſe primū, deinde cōferret,
& ſingulos vtriuſq; locos, alterū alteri hincin-

Ciceronis Topica.

Quintilianus de locis.

de coaptaret. Themiſtiũ, qui poſt Boethiũ ſcri- Themiſtius.
pſerunt, maluerunt ſequi. Omnes tamen ſatis
crediderũt, locos vel nominare, vel paucißi- Boethius
mis verbis ſignare, quid eſſent. Credo, quod arbitrari ſint, altiorẽ locorũ notitiã ex penitiore philoſophia petendã. Haud dubie verũ eſt: ſed longum id eſt, nec omnibus vacat, & breuius aptioreq́ꝫ cõpendio, quantũ ad conſonã rem neceſſarium eſt, id confici poteſt, vt dicatur hic in huiuſmodi opere, quæ ſit proprietas vniuſcuiuſq́ꝫ. † Ego, vt qui in nullius iurauerim verba, vt quiſq́ꝫ placuit author, aut ſicubi nemo ſatis, pro authore rationẽ ſum ſecutus. Non equidem, quòd melius aliquid effecturum me ſperem, quã maximi illi doctiſſimiq́ꝫ viri (qui poſſem enim?) ſed vt craſſius effuſiusq́ꝫ iſta (vt prædixi) tradã: aſſequarq́ꝫ, vt ſi minus hæc ſubtiliter diſputata eſſe, ſaltẽ (quod voto meo ſufficit) aperti⁹ explicata videãtur.

SCOLIA IN CAP. III.

1 *Cerberum † ab inferis extrahere.* ] Id Herculem *cerberus*
*feciſſe ſcribunt poëtæ tragici, qui cum ab Eury- extra-*
*ſtheo abducendi canis gratia miſſus eſſet ad infe- ctus ab in-*
*ros, Palladis beneficio id quod iuſſus erat perfecit, quem- feris.*
*admodum apud Homerũ octauo libro Iliados refert Pal-*
2 *las ipſa.* ¶ *Non † dicere modo iſta, ſed vel pingere.* ] Vt *Numeri*
*qui auriũ ſenſu capere hæc non poſſent, ſaltem viſu per- Pythago-*
3 *ciperent.* ¶ *Ad † numeros.* ] *Hi fuerunt Pythagorici, ricorum.*
*de quibus in placitis philoſophorum ita Plutarchus,*
*Rurſus ab alterius auſpicatu philoſophiæ Pythagoras*

*Mneſarchi, Samius, qui primus philoſophiam hoc nomi-
ne appellauit, principia rerum numeros eſſe cenſuit, & 
eorum ſymmetrias, id eſt accommodatas proportiones.*
¶ *Ad figuras.*] *Ab hac ſententia non ita longe videntur* 4
Plato. *diſtare ea, quæ diſſerit apud Platonem Timæus. Ariſto-
teles certe tale quiddam Platoni aſcribit in libris de cœlo,
aduerſus illum (vt videri vult) docens, corpora ex pla-
niciebus conſtare non poſſe.* ¶ *Qui † omnia inuolucris* 5
Symbola Pythagorica. *atq; ambagibus.*] *Mirum ni ad Pythagorica illa alludit
ſymbola. Ac vetuſtiſſimi quidem illi philoſophi, ſacratio-
ra eſſe philoſophiæ myſteria arbitrabãtur, quàm quæ te-
mere proferenda eſſent in vulgum.* ¶ *Qui † obſcuritatẽ* 6
Heraclitus. *in dicendo.*] *Horum ex numero tantum non primus ſit
Heraclitus ille Epheſius, qui & cognomen inde inuenit,
dictus* σκοτεινὸς *apud Græcos, hoc eſt tenebricoſus.* ¶ *Hũc
† artes omnes.*] *Quæ enim ars hodie ita docetur, vt non* 7
Ariſtoteles. *crebo infulciantur placita Ariſtotelis? Quanquam hac in
re longe primas tenent quidam concionatores, qui ita de-
mum egregie inſtitui credunt rudem plebeculam, ſi quã
ſæpiſſime eis in ore obambulet gẽtilis ille (vt vocãt ipſi)*
Oraculorũ obſcuritas. *Magiſter.* ¶ *Velut † oraculi.*] *Oracula enim inuolucris* 8
*quibuſdam obſcurari ſolebant, & per hunc modum mul-
tis imponere. Notiſſima eſt reſponſio data Epirotarũ re-
gi Pyrrho, dico te Æacida Romanos vincere poſſe. Quo
pacto & Alexandrum illum Moloſſum, & Annibalem
Carthaginienſem deceptos fuiſſe, referũt Appianus &
Liuius. Adriano quoq; imperatori deum conſulenti de
euentu belli aduerſus Parthos, quàm inuolutæ reſpõſum
ſit, explicat Macrobius, libro ſaturnaliorum primo, capi-
te vigeſimotertio.* ¶ † *Quadam ad Alexandrũ epiſtola.*] 9
*Ea epiſtola eſt eiuſmodi:* Αριστοτέλης βασιλεῖ ἀλεξάνδρῳ εὖ
πράττειν. ἐγέγραφας μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος
δεῖν

λᾶν ἀυτοὺς φυλάττειν ἐν ἀποῤῥήτοις. ἴσθι οὖν ἀυτοὺς καὶ ἐκδεδο-
μένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν
ἀκούουσιν, ἔῤῥωσο. Eorum verborum ſententiam ita reddi-
dit Gel. ἀκροαματικοὺς libros, quos editos quereris, non Gelli.lib.
perinde vt arcana abſconditos, neq; editos ſcito eſſe, neq; 20.capi.
non editos. quoniam ijs ſolis qui nos audiunt, cognobiles te 4.
10 erunt. ❡ †Ac ſi quis mouere.] Conuellere, arguere, mi-
11 nus probare. ❡ Tranſuerſum quod aiunt culmum. Id eſt
vel minimum, tantillum. Similia ſunt, latum culmum, la-
12 tum pedem, tranſuerſum digitum diſcedere. ❡ †Non ali-
ter atq; qui ſecantur vrunturq;.] Clamamus inquit præ
indignatione haud ſecus ac ſolent ij, quos medici ſecant
13 aut cauterio adurunt. ❡ †Ego Ariſtotelem.] Summus Cenſurâ
nimirum (inquit) vir fuit Ariſtoteles, at non is tamen, Rodol-
cui opporteat adhærere per omnia. Cuius rei triplicem phi de
affert cauſam. Primum, quòd quemadmodum multa no- Ariſtote-
uit, ita quædam etiam veriſimile eſt ipſum neſciſſe. Dein- le.
de, quòd non omnia quæ inueniſſet, putarit eſſe proferen-
da in lucem. Poſtremo, quòd maior ei cura interim fuerit
14 contradicendi alijs, quàm veri inueniendi. ❡ †Verum vt Cenſurâ
de re noſtra dicamus.] Sex in ſumma cauſas enumerat, de topicis
propter quas topica Ariſtotelis minus videantur ſatis fa- Ariſtote-
cere ſtudioſis. Primum, quòd materiam eorum librorum lis.
anguſtis nimium ſepſerit terminis. Alteram, quòd non
omnia ea enumerat Ariſtoteles, quibus ineſſe aliquid, aut
non ineſſe oſtenditur. Tertiam, quòd locos neq; deſcribat
neq; in certum aliquem cogat numerum, ac ne nominet
quidem. Quartam, quòd quædā pro locis ponat, quæ nul-
lius propriè ſunt loci. Quintam, quòd totius etiam diale-
cticæ, nedum horum librorum, arctos nimium terminos
eſſe voluerit. Poſtremam, quòd tam inuoluta obſcuraq;
ſint apud illū omnia, vti ſummæ difficultatis ſit, ex ipſius

*quæſtionibus ac locis, diſſerendi vſum copiamq; parare.* Ex his ſecunda, tertia, & quarta, non ponuntur à Rodolpho vt principales cauſæ, ſed vt particulæ dilutionis cuiuſdam, qua occurrentem dimouet obiectionē. ¶ † *Voluit enim cuncta &c.*] Fuit qui hunc locum ita acciperet, quaſi Rodolphus plura velit eſſe prædicata (vt vocant) dialectica quàm quatuor. Verum longe aliud agit Rodolphus, quod vt intelligatur, noſſe debemus, tria eſſe quæſtionum genera. Vnum quo quæritur an ſit res: vt ſint'ne antipodes, ſint'ne aliquid manes & ſubterranea regna. Alterum, quo quæritur num hoc illi inſit: vt ſit nec'ne deus omnipotens, noceat an proſit plus eloquentia. Hic enim illud in dubium vertitur, ecquid omnipotẽtia in'ſit in deo, & in eloquentia plús ne inſit commodi an incommodi. Tertium, quo ambigitur, quo modo vnũ alteri inſit, num vt finitio, vt genus, vt proprium, vt accidens. Quod genus ſunt illa, num animal rationale ſit definitio hominis, ſit'ne virtus genus iuſtitiæ. Iam Ariſtoteles in topicis ita loqui videtur, quaſi ad dialecticũ pertineat ſolum poſtremum hoc quæſtionum genus, non etiã duo illa priora. Atq; hoc eſt quod conuellit Rodolphus, putans omnia hæc quæſtionum genera ex æquo ad dialectici munus pertinere: qua de re plenius libro 2. capite 7. 15

*Tria quæſtionum genera.*

¶ † *Pleraq; pro locis ponit.*] Quæ hic recenſet Rodolphus, apud Ariſtotelem in ſecundo libro ſunt topicorum. 16

¶ † *Conſtans aſſeueratio.*] Hoc ipſum & Quintilianus docet libro vndecimo: vim perſuadendi conſtare aſſeueratione, quæ interim plus ipſis valeat probationibus. 17

¶ † *Adde quòd videtur nimis arctos.*] Vide libri ſecundi caput quintum. 18

¶ † *In vtranq; partem apte expeditéq; diſſerendi.*] Cicero in ſecunda Tuſculana. Itaq; mihi ſemper (inquit) Peripateticorum Academiæq; cõ 19

*Laus Peripateticorum.*

ſuetudo, de omnibus rebus in contrarias partes diſſeren-
di, non ob eam cauſam ſolum placuit, quòd aliter non poſ
ſet, quicquid in vnaquaq; re veriſimile eſſet, inueniri: ſed
etiam, quòd eſſet ea maxima dicēdi exercitatio, qua prin-
ceps vſus eſt Ariſtoteles, deinde qui eum ſecuti ſunt. Ea-
dem fermè ſententia apud eundem Ciceronem eſt quinto
20 libro de finibus. ¶ †Dictata potius vt inquit Cicero.]
Verba Ciceronis quarto libro de bonorum ac malorum
finibus ſic habent. Cumq; duæ ſint partes quibus perfe-
cte ratio & oratio compleantur, vna inueniendi, altera Dictata
diſſerendi, hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, in ſcholis
priorem autem illi egregie tradiderunt, Stoici omnino ne canere.
attigerunt quidem. Nam è quibus locis quaſi theſauris
argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem
ſunt, ſuperiores autem artificio & via tradiderunt. Quæ
quidem res efficit, ne neceſſe ſit iiſdem de rebus ſemper
quaſi dictata decantare, neq; à commentariolis ſuis diſce-
21 dere &c. ¶ †Ad Trebatium autem.] De his topicis Ci- Cicero-
cero ipſe libro familiarium epiſtolarum ſeptimo, ad Tre- nis Topi-
batum ſcribens. Itaq; vt primum (inquit) Velia naui- ca.
gare cœpi, inſtitui topica Ariſtotelica conſcribere, ab
ipſa vrbe commonitus amantiſſima tui. Eum librum tibi
miſi, Regii ſcriptum, quam planiſſime res illa ſcribi po-
tuit. Sin tibi quædam videbūtur obſcuriora, cogitare de-
bebis, nullam artem, literis ſine interprete, & ſine aliqua
exercitatione, percipi poſſe. Fabius quoq; libro quinto
inſtitutionum de Ciceronis topicis loquens. Et ille qui-
dem (inquit) non his exemplis vtitur, quia ad Trebatiū
ſcribens, ex iure ea ducere maluit. ego apertiora poſui.
22 ¶ †Magis (quantum videtur) vt obſeruatū alii ſeque-
retur morem.] Hæc verba quid ſibi velint, planius intelli
gi poteſt ex decimooctauo capite libri ſecūdi. Quo in loco

*docet Rodolphus, tractatum de locis ad ſolum dialecticū, non etiam pertinere ad rhetorem.* ¶ †*Ego vt qui in nullius.* ] *Sic Horatius: Nullius addictus iurare in verba magiſtri.*

## ¶ *Loci quomodo diuidantur.* CAP. IIII.

*Locorum alios internos eſſe, alios externos.*

CVM † (vt diximus) nihil ad faciēdam de altero fidem poſſit aſſumi, quod non aliqua parte cum ipſo ſit cohærens, illud imprimis ſciamus oportet, quædā ita cohærere rebus, vt ipſis inſint fixa rebus, alia vt extra ipſas ſint. In ipſis ſunt rebus, vt ſi probē moriturū Ciceronem, quod homo eſt, ꝙ ex corruptibilibus cōpoſitus eſt elemētis, quòd doloribus morbisꝙ obnoxius ſit. Hæc omnia planū eſt ineſſe Ciceroni. At ſi dicā, mortali patre mortaliꝙ matre natum, & omnes ante ipſum homines mortuos eſſe, nihilꝙ niſi deum & diuina eſſe immortale. Hæc omnia, pater materꝙ, & cuncti ante ipſum homines, & deus diuinaꝙ, extra Ciceronem ſunt. Hanc itaꝙ faciamus primā diuiſionē locorum, vt alii interni ſint, alii externi. ¶ Rurſus ea quæ in rebus ſunt, alia in ſubſtantia earum ipſarum, alia circa ſubſtantiam ſunt.

*Internorū locorū diuiſio.*

¶ In ſubſtantia ſunt, ē quibꝰ res idipſum quod ſunt accipiunt, qualis definitio. Quanquā ea non tam in ſubſtātia videatur, quā ipſamet rei eſſe ſubſtātia. Præterea illa quæ complectitur definitio, vt eſt genus, & ꝓpria rei notio, quā

differentiam vocamus. Atq; ea quoniam vel
idẽ eſt ei quod propriũ dicim⁹, vel pro ea pro-
prio maxime vtimur, locũ illi⁹ proprii quoq;
ſignificemus nomine. Partes etiã in ſubſtantia
ſunt totius, quando niſi ex ipſis confici res nõ
poteſt. Tum etiã quæ cõiugata dicuntur, id eſt
quæ ſolo nominis quodam deflexu diſtãt, vt
ſunt ſapiens & ſapientia, candidum & cãdor.
Tametſi enim ſapientia non inſit in ſubſtantia
ſapientis quatenus homo eſt: cũ tamen de ſa-
piente diſſeritur quatenus ſapiens eſt, certum
eſt eſſe in ſubſtãtia ipſius ſapientiã, & nec in-
telligi quidẽ, nedũ eſſe ſine ipſa poſſe. Adda-
2 mus etiã iſtis, ſpeciẽ & totũ. † E quib⁹ ſpecies,
quamuis non videatur in ſubſtãtia eſſe gene-
ris, tamen quia pars ipſius eſt, & gen⁹ quãuis
ſine ſingulis ſpeciebus fortaſſe, ſine omnibus
tamen eſſe non poteſt: & totũ itidẽ, quãuis poſ-
ſint ſine ipſo permanere partes nõnullis in re-
bus, hoc ipſum tamẽ quòd partes ſunt, ſine to-
to habere nõ poſſunt. Pleræq; etiã partes eius
ſunt cõditionis, vt manere ſine toto non poſ-
ſint. neq; enim deſectã manum, neq; euulſum
oculũ, magis dixeris eſſe id, quod antè fuerũt
quã eadem vel picta, vel ære, aut alia quauis
materia expreſſa. Verũ hæc vtcunq; ſint, haud
ita multum in præſentia retulerit nr̃a. Id quod
ſufficit, quãdo cognatiſſima ſunt iſta iunctũq;
habent tractatum, nos in eundem ea ordinem

redigamus.¶ Circa ſubſtantiam ſunt ea, quæ, cum rei inſint, modum quendã ipſi affectionemq́; afferunt. Ea duplici eſt cõditione accipere. Aut manent enim quietisq́; habent faciẽ: vt ſunt decor, robur, ſanitas. Aut in agitatione fluxuq́; quodam ſunt poſita. vt pugnare, dormire, currere. Vocemusq́; illa adiacentia, hæc actus. Iungamus iſtis illa, quibus hæc inſunt. Ea ſunt quæ ὑποκείμενα Ariſtoteles, nos vſitato ſane verbo ſubiecta dicimus. Sic eloquentiæ ſubiectũ dicimus Ciceronem, & ſeueritatis Catonẽ, & quanque rem, prout quodque adiacens aut actus in ipſa eſt. Internorũ itaq; locorum, hæc ſit nobis enumeratio.¶ Externi vero ad hunc maxime ſeſe modũ habẽt. Quædã nanque eorum quæ ſunt extra rem, neceſſario quodam vinculo coniuncta ſunt rei. Eaq́; aut ſunt huiuſmodi, vt per ipſa res fiat, quæ cauſę vocãtur. vel efficiens, vt ædiũ faber. vel finis, vt ædiũ habitatio. Quib⁹ etiã iungũtur ea, quę Cicero tum effecta vocat, tum euẽta. mihi maxime placet euẽta dici. Vt ſint proprie, quæ ab efficiente fiunt, effecta, vt à ſutore calceus. quę propter finem, deſtinata, vt calceus ob tutandos pedes. Hæcq́; vno nomine poſſunt vocari cognata.¶ Alia ſunt quæ dicimus applicita, quæ ſunt eiuſmodi, vt non fiat quidẽ per ipſa res, ſed habitudinẽ quandã nomenq́; accipiat ab ipſis. Eorumq́; aliud rẽ ipſam cõplectitur,

*Diuiſio externorũ locorũ.*

vt locus, Aliud actus ipſius metitur, vt tēpus. Aliud alio quodam modo cum ipſa re cohæret, ea ſunt quæ connexa dicere placuit, qualia ſunt, diuitiæ, regnum, amicitia. ¶ Rurſus autē, alia eorum quæ extra rem ſunt, neceſſitate nulla rei cohærent. Quorum quædā eius ſunt generis, vt ea ipſa & res, cum altero alterum, & ſine altero eſſe & non eſſe poſſit, eaq́ dicimus accidentia. Alia ſunt quorum alteri infeſtum eſt alterum, inq́ mutuā viciſſim perniciē tendunt. ea repugnantia vocamus. Et accidentiū quidem, aliqua hoc pacto ſe habent, vt vnum vni conferatur. Idq́ vel res rei, vt iurgium cædi, pallor ægritudini. ea dicimus contingētia. Vel verba rei, quod vel ſingulis fit dictionibus, vt cum nomen rei cum re componimus, vel orationem rei, vt laus viro forti, vituperatio ſceleri, ea vocamus pronunciata. Aut duo conferuntur in vno tertio, quorū alterum altero vel maius eſt, vt rex populari, opibus. vel minus, vt diſcipulus magiſtro, eruditione. vel par, vt iuſtus iuſto, probitate. Aut duo in duobus conferuntur, vt hyems & ſenecta, in frigore & ſegnicie. tempeſtas & ira, in iactatione maris & perturbatione mentis. vocanturq́ hæc ſimilia, illa vero comparata. ¶ At repugnantium, quædam dicuntur oppoſita, quorum vnum aduerſatur vni, & certa reſiſtit lege, vt frigidum

calido, cæcitati viſus. Quædã, vel vt vulgus, diſparata: vel vt Seneca videtur velle, diſtantia dicũtur. Ea ſunt, quæcunq; non poſſunt id ipſum eſſe alterum quod alterum, vt homo, equus, bos. Itẽ homo & cãdor, cãdorq; & velocitas, diſtãt, quia nullũ eorũ aliud eſt alii idẽ.

*Huius capitis epilogus.* ¶ Hæc eſt ergo locorũ ſumma, vt ſint interni qui in ſubſtantia, definitio, genus, ſpecies, proprium, totũ, pars, coniugata. Qui circa ſubſtãtiam ſunt, adiacentia, actus, ſubiectũ. Externi autem, quæ cognata dicuntur, efficiens, finis, effecta, deſtinata. Quæ applicita, locus, tẽpus, cõnexa. Quæ accidunt, cõtingentia, pronũciata, nomen, cõparata, ſimilia. Quæ repugnant, oppoſita, diſtãtia. ¶ Non ignoro autẽ alios authores alia nonnullorum locorũ quã nos nomina tradidiſſe: quoſdam plures, etiã paucio res quoſdã feciſſe. Qui ſi quibus magis placebunt, nihil impedio; habent quos ſequantur. mihi naturam ordinemq; rerum ſequenti, viſum eſt apertiſſime eos ſimul & diſtinctiſſime hoc pacto poſſe explicari.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

*CVm † (vt prædiximus.) ] Quam initio diuiſionem locorum affert Rodolphus, eam habet & Cice. Themiſtius triplices locos fecit, internos, externos, & medios. Quò autem facilius memoriæ commendari poſſent loci Rodolphi, ſequenti eos deſcriptione velut ob oculos ſpectandos expoſuimus.*

- Locorum
  - Alij interni ſunt, & hi rurſus
    - Partim in ſubſtantia rei, vt
      - Definitio
      - Genus
      - Species
      - Proprium
      - Totum
      - Partes
      - Coniugata
    - Partim circa ſubſtantiam rei, vt
      - Adiacentia
      - Actus
      - Subiecta
  - Alij externi, atq; hi
    - Aut cognata ſũt, quorum
      - Alia cauſæ ſunt: vt
        - Efficiens
        - Finis
      - Alia euenta, vt
        - Effecta
        - Deſtinata
    - Aut applicita, quod genus ſunt
      - Locus
      - Tempus
      - Connexa
    - Aut accidentia, quorum quinq; ſunt genera
      - Contingentia
      - Pronunciata
      - Nomen rei
      - Comparata
      - Similia
    - Aut repugnãtia, vt
      - Oppoſita
      - Differentia

*¶ †E quibus ſpecies quamuis non videatur.] Neq; ſpe-* 2
*cies (inquit) proprie eſt in ſubſtantia generis, neq; totũ in ſubſtantia partiũ: fecit tamen arctiſſima quædã horum cognatio velutiq; neceſſitudo, vt & generi ſpeciem, & totum partibus, in explicandis locis coniungeremus. Cætera quæ dicuntur hoc capite, partim ſatis aperta ſunt, partim ſuis quæq; locis explicabuntur, quare his miſſis reliqua aggrediamur.*

## DE LOCIS INTERNIS QVI SVNT IN SVBSTANTIA REI.

*¶ Quid definitio, quid genus, quid ſpecies, quid differentia, quid inter finitionẽ deſcriptionemq́; interſit. Ad quem modum rei vniuſcuiuſq; inquirenda ſit definitio. Et de generalibus aliquot legibus definiendi.*

### CAP. V.

IN hunc modũ velut ſemina quædam, & initia, & numerus locorũ deſcriptus ſit. Nunc rurſus à capite ordiẽtes, ſingulos exactius & vberius exequamur. Primus locus (vt diximus)
*Diffinitio q̃d ſit.* eſt definitionis. †Ea eſt oratio, qua quid ſit res 1
explicatur. Conuenitq́; †inter oẽs, debere con- 2
fici eã ex genere & differentia, vt ſit definitio hominis, animal rationale. in qua animal, genus eſt. rationale, differentia. homo, id ſcilicet
*Genus quid.* quod definitur, ſpecies dicitur. ¶ † Genus eſt 3
quod de pluribus ſpecie differentibus in quid eſt prædicatur, vt quærenti, quid eſt homo? quid eſt aſinus? quid eſt bos? bene reſpõdetur, homo eſt animal, aſinꝰ eſt animal, bos eſt ani-

mal.¶ Species, in quam ſub ſe comprehenſam diuiditur genus, vt homo eſt ſpecies animalis. Comprehenditur enim ſub animali. Nam qui omne animal dicit, etiam dicit & hominem, & diuiditur in ipſum. animalium enim dicimus, Species.
4 aliud homo eſt, aliud brutum. ¶† Differentia eſt propria rei nota, qua ſecundum idipſum quòd talis eſt, ab aliis diſtinguitur rebus. Eſtq; nobis vel maxime omnibus è rebus verarum differentiarum penuria. adeoq; putant nõnulli, non cognoſci vllius à nobis rei propriã veramq; differentiam: habere autem nos, quod fere in reliquis rebus facere ſolemus, pro vera quæ proxima veræ videtur accedere. Ea eſt in homine rationale. Eſt enim rationale ꝓpria hominis nota, nulli quippe animali niſi homini ineſt. conuenitq; homini, quatenus talis eſt, hoc eſt, homo, eo maxime videtur homo eſſe, quòd ſit capax rationis. Reliqua eñ, vt eſt bipedẽ eſſe, & erectũ ingredi, & manus habere, aut nõ ſunt ꝓpria ſoli homini, aut vt ſint propria, nõ tamẽ hominis, ſed partis, hoc eſt, corporis ſunt notæ. Et de rationali paucisq; admodum aliis, ſint necne veræ differentiæ, ſunt qui putent, ſunt qui negent. In reliquis nemo fere eſt, qui conſtanter vllius rei differentiam veram cognoſci poſſe affirmet. ambitu quodam & loquendi circuitu aliquid quod locum eius teneat effingimus, multaque Differentia.

perſæpe colligimus,quorum quodque latius
pateat,quàm hocipſum quod definitur. iun-
cta tamen æquãtur,& propriũ quiddã ipſius
efficiunt. Vt ſi definiã aſinũ eſſe animal ſolidis
pedibus,auritũ & fœcundum : nihil eſt iſtorũ
quæ poſt genus quod eſt animal ſumuntur,
quod non generalius ſit quàm aſinus. nam &
equus & mulus ſolidis ſunt pedibus,& mulus
lepusq́ue auriti ſunt,& omnia frre animalia fœ-
cunda.eo tamen quòd ſolidis pedibus dictũ
eſt,omnia præter equum & mulum excludun
tur.quòd auritum, equus. quòd fœcundum,
mulus excluditur.Itaque tãdem velut gradi-
bus quibuſdã ad id quod definitũ eſt, perue-
nitur.¶ †Quidã hanc definiendi formã, de- 5
ſcriptionem vocauere. Ego cum hoc nomine
Ciceronem atq; Ariſtotelem Græce quidem
ſed idem ſignificante, vſos videam, non eſt
quod maiores requirã authores. Neque enim
aliud videtur eſſe definire,quàm rem intra fi
nes naturæ ſuæ concluſam explicare, quod ſi
alia ratione facere poſſemus, eſſet fortaſſe ra-
tio mutandi nominis.nunc pro vera definien
di via,eam quæ ſola eſt,optimũ fuerit accipe-
re.†Deſcriptio enim, quæ poetis crebro, nõ- 6
nunquam oratoribus in vſu eſt, ea verboſius
rem exprimit,nec in id adhibetur, vt quid ſit
res indicet:ſed qualis ſit, velut inſpiciendam
ante oculos ponat. ¶ †Tradere vlla inuenien- 7

*Deſcriptio quo differt à finitione.*

dæ definitionis præcepta, haud in prõptu eſt. Illud eſt certum, quiſquis definire quippiam volet vtiliſſimum eſſe, cognitam ſibi naturam eius & diligenter perluſtratã habere. Id ſi fuerit, facile inueniet primũ in ipſa re quiddã cõmune, in quo cum aliis quæ ſimili ſunt natura conueniat. Sumamus exemplo nobis Ius definiendum. Inueniemus primũ, ius vim quandam in ſe habere cogendi & iuſſum, vnde nomen videtur traxiſſe. Itaq; erit ius nobis vel placitum vel decretum quoddam. Verum tamen non omne decretũ ius erit. nã & domini ſeruis, & philoſophi diſcipulis decreta edunt, quæ tamen ius non vocamus. Cogitemus igitur aliquid, quo iſta excludamus. Videmus poteſtatem quandã eſſe iſtis, ſed minorẽ quã vt iura facere poſſint: addamus ergo eſſe placitum maioris poteſtatis, hoc eſt, vel populi, vel in quem populus poteſtatem ſuã tranſtulit, vt ſenatus, vt princeps. Quid ergo? Quicquid iuſſerit princeps, ſi ſeruis vt lectum ſternant, vt cœnam inſtruant, ius erit? non videtur. ſed quod ciuitati iuſſum eſt, idq; quod ad ſtatũ eius tuendũ pertinet. Sed neq; id quidẽ ius erit, ſi vel partẽ aliquam ciuitatis grauius premat, vel finitimos contra fas naturæ gentium ve lædat. Aequum ergo eſſe oportebit. Circũferamus diligẽter oculos, videamusq;, ecquid intra complexum definitionis poſſit

*Definiendi præcepta.*

venire, quod nomine definiti non continea-
tur. ſed & contrà quoq;, cõtineatúr ne aliquid
definito, quod definitio non admittat. quæ ſi
non videbuntur, colligamus iam à capite o-
mnia, dicamuſq́;, †Ius eſt decretum maioris 8
poteſtatis ad tuendum ciuitatis ſtatũ, ex æquo
& bono inſtitutũ. ¶ Tradamus & aliud exem-
plum, iuuemuſq́; quantum poſſumus primà
diſcentium ſtudia. Quęramus quid ſit ciuitas.
Certum eſt ex hominibus conſtare eam, nec
poſſe ex vno tantum homine confici. itaq; re-
linquitur multitudinem eſſe, eritq́; id genus
ipſius. Sed multitudo, ſi paſſim vaga, ruri aut
in ſyluis agat, ciuitas non erit. idcirco collectã
facimus. At ne illa quidem, ſi decem aut cen-
tum ſint ciuitatem efficient. quoniam eò con-
duntur ciuitates, vt mutuis ſuccurrere caſi-
bus, communia pericula depellere, vtq́; ipſi
præſidio ſibi & adiumento eſſe ſine expecta-
tione opis externæ poſſint, quod quidem in ta
li numero contingere non poteſt. neceſſe igi-
tur erit eam eſſe frequentiam, vt ſtatum rerum
ſuarum per ſe tueri queat. Iam vero vt ſint
quamuis multi, ſed diſſideant animis, non cõ-
ſulant in commune, non vitæ genere conue-
niant, illam non ciuitatem dicas, ſed hoſtes po
tius tanquam feras vnam in caueam conie-
ctos. quapropter vinculo quodam legũ, con-
cordiam ipſorũ firmatam eſſe oportet. Quòd

ſi iam nihil aliud deeſſe nobis putamus, erit nimirum expleta definitio. Dicemus itaque ciuitatem eſſe multitudinem collectam, ad ſtatum rerum ſuarum tuendum per ſe ſufficientem, quę conſenſu ſit legum vitæque coniuncta.

*Generales definiendi leges.*

9 †Sũt autem in ſumma rectè definiendi leges, vt definitio neque plura complectatur quàm definitum, neque pauciora, ſed de quocunque vnum dicitur, dicatur & alterum. Deinde, vt quid ſit res, hoc eſt, ſubſtantiam, eius explicet. Præter hæc, vt aperta, hoc eſt, neque ambiguis nominibus, quæ in multas ducuntur ſignificationes: neque obſcuris aut ex longinquo tranſlatis, conſtet. Profuerit ad hãc rem, crebras aliorum definitiones ſoluere, & rationem ſingulorum verborum exigere, iudiciumque parare, & vſu tractandæ rei viam nobis patefacere. Iuuabit etiam notas res atque explicatu faciles definire. quod ſi diligẽter & cum ratione fiat, paulatim & difficiliorum ſpes erit. Vtilis eſt hæc definiendi ratio, cum propter rerum cognitionem, quæ definitione explicatæ mirum eſt quo pacto velut certum quoddam ſignum deſtinandarum cognitionum proponant animo. tum quòd parat authoritatem differenti. Neque enim melius rẽ noſcere videtur, quàm qui quid ea ſit, breuiter & apte poſſit explicare. Verum de definitione hactenus.

## SCHOLIA IN CAP. V.

Definitio. EA † eſt oratio,qua quid ſit res explicatur.] Sic Ci- 1
cero ad Brutũ: Siquidem definitio eſt oratio, quæ
quid ſit id de quo agitur, oſtendit quàm breuiſſi-
me. Et in primo de oratore: Eſt enim definitio (inquit)
rerum earum,quæ ſunt eius rei propriæ, quã definire vo-
lumus,breuis & circũſcripta quædam explicatio. ¶ †Cõ- 2
uenitq; inter omnes,cõfici eam debere ex genere & dif-
ferentia.] Præſtiterit ſanè ex genere & differentia eam
confici,modo ea ſemper aſſint ad manum, ſintq; eiuſmo-
di,vt per ea res commode explicari poſſit. Quod ſi nõ ſit,
longe præſtabilius fuerit,per cauſas,per euenta,per acci-
dentia,aut alia quæuis rem dilucide explicare, quàm per
Genus. genus & differentiam definire obſcurius. ¶ †Genus eſt 3
quod.] Hanc finitionem generis parum probat Lauren-
tius, propterea quòd interroganti quid ſit res,tota reſpõ-
denda ſit definitio,non ſolum genus: modo ſatisfacere ve-
limus interroganti, neq; dimidiatam dare reſponſionem.
Atq; eſt ſanè aliquid quod opponit Laurẽtius, neq; mihi
in præſentia ſatis ſuccurrit, quo modo id quod obijcitur
poſſit dilui,niſi dicere auſis, aliud eſſe reſpondere bene,
aliud totam interrogationem abſoluere. Qua de re alio
quodam in loco ita ad verbum ſcribit Rodolphus. Quòd
dicimus autem, quæſtionem generis eſſe interrogationi
quid eſt incluſam,id verum eſt,quoniã bene reſpondetur,
quid eſt homo? eſt animal: veruntamen non ſic, vt totam
interrogationem abſoluat, niſi addideris enim differen-
tiam vel proprium,non videberis ſatisfeciſſe quæſtioni.
Quo fit,vt cum de ſolo genere quæramus,ſolitum ſit in-
terrogari,nõ quid eſt,ſed cuius generis rerũ eſt. Vt cuius
generis rerum eſt lumen, ſubſtantiã ne an accidens? Et
ſentire, non quid ſit interrogamus, cum ſcire volumus,

agere

agere ſit an pati: ſed ad quod genus pertineat, actionis ne an paſsionis. Hæc Rodolphus libro ſecũdo capite ſeptimo. Verum vtcunq; res cadat, nihil eſt quod imputetur Agricolæ, quando non ipſe, ſed Ariſtoteles huius author eſt finitionis, apud quem primo τῶν τοπικῶν libro ſic legis. γένος δέ ἐστι, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον, id eſt, Genus verò eſt id, quod de pluribus & differentibus ſpecie, in quid, eſt prædicatur. Cicero primo libro de oratore genus finit hoc modo. Genus autem id eſt, quod ſui ſimilis cõmunione quadam, ſpecie autem differentis, duas aut plures complectitur partes. Quæ finitio cum prima fronte videatur obſcurior, breui eſt explananda exemplo. Virtus eſt genus quoddam: complectitur enim plures partes, hoc eſt, ſpecies, nempe prudentiam, iuſtitiam fortitudinem & temperantiam, quæ partes cum communione quadam generis, ſui id eſt inter ſe ſimiles ſint, tamen ſpecie differunt. Rurſum, genus eſt animal: duas enim partes cõplectitur, hominem & brutum, quæ partes etſi ſpecie ſunt differentes, tamen communione quadam ipſius generis nulla inter eas eſt diſsimilitudo, quoniam ipſa animalis ratio ex equo conuenit vtriſq;. Hæc vel idcirco aſcribẽda putaui, ne quis parum prudens, fidem habeat commentarijs ijs, qui hodie in hunc Ciceronis librum circunferuntur. qui vix dici queat, quàm inepte hunc explicent locum.

4 ¶ †Differentia eſt propria rei nota.] id eſt indicium, ſignum. Metaphora ducta, opinor, à pecudibus, quibus inuri aut etiam incidi ſolent notæ quædam, quo facilius

5 aliæ ab alijs dignoſcantur. ¶ †Quidam hanc definiendi formam.] Horum ex numero & Themiſtius fuit, & poſt eum Boethius, id quod ex topicis Boethianis liquere poteſt. Ariſtoteles, ſi exempla eius quæ in quinto ſunt Deſcriptio.

*topicorum libro cõſideres, proprij vocabulo hoc definien-
di genus comprehendiſſe videtur. Niſi ſi quis credat ob-
ſtare illud, quod eodem in loco, quiditatem rei, proprio
explicari negat.* ¶ †*Deſcriptio enim.*] *Hac de re ita Lau* 6
*rentius Valla. Quippe deſcriptio eſt qualitatum omniũ,
quæ alicui rei aſſunt, & earumdem actionum explicatio.
Quam ſententiam & Ciceronis verba cõfirmant in par-
titionibus: vbi non dubium (inquit) eſt id quidem, quin
definitio genere declaretur & proprietate quadam, aut
etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid
ſit eluceat. Sed quoniam de proprijs oritur quãdoq; ma-
gna diſſenſio, definiendum eſt ſæpe ex contrarijs, ſæpe
etiam ex diſsimilibus, ſæpe ex paribus. Quamobrem de-
ſcriptiones quoq; ſunt in hoc genere ſæpe aptæ, & enu-
meratio conſequentium, in primiſq; commouet explica-
tio vocabuli & nominis. Vides hic finitionis vocabulum
ſumi tam late, vt complectatur & eam definiendi ratio-
nem, cui deſcriptionis nomen dedit Boethius: & præ-
terea deſcriptionem velut diuerſum quiddam adiungi,
quod & in topicis facit. Idem tamen alijs quibuſdam in
locis nomen deſcriptionis aperte pro definitione poſuit:
vt primo libro de oratore, vbi hunc in modum loquitur
Antonius. Philoſophi deniq; ipſius, qui de ſua vi ac ſa-
pientia, vnus omnia penè profitetur, eſt tamen quædam
deſcriptio &c. Quo in loco deſcriptionem pro finitione
poni, nemo negabit, niſi qui locum ipſum nunquam vide
rit.* ¶ †*Tradere vlla inueniendæ definitionis præcepta.*] 7
*Quam rationem colligendæ definitionis affert Rodol-
phus, eam eſt mutuatus ex topicis Ciceronis. cuius equi-
dẽ verba non grauatus fuiſſem aſcribere, niſi liber vulgo
eſſet in manibus.* ¶ †*Ius eſt decretum.*] *A Celſo iurecõ-* 8
*ſulto ius definitur hoc modo. Ius eſt ars boni & æqui. ff.*

*de iuſtitia & iure. Cicero de oratore. Ius (inquit) eſt le-*
*gitimæ atq; vſitatæ in rebus cauſiſq; ciuium æqualitatis*
9 *conſeruatio.* ¶ † *Sunt autem in ſumma.] Quæcunq; de-*
*finiendi leges traduntur, huc ſpectant, vt cōuertatur de-*
*finitio cum eo quod definitur, & naturam eius cōmode*
*explicet. Eam legem quiſquis non violarit, hunc ſecurū*
*eſſe iuſſero legum reliquarum.*

### ¶ *Generis & ſpeciei vocabulis quomodo ſit hic vſurus.* CAP. VI.

1 GEnus, † ſpecies, differentia, quid
ſint, prædiximus. Illud quod ad
nomen generis & ſpeciei pertinet,
non ab re fuerit annotaſſe, eos, qui
exactius iſta diſtinguunt, addere iſtis indiui-
duum. Vt ſit genus quod in quid de pluribus
ſpecie differentibus: ſpecies, quæ de pluribus
numero differētibus: indiuiduū, quod de ſolo *Indiui-*
vno dicatur. Vt animal de hoīe, de boue, de *duum.*
leone dicitur. Homo de Scipiōe, Cicerone, Ca
tone. Cato de ſe ſolo Catone. Quāquā autē &
Cēſorius Cato & Vticēſis, vterq; Catones di-
cātur, illud nō fit propter cōmunē in ipſis ſpe
ciē: propter hāc enī hoīes dicūtur, nō Catones,
ſed ob ſolā nominū ſimilitudinē. Res qdē hoc
2 pacto ſe habet. † ſed quod ad ſpeciē attinet, ea
indiuiduis cōparata, hoc noīe forte parū apte *Speciē in*
notatur. Speciei nāq; nomen iſtud, ſola cōpa- *indiuiduis*
ratione ad gen⁹ videtur inditū: dictāq; ſpeciē *collatam,*
3 eſſe, † vel (vt Cicero maluit) formā, q cōfuſum *ſpeciei*

*rationem amittere.*

& informe genus expoliret, & ſpeciẽdum (ſic enim veteres loquebantur) nobis exhiberet. Indiuiduis autẽ comparata, nõ iam ſpeciei retinet, ſed generis potius accipit faciẽ. Ad argumentandi rationẽ, nihil propemodũ differre videntur, genus & ſpecies, ſpecies & indiuiduũ. Quẽadmodũ enim ſi omne animal currit, hominẽ neceſſe eſt currere, *& ſi homo non currit, aliquot animal non currit: ſic etiam, ſi omnis homo currit, Ciceronẽ neceſſe eſt currere, *& ſi currit Cicero, neceſſe eſt aliquem hominem currere. Nobis ergo, ne inter dicendũ cogamur ſubinde ſine vllo vſu perturbare nomina, vocẽtur promiſcue in locis recenſendis genus, quicquid de pluribus prædicatur in quid: & ſpecies, illa de quibus id prædicatur. ¶ Sed genus quẽadmodũ de ſpeciebus dicitur, ſic etiã diuiditur in eas. Diuiditur autẽ adiectione differẽtię. Animal em̃ rationali & irrationali aſſumpto, in hominẽ & brutũ. Et differentiarũ verarũ (vt ſuperius diximus) quia ꝓpemodũ egeni ſum⁹, cõſiliũ (quod in inopia fieri ſolet) oportet ex neceſſitate ſumamus: vt quẽadmodũ in definiẽdo, ſic in diuidẽdo, aliquid quod locũ ipſarũ expleat, mutuemur. Vt ſi diuidere brutum velimus, dicamus aliud in terra, aliud in aere, aliud in aqua vitã ducere. Vel itẽ dicamus, bruta omnia aut natare, aut volare, aut ingredi, aut repere.

**Hæc verba in alijs exemplaribus omiſſa ſunt, verũ in exemplari manu rodolphi ſcripto, inueniuntur.*

*Quomodo hic vſurus ſit nominis generis & ſpeciei.*

## SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Genus, † ſpecies, differentia.] Quæ hoc capite dicũtur, huc tendunt, vocabulo generis hic vtendum eſſe tam late, vt quicquid de pluribus, ſiue ſpecie ſiue numero ſolo diuerſis, in quid prædicatur, generis nomen recipiat: ſpeciem verò dici, de quocunque genus ſic ſumptum prædicatur, ſiue illud reuera ſpecies ſit, ſiue etiã* Genus.
2 *indiuiduũ. ¶ † Sed quod ad ſpeciem attinet.] Species inquit, tum demum ſpecies dicenda eſt, cum refertur ad genus: nam indiuiduis collata, rationem ſpeciei amittit, & faciem ac ſimilitudinem quandã induit generis. ¶ † Vel vt (Cicero mauult) forma.] Ciceronis hac de re verba inuenies libri huius capite nono. vbi agitur de diſcrimine totius & generis, formarum & partium.* Species.
3

*¶ Quid diuiſio, quæ eius vtilitas, qua lege & quot modis fiat, cum alijs quibuſdam.* CAP. VII.

ET quia diuiſionis loc⁹ nos admonet, quid ſit ipſa & quo pacto tractanda exequamur. Perquã vtilis enim eſt diuidẽdi ratio, tum ad rei quæ diuiditur naturã demonſtrandã (proximum enim eſt, vt cum quid ſit vnumquodq; dixeris, deinde quotuplex ſit oſtendas.) tum ad definiendum, definire nanq; non aliud videtur, quàm ex genere per differentias diuiſo, in ſpeciem deſcendere. Præcipue vero ad differẽdi orationisq; copiã, vt vnum aliquid quod multa ambitu ſuo complectitur, in partes ſpargas. late enim funditur, quemadmodum multa ſi in vnum colligas, in anguſtum *Diuidẽdi vtilitas triplex.*

*Diuiſio quid.* aguntur.¶ Diuiſio igitur eſt generis in ſpecies per differentias diductio. Placuitq; omnem diuiſionem duabus differentiis ediuerſo poſitis debere perfici. Deinde, vt repugnent eæ differentiæ, hoc eſt, vt nequaquam in idem conuenire poſſint. Poſtremo, vt quicquid in genere cõtinetur, id totũ differentiæ explicẽt. Aequa quidẽ lex, ſed difficilis obſeruatio. Et corpus ſane per animatũ & inanimum diuidi hoc pacto videtur. Animal etiam per rationale & irrationale. Sed contingit, vt videãtur ſub vno genere multæ eſſe ſpecies. Vbi ergo diuidere id volumus, capimus vnius alicuius ſpeciei differentiam. deinde aliarum ſpecierum, quia vnam aliquam communẽ differentiã non inuenimus, circuimus ipſam differentiæ alterius negatione, quemadmodum in diuiſione animalis videmus fieri. Irrationale enim non niſi negationem rationalis explicat. quamobrem vera differentia eſſe non poteſt, cũ omnis ſpecies ex differentia conſtituatur: nihil autẽ conſtituitur ex negatione. Labaſcit ergo continuo vera illa diuidendi lex. Deinde cuius felicitatis eſt, vt vel prior differentia vera ſit, quãdo vel paucas, vel plane nullas eſſe veras in confeſſo eſt: Ergo & hanc vndecunq; datur arceſſimus, fitq; vt altera non ſit vera, altera nullo modo differentia ſit: appareatq; multo iſta dici ſpecioſius, quàm rectiꝰ poſſe obſeruari. Acce-

*Diuidẽdi lex parũ firma.*

*Prima cauſa cur hæc lex nõ ſemp obſeruari poßit.*

*Secunda.*

*Tertia.*

dit iſtis, quod cum vnam fortaſſe differentiã aliquo modo eloquamur, vt ſit verbi cauſa volatile, & ſpeciem quoq; inuenimus, quæ eſt auis. E diuerſo, quorundam cum differentiam aliquam inueniamus, deſit ſpeciei nomen. vt bipes eſſe, animalis ſit differentia fortaſſe, nullam tamen ei ſpeciem tribuere poſſis. Sic & piſcis nota eſt ſpecies, in reddenda differentia fortaſſe laboretur. Nobis ſicut primum eſſet, & voto forſan optandum, vt legitimis duab⁹ differentiis diuideremus, ita proximum erit, vt qualibuſcunq;, duab⁹ tamen: ſin minus poterimus duabus, at quotcunq; poterimus diuidamus. dũmodo vniuerſam, eius quod diuiditur, cõplectamur latitudinẽ, quamobrem non per ea modo quæ in ſubſtantia eius ſunt quod diuiditur, ſed per omnes locos qui circa, quiq; extra ſubſtantiam ſunt, ducitur diuiſio. ¶ Sane eorum que in ſubſtantia ſunt, aptiſſima per quam diuidatur eſt forma, quòd ea perfectæ differẽtiæ origo eſt. Nam corporum, aliud animatũ eſt, aliud expers animæ, hæc ex forma ducta eſt diuiſio. ¶ Deinde proxima, quæ ex materia ducitur: Vt, arborum aliæ ex ſemine ſunt, aliæ ſponte naſcuntur. ¶ Hinc iam ab adiacentibus accipitur, Vt animalium, aliud manſuetum, aliud ferum. Et contrà quoque diuiduntur adiacentia in ea quibus adiacent, Vt feritas, alia ſerpentis,

*Certa lex diuidẽdi.*

*Diuidẽdi ratio* I.

II

III

IIII

v alia auis,alia reliquarum belluarũ eſt.¶Et per
actus fit diuiſio, Vt hominum, alius ſtudio,
vi alius lucro, alius voluptati operam dat.¶Et
per efficientia, Vt animalium, aliud parentis
efficacia,aliud calore ſolis, aliud putrefactio-
vii ne gignitur.¶Et per effecta, Vt animalium,
aliud fœtum, aliud ouum, aliud vermem pa-
viii rit.¶Et ex fine, vt rerum domeſticarum, aliæ
ad neceſſitatem, aliæ ad voluptatem, aliæ ad
ix vſum pertinent.¶Contrà quoq; ex iis quæ ad
finem pertinent,vt opum parandarum cauſa,
alii iuſtam operam nauant,alii fœnerãtur, alii
x vi rapiunt,alii fraude ſubducunt.¶Iam vero,
animalium aliud terra,aliud mari degit:ex lo-
xi co eſt.¶Et flores,aut hyberni ſunt, aut verni,
xii aut æſtiui,aut autumnales:ex tempore eſt.¶Et
homines alii ſerui ſunt, alii domini, alii neu-
xiii trum:ex cõnexis ſumitur.¶Contingentia etiã
diuiſioni conueniunt:vt muſicorum, quidam
xiiii literas ſciunt,quidam ignorant.¶Et pronun-
ciata,vt quidam hominum laudati ſunt, qui-
xv dam vituperati,quidam ſilentio latẽt.¶Attu-
lerit etiam aliquid comparatio, vt populares,
quidã infra regem ſunt opibus, aliqui pares,
xvi nonnulli ſuperiores.¶Et à ſimilibus diuiſionẽ
expreſſerimus: vt aliorum vitæ propoſitum,
induſtria formicam imitatur, aliorũ ſegnicies
*Per quos* ſimilis eſt muſcis. ¶Oppoſita & differentia
*locos di-* prorſus à diuidendi ratione abhorrẽt. Neceſſe

eſt enim, vt quicquid diuiditur, de iis prædi- cetur in quæ diuiſum eſt. Nihil autem de his quæ repugnant ſibi prædicatur: quo fit, vt ne diuidi quidē poſſit per ea quæ ſibi repugnant. ¶ Nomen rei præterii, quoniam parum accommodatum credidi diuiſioni. Quanquam fuerunt, qui facerent diuiſionem eius in res ſignificatas. Vt taurum diuiderent in domeſticum animal, & ſidus, & montem. Quod qua ratione diuiſionem appellent nō video, cum id vel ratio loquendi coarguat. Nec enim quiſquam tam ineptus ſit, vt dicat: taurorum, alius animal, alius ſidus, alius mons eſt. Similiter longe minus diuiſio eſt rei in nomina. Vt non patiar, non feram, non ſinam. Niſi quis diuiſionem etiā putet eſſe, Anna ſoror, ſoror Anna. cum hic quemadmodum & illic, idem diuerſo ſono, quanquam non verborum, conſtructionis tamen, repetatur. ¶ Diducitur tamen vnum, & in multa explicatur. Diducitur quidem, ſed non ita, vt id diuiſio vocari poſſit. Neque enim ignorandum nobis eſt, poſſe tripliciter aliquid quod vnum ſit, in plura diduci. Diuiſione, quæ quomodo fiat, diximus. Partitione, quam mox dicemus. Et enumeratione. Ea fit, quoties multa, quæ vni alicui inſunt, recenſemus. vt cum dicimus, Cicero eloquens fuit & prudens, & vindex appetitæ dominationis: & reliqua, quæ in immenſum ex-

*uiſio duci nō poßit.*

*Cauillatio.*

*Enumeratio quando fiat.*

tendi poſſunt. Certum eſt non diuidi in iſta Ciceronem, quoniam Cicero indiuiduus eſt, nec partes etiam eſſe Ciceronis iſta. Enumeratio ergo eſt multorũ, quæ ad vnum aliquod redigũtur. Hoc pacto & multa vnius verbi ſignificata, & vnius rei nomina, non diuidendo diducimus, ſed enumerando recenſemus. ¶ Nõnulli arctis admodũ finibus clauſerunt totã hanc rationem diuidendi, vt omnẽ diuiſionẽ quæ non fit per ea quæ in ſubſtantia ſunt, dicerent. aut ſubiecti eſſe in accidentia, aut accidẽtis in ſubiecta, aut accidentis in accidẽtia. Liberum eſt & ſuũ cuiq; iudiciũ. Mihi viſum eſt quàm copioſiſſime poſſem aperire rem iſtã, quoniã vſus eius late patet. Nec ignoro, poſſe eis quorum aures non ſint iis audiendis imbutæ, videri rem perplexiorem eſſe. quod tamen, quãuis exigua animi intentio, molliet: modo non pigeat tantiſper ſubſidium petere à communi ſtudiorum artifice labore. fructus certe laborum, quod affirmare auſim, non pœnitebit.

## SCHOLIA IN CAPVT VII.

*Perquam † vtilis eſt enim diuidendi ratio.* ] *Ad tria* 1
*ait in primis conducere diuiſionem, ad plene cognoſcendam rem eam quæ diuiditur, ad apte definiendum, ad diſſerendi orationisq́; copiam.* ¶ † *Diuiſio igitur eſt generis in ſpecies.* ] *Aſtrictius capit nomen diuiſionis quàm alij ſolent. Quã de re plura cap. nono, quem locum legas oportet, modo hunc velis plenè intelligere.*

**Diuiſionis vtilitas.**

3 ¶ †Placuitq; omnem diuiſionem.] Treis affert cauſas, quamobrem non ſemper duabus inter ſe pugnātibus differentijs diuiſio poßit abſolui. Primam, quòd nullius pene generis vtraq; nobis differentia ſit cognita, ſed alterā negatione ferè exprimamus: alteram quòd in pleriſq; ne altera quidem illa, quæ affirmatione affertur, vera eſt differentia: poſtremam, quòd ſæpe differentia inuētā, ignota adhuc eſt ſpecies: & rurſum nota ſpecie, differentia tamen manet incognita.
4 ¶ †Deinde cuius felicitatis eſt.] Raræ (inquit) & maxime cuiuſdā felicitatis eſt, ſi vel prior illa quam affirmatione exprimimus, vera ſit differētia, propterea quòd vel paucas vel nullas potius veras eſſe conſtat, tantū abeſt, vt cognitam habeamus vtranq;. Sic Cicero in Antonium. Et quidē cuius tēperantiæ fuit,
5 de M. Antonio querentē, abſtinere maledicto? ¶ †Vt arborum aliæ.] Plinius libri decimiſexti capite trigeſimo tertio. Arbores (inquit) quas naturæ debeamus, tribus
6 modis naſcuntur, ſponte, ſemine, aut ab radice. ¶ †Animalium aliud manſuetum.] Ariſtoteles nono libro de
7 animalibus. ¶ † Aliud fœtum, aliud ouum.] De ani-
8 malibus libro primo. ¶ †Aliud terra, aliud mari degit.]
9 Rurſum primo libro de natura animalium. ¶ † Nomen rei præterij.] Hanc hodie vocant diuiſionem vocis in ſignificata, cuius ſententiæ authorem laudant Boethium. Eius ego hac de re verba ſubieci. Eſt enim, inquit, diuiſio generis in ſpecies, eſt rurſus diuiſio cum totum in proprias diuiditur partes: eſt alia, cum vox ſignificans multa, in ſignificationes proprias recipit ſectionem. Ex his tribus diducendi generibus, Rodolphus ſolum primum illud diuiſionem appellat, alterum partitionem, enumerationem tertium. Georgius Trapezuntius, poſtremum hoc, diſtinctionem

vocat,reliqua duo iiſdem nominibus quibus Rodolphus.
¶ † Non patiar,non feram,non ſinam. ] Verba ſunt Ci- 10
ceronis in Catilinam. ¶ † Anna ſoror. ] Dido apud Ver- 11
gilium: Anna ſoror,quæ me ſuſpenſam inſomnia terrēt?
¶ † Partitione,quam mox dicemus. ] Capite nono. 12

## ¶ *Quid Ariſtoteles proprij nomine deſignauerit. Quot eius acceptiones enumerarit Porphyrius. Et quomodo hic eius nomine vtēdū.*

## CAPVT VIII.

*Ab Ariſtot. proprij nomine cōprehendi & differentiam.*

ARISTOTELES propriū vocauit,quicquid omni & ſoli ineſſet & ſemper. Vt ſit homini propriū, natum eſſe ridere. Omni enim ineſt homini,& ſoli ineſt,& ſemper homo natus eſt ridere. Diuiſitq; in definitionē, & id quod communi nomine (quoniā aliud non ſuppetebat) proprium dixit. Eodemq; proprii nomine complexus eſt differentiam. Sane differentia,quod ipſum nomen præ ſe fert, dicetur cōmodius, quoties generi quod diuidit cōparatur. Rationali enim & irrationali, animal ab animali differt. Aut quoties ſpecies cui definiendæ adhibetur,reliquis confertur ſpecieb⁹ ab illa differentibus. Suæ enim ſpeciei comparata,cuius ſubſtantiæ pars eſt,rectius propriū dicitur,quàm differentia. Nec ego iſtuc ſic accipi velim,tanquā idē putē eſſe differentiā, & id quod propriā paſſionem (quæ quid ſit, & quo pacto à differentia diſtet, perſequi nō noſtri eſt inſtituti, nec enim ſatis de eo conuenit

omnibus) ſed vt oſtendam placere mihi, in præſentia dici proprium, quo pacto Ariſtoteles voluit, quicquid de eo cui id propriũ eſſe volumus, cõuerſim dicitur. vt quemadmodũ dico, omnis homo eſt capax diſciplinæ, ſic dicam, omne capax diſciplinæ eſt homo: & ſicut omnis voluptas eſt expetenda, ſic, omne expetendum eſt virtus. ¶ Porphyrius in Iſagogæ quadrupliciter dixit propriũ dici. Quandoq; enim quod ſoli ineſt & non omni, vt nautam eſſe vel muſicũ homini. nihil enim præter hominẽ dici poteſt nauta vel muſic9, nec omnis tamen homo nauta vel muſicus dicitur. Quãdoque quod ineſt omni & non ſoli. vt viuere omni ineſt homini, ſed nõ ſoli, nam & omnia animalia & plantæ viuere dicuntur. Tertio, quod ineſt omni, ſoli, ſed non ſemp. vt calueſcere homini, quod non niſi ſenio contingit. Quarto, quod omni ſoli & ſemp ineſt, vt erudibilem eſſe, homini. de ſolo enim & de omni & ſemper dicitur. idq; vere eſt & exacte proprium, quo modo & nos hoc loco accipi proprium volumus. ¶ Quoniam autẽ (vt prædiximus) in reddenda ſua cuique rei differentia laboramus, propriam ferè paſſionem, quam vulgo proprii ſignificamus nomine, quoniã differentiæ nomen vſus à proprio ſecreuit, eã in locum differentiæ ſubdimus. & eam quoq; ſi pro arbitrio & vbicunque res poſceret, pa-

*Propriũ quadrifariã dici ſecundum Porph.*

ratam & ad manum haberemus, eſſet qualecũq; quidem, ſed aliquid tamen. minus enim in definiendis diſtinguendisq; fluctuaremus rebus. Nũc pro differentia ponimus propriũ; neq; id vnum, aut ſatis firmum, aut certum, ſed ſæpe ex multis collectum, & tum quoque ambiguum, & anceps. Notum eſt quid Platoni acciderit, qui cum diligenter hominis proprium reddidiſſe videretur, bipedem eſſe & implumem, & definiret hominem eſſe animal bipes implume: Diogenes Cynicus, gallinaceum, cui dempſerat plumas, in auditorium illius proiiciens: hic eſt (inquit) homo Platonis. Ergo (vt dicimus) nobis proprium, cui hunc locum tribuimus, ſit illud, quod quarta huius nominis ſignificatione Porphyrius poſuit. Idq; ſiue differentia ſit, ſiue paſſio, vel ſuis poſita nominibus, vel dicendi circuitu explicata, nõ multum refert. Reliqua quæ aliis proprii modis comprehenſa ſunt, inter adiacentia aut actus numerabuntur.

*Inſulſus Diogenis in Platonem iocus.*

## SCHOLIA IN CAP. VIII.

*Differentia an iũgenda ſit proprio.*

*EOdemq; † proprij nomine complexus eſt & differentiam.] Mirũ videri poßit, quo modo dicat Rodolphus, differentiam proprij nomine ab Ariſtotele comprehenſam fuiſſe, cum ille generi eam adiungendam eſſe confirmet. Verba eius hæc ſunt.* πᾶσα δὲ πρότασις ϗ πᾶν πρόβλημα, ἢ γένος, ἢ ἴδιον, ἢ συμβεβηκὸς δηλοῖ. 1

καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν ὡς οὖσαν γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τακτέον. *Omnis, inquit, propoſitio atq; omne problema, aut genus, aut proprium, aut accidens indicat. Etenim differentia, generalis cum ſit, cum genere collocari debebit.* Non me clam eſt, eſſe qui dicant Ariſtotelem de ea modo differentia loqui, quam noſtri iſti vocant genericam. qui forſtaſſe dicerent aliquid, ſi apud Ariſtotelem ſcriptū ſic foret, καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν τὴν γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τακτέον, vt repetitus articulus ſecerneret hanc ab ea quam ſpecificam nominant. Nunc illud, propius ad rem noſtram ὡς οὖσαν, plane indicat, nullam diſtinctionem ſubeſſe in verbis eius. Quanquam illud interim video à quibuſdam verti in dubium, ſit'ne differentia vlla, quæ cum ſpecie infima conuertatur. Sanè Boethius hac in re varius eſt, vt qui in Iſagogen Porphyrianam ſcribens, aiat differentiam nunquam de vna ſola ſpecie prædicari: contrà in categorijs Ariſtotelicis, dicat quaſdã eſſe differentias, quæ non niſi de vna ſola ſpecie prædicentur. quod autem in definitione differentiæ dicitur, prædicari eam de pluribus differentibus ſpecie, id non ita accipiendum eſſe, quaſi ſemper fiat, ſed quod frequentius. Mihi poſterior hæc ſententia magis arridet, quam & natura ipſa rerum veriorem eſſe conuicit. Etenim ſi genus vnumquodque in ſpecies per differentias diuiditur, quis non videat differentias generis eius, quod proximum infimæ ſpeciei eſt cum ſua quanque ſpecie oportere conuerti? ſed hæc πάρεργα. Illud propius ad rem noſtram. Si Ariſtoteles eo quem citauimus loco, de generali tantum differentia locutus eſt, cui igitur prædicato ſubijciemus eã, quæ ſpecifica dicitur? Alexander Aphrodiſieus, Quare, In com-
inquit, differẽtia generica dicitur? Quia in ſubſtãtia eius mẽ tarijs
eſt de quo prædicatur, quemadmodum & genus: & quòd quos edi

dit in To ambo implent ac perficiunt eſſentiam vniuſcuiuſq; eo-
pica Ari- rum quorum ſunt propria: tum etiam quòd in pluribus
ſtotelis. ineſt & ipſa: & de pluribus ſpecie differentibus prædica
tur: neq; enim aliud quicquã intereſt inter genus & diffe
rentiam, niſi quòd differentia nõ prædicatur in quid eſt.
Hactenus ille. Ex his vtiq; duæ illæ rationes quæ primo
ponũtur loco, de quauis differentia intelligi poſſunt: Ter
tiam eo intellectu ego accipio, quo Boethius differentiæ
finitionem, quod ſi recipiatur, nihil obſtabit, quo minus
de omni differentia intelligenda ſint verba Ariſtotelis.
Sed quid hæc ad Rodolphum, qui non generi ſed proprio
differentiam ait iunctam eſſe ab Ariſtotele? Quid dice-
mus? An hoc fortaſsis, quòd cõtinuo ipſe, quanquã aliud
agens, ſubiungit, duobus modis differentiam comparari
poſſe? primum generi, atq; hac ratione propriè dici diffe-
rentiam, & cum genere cõiungendam eſſe. Deinde ſpe-
ciei ſuæ, quam cum genere ſumptam conſtituit: quo pacto
non tam differentiam quàm proprium appellari debere,
ac proinde proprij quoq; appellatione cõprehenſam. Cui
ſententiæ ſuffragatur & ratio. Nam authore Ariſtotele
ipſo, quicquid cõuerſim de re prædicatur, id aut difinitio
eſt, aut proprium: differentia cõuerſim prædicatur de ſua
ſpecie, & definitio eius non eſt, erit itaq; proprium. Fa-
bius tamen Quintilianus libro quinto, eam modo diffe-
rentiam appellat, quæ cum re non cõuertitur: quæ autem
Homo conuertuntur, ea propria vocat. ¶ † Vt caluéſcere homi- 2
qua ratio ni.] Ariſtoteles quinto libro de generatione animalium,
ne à Pla- ſolos viros ſcribit caluéſcere, non etiam fœminas. ¶ † Hic 3
tone iplu eſt, inquit, homo Platonicus.] Ridet Platonem Cynicus,
me ani- magis ipſe ridendus. Neq; enim à Platone implume ani-
mal dica- mal dicitur, quòd vtcunq; plumis nudatum eſt, ſed cui
tur. natura plumas non dedit.

¶ Genus

*¶ Genus & ſpecies, quomodo cum toto & partibus conueniant, quomodo rurſum diſtent. Quæ diſcrimina partium. Quid materia. Quid forma.* CAP. IX.

1 TOtum † & partes ſequūtur, quorū nonnunq̄ cum genere & ſpecie cō funduntur nomina, vt genus totum, ſpecies partes vocemus, & diuiſionem partitionemq́ inuicem alterā pro altera accipiamus. Sed iam quid inter res interſit quærenti etiam ipſa diſtinguenda ſunt nomina. Et ſimile fortaſſe quiddam habent, quòd quemadmodum genus ſpecies ſuas cōprehendit, ita totum intra ſe partes ſuas complectitur. Sed hoc differūt, quòd quemadmodum genus ad conſtituendam ſingularum ſpecierum ſubſtantiam adſit oportet, ſic totum nō ſingularum partium ſubſtantiā conſtituit. Pleræq́ enim, vt interierit totū, permanere tamen poſſunt. Et contrà, Quemadmodum ad cōficiendam totius ſubſtantiam, vnāquanq; partium eſt adhiberi neceſſe: ſic ad explendam generis ſubſtantiam, non vtiq; vnamquanq; ſpeciem adeſſe natura illius expoſcit. Præter hoc quoq;, genus de ſpeciebus ſuis affirmatur, totum de partibus nequaquā. Quanquā enim & carnis partes, carnem: & ligni, lignū eſſe dicamus, non tamen vel ea caro, vel id lignū ſunt, cuius ſunt partes. Acute itaque, vt omnia, &

*Quomodo conueniant, & quo rurſum modo diſcrepent genus & totum, ſpecies & partes.*

*Cauillū.*

breuiter Quintilianus iſta diſtinxit, ita defi-niens, Diuiſio eſt pluriũ rerũ in ſingulas: partitio, ſingularum in partes diſcretio. ¶ Partium autem & proinde totius etiam non vna eſt ratio. Quædam pertinent ad ſubſtantiam, Quædam ex quãtitate nomen habent, Quædã virtutis ſunt atq; efficaciæ cuiuſdam. Subſtantiæ ſunt, vt paries domus eſt pars, ligna nauis. Quãtitatis, vt iis quæ extenſa ſunt, pedale, bipedale, tripedale. dicimus enim decempedalis rei partes. & in tempore, præteritũ, inſtans, futurum, & in numeris, denarij ſunt partes, vnum, duo, tria, quatuor. Virtutis autem ſunt partes, quemadmodũ dicimus, plus roboris Achilli fuiſſe quàm Aiaci, & duplo plus luminis ſoli eſſe, quàm lunæ. Sic quoq; animæ quatuor partes facimus, viuificãdi, ſentiendi, mouendi, & intelligendi. ¶ Eæ vero quæ ſubſtantiæ ſunt partes, aliæ de proximo ſubſtantiã cõſtituunt, vt ſunt materia & forma, qualia ſunt in homine corpus & animus, in arbore vita & lignũ. quarũ huiuſmodi conditio eſt, vt ſi qua partiũ deſit non eſſe res, non tueri nomen ſuũ poſſit. Aliæ ad integritatem rei explendã pertinent, quarum nonnullæ deeſſe rei queant, vt nõ intercidat, vt pedes, manus, caput, hominis ſunt partes. nã pedes aut manus deeſſe homini poſſunt, vt quãquã vel mutilus vel mãcus, homo tamen ſit & dicatur. Atq; eæ quidẽ,

Partiũ diuiſio prima.

vt breuiter dicatur, cõſtitutæ rei ſunt partes, illæ cõſtituendæ. ¶ Eſt & alia quædã partium differentia, quod hæ quidẽ eiuſdem ſunt generis, quas ὁμογενεῖς Græci vocãt, nos cognatas dicere poſſumus. Vt partes ligni, omnes ſunt lignũ: partes lapidis, lapis. Hæ rurſus, ἑτερογενεῖς hoc eſt (vt ita dicamus) multigenæ, quæ non in idem genus veniũt. vt partes domus, ligna & lapides, non ſunt domus. partes hominis, carnes, nerui, oſſa, quæq; ſunt iſtis ſimiles, non ſunt homo. ¶ Sed materia & forma, quia hæ vel maxime omnium præcipuæ ſunt partes, exactius explicare ad phyſicũ pertinuerit. nos ſatis habebimus, quoniam crebro pe[illegible]os redit mentio earum, quomodocunq; datur, pingui (quod aiunt) minerua ipſas indicare. ¶ Materia ergo, eſt ſubiectum ex quo aliquid generatur primũ, & in quod corrumpitur vltimum. Itaq; ipſa nec generari poteſt, nec corrũpi. Forma eſt modus quidam materiæ, quo ſibi contingit, vt huius vel illius ſpeciei capiat nomẽ. Volenti igitur ſcire cuiuſmodi res ſit materia, hoc pacto proximum fuerit rimari. Demus in exemplũ hominẽ. Semoueamus intellectu animam. Facile id quidem eſt, quod quotidianæ nos mortis conſpectus docet. Difficiliora ſunt quæ ſequuntur. Separemus tamen intellectu omnem colorem, deinde omnem habitudinẽ corporis, vt eſt calor, frigus, durum, molle, &

*Materia quid ſit.*

*Forma quid.*

reliqua id genus. Deinde figuram, vt quòd du ductos habeat pedes, quòd diſtentus in brachia eſt, quòd in caput erectꝰ. Poſtremo omnẽ magnitudinis modũ menſuramq́ demamus. Id quod iã reliqui habemus, materia eſt. ¶ Dices fortaſſe. nihil video relictũ, neq; tale quicquam concipere poſſum animo, quod omnibus iſtis priuatum ſit. Dabo vt concipi poſſit. Eſt videre in monumẽtis operoſius extructis, in quibus conditum ſit corpus aliquod, tandẽ temporis diuturnitate nihil præter pulueres terramq́; remanere. & hoc idem quod homo fuit (vt loquimur) terra eſt. Certũq; eſt quiddam ibi eſſe, quod antè humanitatis habuit in ſe ſpeciem. idq́ ipſum terræ iam faciẽ habere, & poſſe ipſum poſtea quandoq;, vel igne excoctum in lapidem dureſcere, vel in herbas excultum vireſcere, vel aliã quamuis naturæ formam accipere. Videas itẽ non colorẽ, nõ figuram, non vllã habitudinẽ corporis, quæ conſpici tangi ve poſſit, eandẽ, quã prius eſſe. Ergo perpetuum illud, quod prius homo, poſtea terra eſt, in aperto eſt, nihil eſſe eorum quæ tangi cerni ve poſſunt: cum hoc manſerit, illa cuncta interciderint. Solidum itaq; illud & omnibus iactationibus permutationibusq́ rerũ naturæ expoſitum, ipſum immutatum, eſt materia vera illa, & quam primã vocãt. Quòd vero carnẽ & oſſa hominis vocamus materiam,

& lapides atq; ligna domus, ſimilitudine quadam dicimus.¶ At forma eſt in hoc aſſumpto corpore, quemadmodũ cũ homo fuit, anima (ex ea enim habuit, quod homo erat) ita iam cum mutatũ eſt in terrã, id à quo habet quod terra eſt. Sic & ſi deinde ſolidetur in lapidem, id quo lapis eſt. ſi in aquam diluatur, id quo aqua erit, erit & forma ipſius. Cerni iſta nõ poſſunt, concipi tamen poſſe, non quidem qualia ſunt, ſed quòd aliquid ſint, in proſpecto eſt: & materiam ſemper manere, formam vero aliã alia fluctuum in morẽ continenter propelli, & nouam ab ipſa rebus ſubinde faciem afferri. ¶ Dicitur & aliter materia, id qđ negotio alicui propoſitum eſt, circa quod elaboret, vt materiam infamie dicimus impudicitiam, ſic & virtutem materiam laudis: & curarum materiam, & libri, & ſtudiorum dicimus. Sed nos quoq; ne nimis longo materiæ tractatu, faſtidio materiã præbeamus, pergamꝰ ad reliqua.

## SCHOLIA IN CAPVT IX.

1 *TOtum + & partes ſequuntur.* ] *Quo & hunc locum & ſuperiorem illum de ſpecie planius intelligamus, aſcribenda videntur verba Ciceronis in topicis. Ea ſic habent. Partitionum autem & diuiſionum genus quale eſſet oſtendimus. Sed quid inter ſe differãt, planius dicendum eſt. In partitione quaſi membra ſunt: vt corpus, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cætera. In diuiſione formæ: quas Græci εἴδη vocãt, noſtri,*

*Quid interſit inter diuiſionẽ & partitionem.*

*Species ſeu forma.*
ſi qui forte hæc tractant, ſpecies appellant, non peſſime
id quidem, ſed inutiliter, ad mutandos caſus in dicendo.
Nolim enim, ne ſi latine quidem dici poßit, ſpecierum &
ſpeciebus dicere: & ſæpe his caſibus vtendum eſt. at for-
mis & formarum velim. Cum autem vtroq; verbo idem
ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror ne-
*Inter formas & partes quid interſit.*
gligendā. Et in eodē rurſus libro: Formas qui putat idem
eſſe quod partes, confundit artem: & ſimilitudine quadā
conturbat, & non ſatis acute, quæ ſunt ſecernēda, diſtin-
guit. Hæc in topicis. Verū is ipſe, qui hic tam ſolicite for-
mas ſecernit à partibus, in libris de oratore ipſe formas
ſeu ſpecies, partes appellat. ¶ † Acute itaq;. ] Quintilia- 2
nus lib. ſeptimo: Sic igitur, inquit, vt ſupra ſignificaui,
Diuiſio rerum plurium in ſingulas, partitio ſingularū in
partes diſcretus ordo, & recta quædā collocatio, priori-
bus ſequētia annectens. Et ſuperius libro quinto de Cice-
rone loquens: Diuiſione autē adiuuari, inquit, finitionē
docet, eamq; differre à partitione, quòd hæc ſit totius in
partes, illa generis in formas. ¶ † Et in tempore. ] Inſtās 3
præteritum & futurū, mihi ad ſubſtantiā temporis ma-
gis quàm ad quantitatē pertinere videntur. ¶ † Materia 4
*Forma.*
eſt ſubiectū. ] Sic in phyſicis Ariſtoteles. ¶ † Forma eſt. ] 5
*Olim truncus eram ficulnus. Satyr. 8.*
Oppidoquā elegāter formā definit. Vt autem ſatis fiat
& rudioribus, explicationis cauſa truncus ille ficulnus
apud Horatium in exemplum ſumatur. Is ergo truncus,
quandiu rude & inutile erat lignum, neque ſcamni neq;
priapi nomen habebat, erat tamen vtriuſuis harum ap-
pellationum capax. Vnde ergo, vt priapus poſtea dicere-
tur, non ſcamnum? nimirum ex delineatione illa quam à
fabro acceperat. Atque hæc delineatio, hæc expolitio, hic
modus, ita à fabro ei trunco additus, forma illius priapi
erat. Eundem in modum, ſutor ex eodem corio, vel pera-

*nem, vel ſandalium, vel cothurnum poteſt efficere. Quod itaque ad materiam, hoc eſt, ad corium attinet, nullum ei horum nominum competit, poteſt autem vnumquoduis competere. Quî ergo fit, vt poſtea opere perfecto, vnius tantum, non etiam reliquorum nomen accipiat? Mirum ni ex figura ac modo eo, quem addidit ei corio ſutor: atq; hic iam modus, vel peronis, vel cothurni, vel ſandalij forma dicetur. Itidem res habet in naturalibus. Quod lignũ eſt fit carbo, fit deinde cinis. Materia eadem, forma diuerſa: quam & nomina diuerſa ſequuntur. Vides ergo opinor, formam eſſe, à qua res habet, vt huius aut illius ſpeciei nomē accipiat.*

*6 ¶ †Quod verò carnem.] Caro, oſſa, lapides, ligna, ferrum, aurum, argentum, proprie an ſimilitudine quadam materiæ nomen ſortiantur, id iam non diſputo. Hoc ſcio, vſitati eſſe genus ſermonis, vt argĕteæ patinæ materiam dicamus eſſe argentum: aureæ, aurum: ſtanneæ ſtannum: atq; item in cæteris. Et quod ad inuentionem pertinet argumentorum, probe in hæc omnia materiæ vocabulum competit: quocirca hoc certe loco, quæcunq; eius generis ſunt, ea hoc nomine non inepte ſignificari poſſunt.* **Materiæ nomē quibus competat.**

*7 ¶ †At forma eſt.] Quemadmodum hominis, inquit, forma eſt anima, quippe à qua habet vt homo eſſe dicatur: ita in hoc aſſumpto corpore, in puluere inquam hoc, in quem tranſmutatum iam eſt corpus humanum, forma eſſe dicetur id à quo habet, quòd aut terra aut puluis eſt. Quòd ſi cõtingat eundem hunc puluerem ſolidari in lapidem, iam priori rurſum forma abiecta, illud eius materiæ forma eſſe dicetur, cuius aduentu lapidis nomen acceperit.*

¶ *De coniugatis & eorum vſu.* CAP. X.

*Coniugata vnde habeant nomina.*

LOcorum qui in ſubſtantia ſunt, poſtremus ſunt coniugata, quæ nomen iſtud acceperunt, quòd ipſa vocis ſimilitudine ſub vnum ſunt iugum deuincta, vt eſt ſub ſapientia ſapiens & ſapere, & ſub iuſtitia iuſtus & iuſta. Ariſtoteles iſtis addidit quæ caſus vocauit, Vt ſint verbi cauſa, cõiugata ea, quæ cum eo cõferuntur, ex quo primum denominantur: quemadmodũ diximus. Caſus vero ea, quæ à primo illo decidentia deriuatáq;,* cum eo ipſo cõponuntur, vt ſapiens & ſapienter. iuſtúſq; & iuſte, fortis fortiter. Nos Ciceronem ſecuti, quando tenui admodũ limite diſcreta ſunt iſta, coniugata in cõmune dicemus. quod non incõmode fieri poſſe, Ariſtoteles ipſe etiam videtur ſenſiſſe.

*Caſus & coniugata quo diſtinguantur.*

**Aiunt quidam exemplar manu Rodolphi ſcriptũ habere hoc modo: inter ſe cõponũtur, &c. Cæterũ dein de (neſciunt quã obrem) locum mutatum.*

¶ Sunt autem uonnulla, quorum cõiugata facilius in re intelligas, quàm inuenias in nomine, vt virtutis, vt officij, vt ſomni. quẽadmodum enim à calore calidũ, & ab induſtria induſtrium dicimus: & in quocunq; calor eſt, & induſtria, hũc calidum & induſtriũ vocamus: ſic à virtute quod deducas nomen nõ facile ſit inuenire. nãq; vt à ſomno ſomniculoſum, & ab officio officioſum, ſic à virtute virtuoſum dici, latine loquendi ratio fortaſſe non permiſerit. Vt q; etiã ita loquare, non tamen conueniunt nomina iſta noſtro inſtituto, nec enim in

quocunq; ſomnus eſt ſomniculoſum: nec qui officiũ quoduis faciat, officioſum: nec virtuoſum dixeris, qui vnam aliquã habet virtutem. itaq; quod ad argumẽti inueniendi rationem pertinet: quęrendũ in talibus eſt nomen, quod non idem ſonet, ſed idem ſignificet. & à virtute quidem voces probum, à ſomno dormientem, ab officio induſtrium. ¶ Sane loci iſtius non tam creber eſt ad argumẽtandum quàm aliorum plerorũq; vſus. quando enim à proximo diſtant coniugata, & non re modo, ſed nomine plerunq; arctiſſime iunguntur, ex æquo ferè vel nota ſunt vtraq; vel ignota. Fitq;, vt fruſtra altero coniugatorum coneris aduerſus eum, qui alterum auerſetur. aut quiſquis alterum det, de altero non dubitet. Qui enim negat, quiſquis bonus vir eſt, eum felicem eſſe: difficulter illi perſuaſeris hac via, quod in bonitate ſit poſita felicitas. tantundẽ enim laboris in vtrouis horum ſibi approbando ſumes: aut quantũ aſſentiatur huic parti, conſiſtere in bonitate felicitatem, tantũ etiam eadem opera de eo, quod omnis vir bonus felix ſit, contentionis remittat. Vbi tamen res dederit vt eo, vti poſſimus, non negligendus erit. Quãdoq; enim acuminis, quandoq; virium multum, quandoq; vtrunq; habebit. Eleganter itaque apud Terentiũ eſt, Homo ſum, humani nihil alienum à me puto. Inſpiciendus ergo locus

*Non ita crebrũ huius loci eſſe vſum, ſed ob id tamen nõ eſſe negligendum.*

& pertractandus eſt. Aliquid forte vel ex ſe‑ ipſo, vel q̃d ad alios locos pertineat, dabit: & q̃d in altero cõiugatorũ quærẽtes nõ inueniſ‑ ſemus, illius in altero nos admonebit. Vt q̃ po tẽtiæ vel bona vel mala, vel ſi qua alia inſunt perquirere volet, facili⁹ in nomine potentiũ & magis ad manũ poſita cõſequetur, eorũ cũ pe ricula, cautionẽ, beneuolentiã, virtutes, ſcele‑ ra, honeſtos fœdosq́ exitus, aliaq́ huius cõdi‑ tionis in vtrãq́ partẽ ſpectauerit. Ad definiẽ dũ quoq́ nõnihil ꝓfuerit. Apertius eñ vtcũq́ ex ſapiẽtis pſona & actionib⁹ officiisq́ perui‑ deas & eruas q̃d ſit ſapiẽtia, quàm ex ipſo ſa‑ piẽtiæ nomine. Sic & amicitia quid ſit, ex ami‑ cis. & anima q̃d ſit, ex animatis. & contrà etiã, ſi qua via altera horũ cognita tibi fuerint, faci‑ le ad altera definiẽda regrediare. Eorũ autẽ ar gumentorũ, quæ exẽpla vocant rhetores, nõ‑ nullorũ vis ex hoc pẽdet loco. Nam cùm dicat quis virtutẽ ſufficere ad tuendã felicitatẽ, idq́ probet, quòd in paupertate Curius, in exilio Rutili⁹, in tormẽtis Regul⁹, miſeri nõ fuerint, iſta ſolũ ex eo capiũt vim docẽdi, q̃ in omni‑ bus iis virtus fuerit, quodq́ viri boni ſint ha‑ biti. ſic ſi quis regnare malũ eſſe cõfirmet, do‑ ceatq́ exitu Cyri, Cãbyſis, Alexãdri, Pyrrhi, in promptu eſt videre, hic à regnãdi nomine, ad reges orationem eſſe deflexam.

SCHOLIA IN CAPVT X.

I LOcorum† qui in ſubſtantia ſunt, poſtremus, ſunt coniugata. ] Boethius topicarum differentiarum libro ij. Caſus, inquit, eſt alicuius nominis principalis inflexio in aduerbiũ, vt à iuſtitia inflectitur iuſte. Caſus igitur à iuſtitia id quod dicimus iuſte. Coniugata verò dicuntur, quæ ab eodẽ diuerſo modo deducta fluxerunt. vt à iuſtitia iuſtũ, iuſtus. Hæc igitur inter ſe & cum ipſa iuſtitia cõiugata dicuntur. Ariſtotelis diſputatio de cõiugatis, etſi obſcuriſſima eſt, tamen hunc ſpectare mihi videtur: vt quæcunque ab vno aliquo principali nomine fluunt, ea omnia vnà cum nomine illo principali cõiugata dicantur, vt ſapiẽtia, ſapiẽs, ſapere, ſapiẽter. Caſus verò, ſola ea dicãtur aduerbia, quæ à nomine aliquo principali deſcendũt. vt à fortitudine fortiter, à prudẽtia prudenter. Et quia locus Rodolphi, quo Ariſtotelis ſententiã recenſet, mihi videtur corruptior, non inutile fuerit opinor, ſi ipſa Ariſtotelis verba huc aſcribamus. Ea ſecundo topicorũ libro ſic habent. λέγεται δὲ σύστοιχα μὲν τοιάδε, οἷον τὰ δίκαια καὶ δίκαιος τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τὰ ἀνδρεῖα καὶ ὁ ἀνδρεῖος τῇ ἀνδρείᾳ. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ σύστοιχα ἐκείνων ἐστίν, ὧν ἐστὶ φυλακτικά, ἢ ποιητικά, οἷον τὰ ὑγιεινὰ ὑγιείας, καὶ τὰ εὐεκτικὰ εὐεξίας. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. σύστοιχα μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα εἴωθε λέγεσθαι, πτώσεις δέ, οἷον τὸ δικαίως καὶ ἀνδρείως, καὶ ὑγιεινῶς. καὶ εὐεκτικῶς, καὶ ὅσα τοῦτον τὸν τρόπον λέγεται. δοκεῖ δὲ καὶ τὰ κατὰ τὰς πτώσεις σύστοιχα εἶναι, οἷον τὸ μὲν δικαίως τῇ δικαιοσύνῃ τὸ ἀνδρείως τῇ ἀνδρείᾳ. σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα, οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. Hoc eſt: Coniugata porrò eiuſmodi quædam dicuntur, vt ſi iuſta & iuſtus coniugata eſſe dicantur iuſtitiæ, fortia autem & fortis fortitudini. Itidem verò & quæ vim habent efficiendæ aut conſeruandæ rei cuiuſpiam, coniugata ſunt rerum

earum, quas vel conſeruare vel efficere poſſunt. quo modo ea, quæ ſanitatem efficiunt aut conſeruant, coniugata ſunt ſanitatis: & quæ bonum corporis habitum, illius ipſius habitus coniugata dicuntur. in aliiſq; eodem modo. quare coniugata quidem eiuſmodi dici ſolent. Caſus
*ἰκτικῶς autem, vt iuſte, fortiter, ſalubriter, * euectice, & quæcunq; ad eundem dicuntur modum. Quanquam & caſus ipſi coniugata eſſe videntur, vt iuſte ad iuſtitiam, ad fortitudinem fortiter. ſiquidem coniugata dicuntur omnia ea, quæcunq; ſub eandem coniugationem cadunt: vt iuſtitia, iuſtus, iuſtum, iuſte. ¶ † Nos Ciceronem ſecuti. ] Is in topicis ſcribit hoc modo: Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis verba ſunt quæ orta ab vno, varie commutantur. vt ſapiens, ſapienter, ſapientia. Hæc verborum coniugatio συζυγία dicitur. ex qua huiuſmodi eſt argumentū. Si compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. ¶ † Sunt autē nonnulla. ] Ait eiuſmodi quoddam diſcrimen eſſe coniugatorum, quale noſtri hodie dialectici afferunt inter ea quæ dicuntur denominatiua: quorum alia ſignificatione ſola, alia ſola voce, alia tam voce quàm ſignificatione, denominatiua vocāt. ¶ † Sanè loci iſtius. ] Quàm rarus ſit 4
vſus loci huius, facile perſpici poteſt ex verbis Quintiliani, apud quem quinto inſtitutionum libro ſic legis: His illud adiicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero vteretur, quod coniugatum vocant. Vt eos qui rem iuſtam faciāt, iuſte facere: quod certe non eget probatione. ¶ † Vbi tas 5
*Miſer men res dederit, vt eo vti poſſimus. ] Sic Cicero eo vſus fortaſſe eſt quinto libro de finibus: Paupertas ſi malum eſt, mens legēdum dicus non * malus eſſe non poteſt, quamuis ſit ſapiens.
apud Ciceronem. Rurſus: Dolere malum: in cruce qui angitur, beatus eſſe non poteſt. Et ſecundo de oratore: Si pietati ſumma tri

buenda laus eſt,debetis moueri, cum Q. Metellum tam
pie lugere videatis.Ibidem:Lucilij pecus hoc non eſt ſed
liberum:quà enim libet paſcitur. Quamquam poſtremũ
6 hoc non inepte duci videatur à nomine. ¶ †Eorũ autem
argumentorum.] De his Fabius libro quinto cap. vn-
7 decimo.¶ †In paupertate Curius. ] Alludit ad locum
Senecæ in libro de prouidẽtia,vbi de fortuna ille loquẽs: Seneca.
Contumaciſſimum quenq; (inquit) & rectiſſimum ag-
greditur, aduerſus quem ſuam vim intendat: ignemq;
experitur in Mutio,paupertatem in Fabricio,exilium in Pauper-
Rutilio,tormenta in Regulo &c.De paupertate M.Cu tas curij.
8 rij,lege Valerium maximum,libro 4.cap.3.¶ †In exilio Rutilius.
Rutilius.] Hic etſi vir erat innocentiæ ſummæ, tamen
cum à publicanorum iniuria Aſiam defendiſſet, inuiſus
equeſtri ordini,penes quem tum iudicia erant,Smyrnam
in exilium miſſus eſt.Vnde cum reuocaretur poſteà à vi
ctore Sylla,maluit in exilio innocens mori, quàm eò vn-
de inique eiectus erat reuerti. Meminit eius rei præter
alios Cicero lib. de oratore primò, & tertio libro de na-
tura deorum.Item Fabius Quintilia. lib. vndecimo: &
9 in epitome Liuiana L.Florus.¶ †In tormẽtis Regulus.] regulus.
Hæc hiſtoria elegantiſſime explicatur apud Gellium, li-
10 bri ſexti capite quarto.¶ †Cyri.] Hunc quo modo Sar- Cyrus.
matæ vicerint occiderintq́;,& caput eius regina Thomi-
ris in vtrem humano ſanguine plenum immerſerit, pri-
11 mo hiſtoriarum libro narrat Herodotus.¶ †Cambyſis.] Cãbyſes.
Hic quemadmodum regno à Magis occupato, Acbata-
nis Syriæ vrbe deceſſerit, idem Herodotus refert libro
12 quarto.¶ †Alexandri.] Hunc poſt euerſum regnum Alexan-
Perſarum,Babylone diem extremum obiiſſe ſcribunt hi- der.
ſtoriographi. Fuerunt qui tradiderint Ariſtotelem An-
tipatro id conſilium dediſſe, vt Alexandrum veneno de

*medio tolleret, idq; venenum fuiſſe Ariſtotelis ingenio*
*dignum, nempe aquam quãdam gelidiſſimam ex Nona-*
*criæ petra ſudantem: quæ præ nimio frigore, nulla alia*
*re, quàm equina vngula potuerit cõtineri. Sed de his plu-*
*Pyrrhus.* *ra apud Plutarchum.* ¶ †*Pyrrhi.*] *Is Arginorum vrbem* 13
*incautius cum exercitu ingreſſus, cum recipere ſeſe in ca-*
*ſtra vellet, muliercula quædam ſuperiori è loco tegulam*
*capiti eius ita impegit, vt tenebris ante oculos obortis ex*
*equo delaberetur: cõtinuoq; à milite quodam Antigoni,*
*cui Zophyro nomen erat, occiſus eſt. autor Plutarchus.*

## DE LOCIS IIS QVI CIRCA *ſubſtantiam rei eſſe dicuntur.*

¶ *Quid adiacens, quæ adiacentium diuerſitas, quæ quibus maxime inſint rebus.*

## CAPVT XI

*Adiacentia.* CIrca ſubſtãtiam diximus eſſe adia-
centia & actus. †Adiacens voca- 1
mus modum rei inexiſtẽtem, quo
aliquid aliud quàm ſecundũ ſub-
ſtantiæ ſuæ denominationem vocatur. Vt pru-
dentia eſt modus quidam hominis. cum enim
interroges, cuiuſmodi vir ſit Cato: recte reſpõ-
deas, prudens. Itaq; capit ex prudẽtia nomen
aliud quoddã quàm ſubſtantię ſuæ, neq; enim
Cato à ſubſtantia ſua prudens, ſed homo vo-
*Adiacentium diuiſio prima.* catur. ¶ †Multiplex eſt hic locus, variosq; fle- 2
xus habet. In ſumma quidẽ omnia, quæ adia-
cent rebus, aut ſenſibus comprehendũtur, aut
cognoſcuntur intellectu. † Senſu comprehen- 3
dũtur, primum cõmunia illa plurium ſenſuũ.

Multitudo, id eſt numeri omnes. Magnitudo, quæ tribus in rebus poſita eſt, in longitudine, latitudine, & craſſitudine. Figura, cuiuſmodi eſt planum, iniquũ, rectũ, curuum, triangulũ, quadrangulum, circulare, & reliqua id genus. Cõprehenditur & motus: ſed hic alterius loci eſt, ad actus enim pertinet. Deinde quæ ſingulorum ſenſuũ ſunt propria, Vt viſus lucidum, obſcurũ, perſpicuum, opacũ, coloratum: auditus, ſonus: guſtus, ſapor: olfact⁹, odor: tactus, calidum, frigidũ, humidum, ſiccum, durum, molle, aſperum, leue, & reliqua quæ tactu per- Quæ percipiantur ſenſu.

4 cipiũtur. † Hæc ſunt ſemina omnis noſtrę ſciẽtiæ. hæc omnis humanorũ ingeniorũ iactatio. Ex iis varie coniunctis coagmẽtatisq́; omniũ rerũ ſpecies, multitudinẽ, varietatemq́; diſcernimus. Itaq; dubitet quis, querela ne dignius ſit tam in arcto humani ingenij vim eſſe conclusam, an potius admiratione, quòd tam exiguis initiis ad tãtam rerum inueſtigationem, licet dubiam, licet incertã, ad inueſtigationem tamen potuerit peruenire. ¶ Intellectu vero comprehenduntur, quæcunq; ex iſtis animus, Quæ intellectus comprehendat.

5 agitatione mẽtis, colligit atq; decerpit. Vt † in magnete colorem quidem & figuram videmus: vim qua ad ſe ferrum rapit, intellectu

6 deprehendimus. Sic † in hæmatite, ſic † in ſma

7 ragdo, alterius ruborem, alterius virorem oculis eſt cognoſcere: cauſam autẽ qua hic impu-

dicitiæ impatiens eſt,ille ſanguinẽ ſiſtit, mens
ſola perſpexit. Velocem eſſe curſum viſu qui-
dem diiudices: velocitatem in quieſcente non
niſi intellectu, vel ex curſu quem vidiſti, vel
ex membrorũ argutia agilitateq́ colligas. Sic
robur etiam in eo qui nihil ferat. ſic reliqua.

*Secunda diuiſio adiacentiũ.*

¶ Adiacentium † quædam natiua ſunt,quędã 8
parantur & accedunt. Natiua ſunt, vt in igne
calor,in aqua humor,in terra ſiccitas. Accedẽ
tia ſunt,qualia in aqua calor,cum igni adhibe
tur:rigor,cum vehementius perfrixit: in cera
liquor cum funditur.

*Subdiuiſio eorum quæ accedunt.*

¶ † Quæ accedũt autem, 9
eorum quędã facile dimouentur ab eo,in quo
ſunt. Vt ruborem ex pudore contractũ, pallo-
rem ex metu,continuo vbi cauſæ deſierint etiã
deficere videas. Quędam vero difficulter au-
ferũtur,qualia ſunt,quæ vel in aliquod,quod
natura capax ſit eorũ veniunt,vt additus non-
uullis rebus vel color vel ſapor,& in nõnullis
animis pauor ſemel acceptus, vel amor, vel
odium,nõ niſi morte ſinitur.qualia etiam quę
longo vſu exercitioq́ verterunt † in conſuetu- 10
dinem,vt ſunt ſtudia & artes humanæ,vt ani-
mi motus,qui crebro repetiti,prope in naturã
tranſeunt.

*Natiua adiacẽtia qbus potiſſimum inſint.*

¶ Sed natiuorum, cum in omnibus
rebus, tũ præcipuus eſt in eis quæ ſenſus ſunt
expertia,locus. † Qualis eſt vis quædam tuen- 11
di conſeruandiq́ ſui, tum aliud aliquid ſimile
ſibi efficiendi, Vt ignis calore, aqua ſe frigore
tuetur,

tuetur, terra duritie reſiſtit, aër liquiditate ela•
bitur. Iam cuncta aliquid gignere ſimile nitũ•
tur, vt ignis ignem, aqua aquam, in herbis ar•
boribusq́ fruges ſunt & fructus producenda•
12 rum aliarum ſemina. † Iam in lapidibus gem•
misq́, iam in reliquis omnibus, quæcunq; ter•
ra mariq́ naſcuntur, varia poteſtas, noxia reli•
quis rebus, vel ſalutaris, pro cuiuſq; naturæ
diuerſitate. Sic in animalibus, alia ad corpus
pertinent, alia ad animam. Ad corpus, vt fœ•
cunditas, vt proſperior naturæ valetudo, ro•
bur, velocitas, pulchritudo, contrariaq́ iſtis.
Ad animam, ſentiendi memorandiq́ vis, fe•
ritas, manſuetudo, docilitas, indocilitas, aſtus,
ſocordia, iſtisq́ ſimilia. Natiua enim eſt quæ•
dam hæc omnibus adiacens vis, qua cuncta
in deſtinatum debitumq́ naturæ ſuæ feruntur
opus. Neq; enim author ille rerũ ſegne quic•
quam aut ſine vſu eſſe voluit: ſed tanquam in
13 prudentis patrisfamiliâs domo, cuncta † vt
eſſent in officio effecit. ¶ Accedunt & eis quæ Quibus
ſenſuum expertia ſunt multa, plura tamen ani potiſſimũ
malibus, quoniam naturæ vigore in plures ſe inſint ad
conatus attollentia, in plura incurrant opor• iacentia
tet. Ergo in corpore eſt ægritudo & ſanitas, & ea, quæ ſo
melior deteriorq́ habitudo, fames, ſitis, ſaties, rinſecus
ſomnus, vigilia, & meditatione parata velo• accedũt.
citas, & vſu robur firmatum, & cultu decor
additus. In anima, vt in equo, inſtitutio fer•

mandi gradus ad certum numerum, in cane venatio: & in reliquis animalibus, quæcunq; vel homine monſtrante, vel rerum vſu percipiunt. Nam & efferatiora quædam fiunt vſu, quædam contrà manſueſcunt, & vitare pericula & inſidias ſtruere conſuetudine addiſcũt. Homo quoniam maxime (vt dici ſolet) animus eſt, maxime quoque hac parte conſpicitur: † ergo prima ferè in eo peruidentur ani- 14
mi affectiones, ira, amor, metus, ſpes, gaudiũ, dolor, inuidia, miſericordia, & reliqua. † Et 15
iſta quidem nonnunquam ſic intelligi poſſunt, vt ſint natiua. Quoniam pleriq;, alius ad aliud iſtorum, naturæ inſtinctu ſunt propenſiores. Quandoq; vt ſint vſu parata. Cuicũq; enim iſtorum frequentius † regendum ſe quis 16
auferendumq; permiſerit, id totum demum occupat hominem, iuriſq; ſui facit: & ſequitur illa quam ἕξιν Græci, noſtrorum nonnulli verbum è verbo habitum: qui optime fortaſſe, conſuetudinem dicunt. Tum etiam accipiuntur iſta, vt ſint temporariæ & veloces quędam animi affectiones. Vt dicimus permotione aliqua efferbuiſſe quem ira, metu trepidaſſe, amore exarſiſſe. Itaque pro hac diuerſitate, haud difficile fuerit diſcernere, quorſum, id eſt, in quod adiacentium genus, oporteat iſta conferri. Poſt iſta ſunt quæ ratione duce conſequimur, vt ſunt artes omnes hominum. † Qua- 17

rum aliæ ad ſolam pertinent rerum cognitionem, aliæ ad actionem. Ad cognitionem pertinent, quæ naturam rerum qualitatesq́ & cauſas omnium, quæ terra, mari, cæloq́ fiunt, ſcrutantur: quæq́ differendi emendate, credibiliter, polite, rationem tradunt. Actionis artes ſunt, quæ vel ea docent, quibus corpus tuemur. vt eſt agricultura, vt militia, vt mercatura, & fabriles omnes, & manuariæ (vt ita dicamus) artes. Vel ea tradunt, quibus emendatur animus, & mores hominum, vitaq́ formatur. Nec ipſæ ſolum artes huc referuntur, ſed etiam quæ hauriuntur ex eis virtutes, prudentia, religio, pietas, beneuolentia, iuſtitia, tolerantia, magnanimitas, temperantia, modeſtia, benignitas, & quæcunq; aliæ ſunt, quibus legitime nos & ſecundum rectæ rationis præſcriptum, tales aduerſum deũ, homines, nosq́ ipſos quales ius fasq́ eſt eſſe, præbemus.

¶ Vt ergo cuncta quaſi in ſummam redigamus. Adiacentia, quæcunq; ad rationis intelligendiq́ vim pertinent, in ſolo homine quæruntur. Senſus, & mouendi vis, & quæcunq; circa ea ſunt, in omnibus ſpectantur animalibus, ali, creſcere, firmari, conſumi communia ſunt omnium viuentiũ. Nam quæ corpori inſunt, in omnibus reliquis, quæ videri tãgiq́ poſſunt, eſt inuenire. Et horum, quædam natiua ſunt rebus, quæ perpetuo inſunt ipſis: quæ- *Dictorũ epilogus.*

dam diuturnitate firmantur, quædam permutantur ſubinde, & velut in diem eunt atque redeunt. Horum omnium, alia ſenſu, alia intellectu comprehenduntur: nō quòd quicquid ſentitur, non & intelligatur etiam: aut quicquam in intellectu ſit, quod nō aliqua via ad ipſum ſit per ſenſus profectum: ſed quòd alia ſunt quæ prima ſeſe nobis cognoſcenda offerunt, viamq́ mentis, per ſenſus aperiunt: alia vt intellectus ex iis ipſis colliguntur. Ita illa ei ad quod primum, hæc ei ad quod potiſſimū pertinent, attribuere viſum eſt.

## SCHOLIA IN CAP. XI.

*ADiacens † vocamus.* ] *Adiacētium vocabulo ea*
*ferè complectitur* Rodolphus, *quæ quantitates*
*qualitatesq́; ab* Ariſtotele *in categorijs dicun-* 1
*tur, quatenus hæc ad ſua referuntur ſubiecta. aliò nanq́;*
*relata, alia ſortiuntur & nomina. Verbi cauſa. Virtus re*
*lata ad animum, adiacens eſt. eadem cum ad felicitatem*
*refertur, de numero eſt deſtinatorum: cum ad vitium, re-*
*pugnans: cum ad iuſtitiam & temperantiā, genus: cum*
*ad habitum animi, ſpecies.* ¶ † *Multiplex eſt hic locus.* ]
*Duas ponit in ſumma diuiſiones adiacētium.* Nam prin
Adiacentiū diuerſitas. *cipio, adiacentia omnia aut percipiuntur ſenſu, aut intel* 2
*lectu comprehenduntur. Deinde, quædam eorum natiua*
*ſunt, quædam forinſecus accedunt. Partes diuiſionis*
*vtriuſq́;, partim* Rodolphus *ipſe ſatis dilucide explicat,*
*partim nos ſuo quanq́; loco explicaturi ſumus.* ¶ † *Senſu*
*comprehenduntur.* ] *Duo genera* Ariſtoteles *facit corū,*
*quæ comprehenduntur ſenſu, alia enim ſentiri ſecundum* 3

ſe,alia ſecundum accidens. Secundum ſe ea ſentiri dicun-
tur,quæ ipſa in cauſa ſunt,cur ſenſu percipiantur. vt co-
lor viſu,ſapor guſtu,olfactu odor. Secundum accidens,
quæ non ſua ſed alterius cuiuſpiam gratia ſenſu compre
henduntur. quemadmodum homo, vocis modo quam fa-
cit gratia audiri poteſt: & cur videatur, in cauſa eſt co-
lor. Rodolphus de priori tantum genere loquitur. quorũ
eiuſmodi rurſum diſcrimen eſt,vt partim cõmunia, par-
tim propria eſſe dicantur. Communia ſunt, quæ pluri-
bus comprehendi ſenſibus poſſunt. vt magnitudo,nume-
rus,quies,motus,figura. Propria, quæ ſingulis modo ſen
ſibus cognoſcuntur. vt color viſu, ſonus auditu, olfa-
ctu odor,ſapor guſtu, tactu frigidum, calidum, humi-
dum,ſiccum,quæq; alia eius generis ſunt. ¶ + Hæc ſunt
ſemina.] Ariſtotelem authorem ſecutus hoc dicit,qui pu
4 tat omnem cognitionem noſtram oriri à ſenſibus. ¶ + In
magnete.] De hoc Plinius libro trigeſimoſexto, capite
5 decimoſexto. Nomen ab inuentore habet. ¶ + In hæma-
tite] Gemma eſt,nomen à virtute atque effectu habens,
6 nempe à ſiſtendo ſanguine, αἷμα enim Græcis ſanguinẽ
eſſe nemo ignorat. Plinius libro trigeſimoſeptimo, cap.
decimo. ¶ + In ſmaragdo.] Et huius gemmæ mentio fit
apud Plinium,libro eodem,capite ſeptimo. ¶ + Quædam
7 natiua.] Natiua adiacẽtia ſunt,quæ intrinſecus ex ipſa
8 re oriuntur,velutiq; innata ſunt. Accedere dicuntur ea,
quæ extrinſecus in rem cadunt. Verbi cauſa. Sunt quibus
natura corpus tam firmum ac patiens dedit,vt laborem,
inediam,frigus aliaq; id genus facile ferre poſsint. Sunt
rurſus,quibus etſi natura id largita non eſt, lõga tamen
exercitatione ac conſuetudine id aſſequuntur, vt & ipſi
ad toleranda ea quæ dixi,idonei euadant. Hæc ergo cor-
poris patiẽtia ac firmitudo,in prioribus quidem illis na-

tiuum eſt adiacens, poſterioribus verò accedit. ¶ + Quæ 9
accedunt autem, eorum quædam facile dimouētur &c. ]
Ad hæc plene intelligenda, plurimum momēti attulerint
ea, quæ de qualitate in categorijs tradit Ariſtoteles. ¶ + In 10
conſuetudinem. ] Ita interpretatur, quam Græci ἕξιν La-
tinorum quidam habitum vocant. Cicero cum alibi tum
ſecundo de oratore, & ſecutus hunc Quintilianus, con-
ſuetudinem nominant. ¶ + Qualis eſt vis quædam tuen- 11
di ] Non hoc accipiendum, quaſi hæc ſolis inſint illis quæ
ſenſu carent: ſed quòd in illis nihil inſit hiſce præſtan-
tius. Alioqui & in animantibus quoq; ea reperiri vel Ci-
cero in officijs docet: Principio (inquiens) generi animā-
tium omni eſt à natura attributum, vt ſe, vitam, corpusq́;
tueatur, declinetq́; ea quæ ei nocitura videantur: quæq́;
ſint ad viuendum neceſſaria inquirat & paret: vt paſtū,
vt latibula, vt alia eiuſdem generis. Commune autē ani-
mantium omnium eſt, coniunctionis appetitus, procrean-
di cauſa: & cura quædam eorum quæ procreata ſunt.
¶ + Iam in lapidibus gemmisq́;. ] Eiuſmodi miraculorū 12
plenus eſt Plinius. ¶ + Vt eſſent in officio. ] Vt nuſquā 13
deſiderent, vt officio ſuo fungerentur. ¶ + Ergo prima 14
ferè. ] Triplicia adiacentia tribuit animo hominis, affe-
ctiones, artes, virtutes. ¶ + Et iſta quidem. ] Affectiones 5
dit triſariā cōſiderari poſſe: vt natiuas, vt vſu atq; exer-
citatione quæſitas, vt temporarias momentaneasq́; quaſ-
dam animi motiones, quæ vt repente adueniūt, ita abeūt
quoq; ſubito ac recedunt. Id apud Ariſtotelem dicere li-
ceat hoc modo: hæc interim in ſecunda, interim in prima,
interim in tertia eſſe ſpecie qualitatis. Porrò Boethius in
categorias Ariſtotelis ſcribens, ait non eſſe abſurdum,
ſi res eadem diuerſis conſiderata modis, diuerſis item ge-
neribus ſubijciatur: ne quid obturbent hic iſti, qui inter

Affectionum triplex cōſideratio.

omnia ea quæ ſub diuerſa genera cadunt, realem neſcio quam ſubeſſe aiunt diſtinctionem. Qua in parte erroris coarguere eos poterat vel Thomas ille Aquinas, qui figuras & patibiles qualitates, prout varie conſiderantur, modo ad primum, modo ad tertium aut quartum genus ſubeſſe qualitatum pertinere exiſtimat. Verum hæc non perinde arridebunt ſcio Dominico de Flandria: quare ne is nobis negotium faceſſat, & in ſua arena imparatos adoria-
19 tur, his miſsis, cætera perſequamur. ¶ † Regendum auferendumq́;. ] Id tum fit, cum adeò nobis affectus dominantur, vt quocunque impulerint illi, vel nolentes ſequi cogamur. Sanè initio non difficillimum eſt obuiam ire affectibus, at poſtquam ſemel ac iterum tertioq́; illis fueris obſecutus, tantas interim colligunt vires, vt inuitum
17 quoque ac renitentem quoquo verſus impellãt. ¶ † Quarum aliæ. ] Artium, inquit, aliæ cognitiuæ ſunt, aliæ actiuæ. Cognitiuæ ſunt, quarum finis cognitio eſt. vt ſunt quas phyſicas vocant ac mathematicas, quæq́; ſermonis artificium docent, vt grammatica, rhetorica, & dialectica. Actiuæ, quarum finis eſt actio, vt ſunt quæ partim mechanicæ, partim morales dicuntur. Sed de his rurſum libri ſequentis cap. 2. & nono. Quintilianus ſecundi inſtitutionum libri capite decimonono, tria artium genera facit, inſpectiuum, adminiſtratiuum, & effectiuum. τὸ θεωρητικὸν, τὸ πρακτικὸν, καὶ τὸ ποιητικόν.

An ſpecies eadẽ poßit diuerſis generibus.

Dominicus de Flãdria.

Artiũ diuerſitas.

¶ Actiuum nomen quid hic deſignet, quomodo diuidatur, & quanta huius loci cõmoditas.

CAP. XII.

ABt adiacentibus oriuntur actus. 1
vnumquodque enim pro modo
naturæ ſuę, vtcꝗ aliter aliterve affe-
Actus ctum eſt, agit. Actus autem in præ-
quid. ſentia non ita accipiendus eſt vt à paſſione di-
ſtinguatur: ſed vt ſit actus id, quocũcꝗ aliquo
modo exerceri afficiꝗ dicimur. Ita & timere,
& dolere, & ægrotare, quieſcere etiam & vaca-
re, nobis actus erunt. omnia enim, cum actus
rei ſcrutamur, venient conſideranda, & argu-
menti aliquid in hanc illámve partem dabũt.

Diuiſio actuũ prima. ¶ Poſſumus (ſi videtur) actus pro adiacentiũ, è quibus naſcuntur, varietate diſtinguere, Vt ſint alij qui proueniant ex natiuis, vt in igne calere, lucere in ſole, in animali paſci, moueri, natare, volare, dormire, ingredi, vigilare. Alij, quia conſuetudine firmatis veniant, vt ſcribere, orare, mederi, iaculari, gubernare. Alii, qui ex ſubitis prodeant affectionibus, & breui momento prætereuntibus: vt rubere ex pudore, ex metu concuti, ex lætitia geſtire.

Altera eorũdem diuiſio. ¶ Sunt etiã qui nihil efficiunt, ſed intra ſe conſumuntur: vt ſunt currere, ambulare, volare, videre, audire, intelligere. Quidã, qui præter ſeipſos opus abſoluunt: vt ædificare, domum efficit: texere, pannum: ſcribere, literas.

Diuiſio tertia. ¶ Et hi quidem, qui nihil extra ſe efficiunt, alij quidē propter finem aliquē fiunt, Vt qui ambulat, vel idcirco id facit, vt aliquò perueniat, vel

ſanitatis cauſa. qui videt, vt aliquid percipiat. qui dormit, vt laſſitudinem ponat. Alij, vel carẽt fine, vel in proſpecto nõ habẽt. Vt gaudere planè caret fine. nemo enim eſt, qui quẽ in vſum gaudeat, dicere poſſit, niſi vt gaudeat Sic etiam dolere, ægrotare, metuere, ſperare, iraſci. Si quem enim interroges, quẽ in vſum iraſcatur, in nullũ dicat: ſed quia iniuria prouocatus ſit, facere aliter nõ poſſe. Sic etiam qui amat. Quanquam hic fortaſſe poſſit dicere, finem ſibi eſſe, potiri re cupita: & iraſcens ita dicat, finem ſibi eſſe vindictam. Verum hi forte fines ſunt eorum, qui amore atque ira perciti agunt. Amoris certe & iræ non ſunt fines: cum vtrunque aſſequi & cõmodius fortaſſe poſſent, vt non amore & ira ſeſe torquerent. Inconſul- *Obiectio.* *Dilutio.*
2 tus eſt enim omnis animi ſubitus affectus: † & ad eam partem animi pertinent, quæ rationis eſt expers. neque proſpicere finem poſſunt. ¶ Et alij quidem ex præteritis naſcuntur tantũ, vel præſentibus. Alij etſi oriãtur ex futuris, & partem aliquam percipiant futuri: non tamen vt fiant illa, ſic afficimur: ſed quia illa vẽtura arbitramur, concutimur animo & conſiſtere nequimus. Quod in timore apertius eſt & inuidia. Quæ tamen certum eſt eiuſdem naturæ & conditionis eſſe, qua reliquos omnes. Cauſa *Diuiſio quarta.*
3 huius eſt † quoniam iſta agendi voce paſſionem ſignificat. ¶ Omnis autem actio (non illa

quam nos iam communi vocabulo actum di-
cimus,ſed ea,quæ proprie phyſicis hoc nomi-
ne ſignatur) finem aliquem reſpicit, propter
quem ſuſcipitur ipſa. Isq́; finis, vel res ea eſt,
quæ patitur, vel circa ipſam eſt. Patiens autem
non ad aliud, quatenus patiẽs eſt, ſed ad agẽs
reſpectat. Itaque finem habere non poteſt. Ne-
que enim agens ei finis eſt, cũ ipſum ſit agẽtis
finis. Niſi forte ea ſit rei cõditio, vt id quod pa
titur, actione aliqua in agens recurrat. Vt na-
uem fabricanti qua ipſe ſit nauigaturus, finis
primum quidem nauigatoris eſt nauis. Dein-
de rurſus, quia nauis portat tueturq́; ipſum
qui fabricatus eſt, ipſe inuicem finis eſt nauis.
Hoc enim pacto fieri poteſt, vt agens atq; pa-
tiens viciſſim alterum alteri finis fiant, cũ pro-
inde vtrunq; agat atq; patiatur. Sed, vel ſcru-
puloſiora fortaſſe ſunt iſta, vel non ita multũ
præſenti rerũ tractatui neceſſaria. Illud anno-
tandum videtur, quædã nomina agendi faciẽ
habere, cum reuera adiacẽtia ſint. Quædã con
trà, adiacentiũ voce actũ ſignificant. † Neque 4
enim calere, & albere aliud ſunt, quam calidũ
eſſe, & albũ: quæ certũ eſt eſſe adiacẽtia. Sic, &
ſcire, & cognoſcere, & quieſcere. Ac e diuerſo,
curſus currendi actũ, & ſermo locutionẽ, & lo
cutio loquendi actum ſignificat. Quod igitur
proprie actus eſt, † id oportet, vt ſit in quadã 5
agitatione, hoc quod Græci ἐντελέχειαν vocant,

poſitum,id eſt,vt vel fieri aliquid,aut perire, vel item augeri,aut diminui, vel qualitatũ alteratione permutari,vel in tranſpoſitione aliqua lociq́; commutatione intelligatur. Quod enim in vno fixoq́; gradu conſiſtit, certum eſt nequaquam agi poſſe. ¶ Magno vſui ſunt hi loci eis,qui de rerum proprietate naturaq́; diſſerũt. Vtq́; etiã de aliis diſſeratur, plurimum tamen fidei parant ducta hinc,hoc eſt ex interioribus rerum penetralibus argumẽta, atque è natura eorũ( de quibus oratio eſt) deprompta. Aut hæc enim rerum natura eſt,aut ſi qua alia eſt,ignotam nobis eſſe ( niſi me tamen caligo ingenii mei fallit) fatẽdum eſt. Hæc enim fere videntur eſſe illa,quæ mẽtis humanæ poſſit cõplecti vis. Reliqua,vt intra altiores rerũ naturæ ſinus recondita,aut ignoramus, aut ex iſtorũ comparatione,magis quid non ſint dicere,quam quid ſint cõprehendere valemus.

*Vſus adiacẽtium & actuũ.*

SCHOLIA IN CAPVT XII.

1 *AB + adiacentibus.] Principio quid ſit actus definit. Deinde quatuor affert actuum diuiſiones, atq; diſcrimina. Hinc tres notatiunculæ ſubijciuntur. Poſtremo, quanta ſit, vel huius, vel præcedẽtis loci commoditas, explicatur. ¶ Finitio. Actus hic dicitur illud, quocunq; aliquo modo affici, exerceriq́; dicimur. ¶ Prima diuiſio. Actus partim à natiuis adiacentibus oriuntur, partim ex ijs proueniunt adiacentibus, quæ vſu conſuetudineq́; firmantur, partim ex ſubitis illis momentaneiſque animi corporiſve affectionibus.*

Diuiſio ſecunda, Actuū alij operis aliquid extra ſeſe efficiunt, vt texere, ædificare. alij intra ſe conſumuntur, vt currere, ambulare. Tertia. Eorum actuum qui nihil extra ſe operis efficiunt, quidam propter certum aliquem fiunt finem, quidam nullum definitum finem habent. Quarta. Actuum eorum qui definitum finem non habēt, alij ex præteritis, ac præſentibus cauſis oriuntur, alij ex futuris. ¶ Notatio prima. Omnis actio proprie dicta, finem aliquem ſpectat, paßio nunquam. Secūda. Sunt quæ ex figura verbi actus eſſe videantur, cum reuera ſint adiacentia. Quædam rurſus adiacentia, cum ſint actus. Tertia. Omnis actio proprie dicta, in motu, atq; agitatione quadam eſt poſita. Quæ ſequuntur, ea per ſe ſatis aperta ſunt. ¶ † Et ad eam animi partem pertinent. ] Philoſophi, tres faciunt animi partes, rationem, iraſcentiam, & cupiditatem. Qua de re ita Apuleius in libello qui inſcribitur de dogmate Platonis. At enim cum tres partes animi dicat eſſe: rationabilem, id eſt mentis optimam portionem, hanc ait capitis arcem tenere: iraſcentiam verò procul à ratione ad domicilium cordis deductam eſſe, obſequi eam, & reſpondere in loco ſapientiæ: cupidinē, atq; appetitus, poſtremam portionem, infernas abdominis ſedes obtinere, vt popinas quaſdam, & latrinarū latebras, diuerſoria nequitiæ, atq; luxuriæ. Hactenus Apuleius. Porrò illud leuiculum, verba hæc, pertinent, & poßunt, ad ſenſum magis eorum quæ præcedunt, quàm ad verba referri. ¶ † Quoniam iſta agēdi voce paßionem ſignificant.. Monent dialectici, quædam eſſe verba, quæ cum actiui ſint generis, tamen reuera paßionem ſignificent, vt timere, metuere, inuidere, guſtare, ridere. Cuius rei & Priſcianus meminit. ¶ † Neque enim calere. ] Quid? calere ergo actus non eſt? Atqui tu id verbum Rodolphe

Animi partes tres. 2 3 4

paulò ſuperius in hoc albo recenſuiſti, cum ageres de actibus iis, qui ex natiuis adiacentibus proueniũt. Quid dicemus? An hoc fortaſsis, Rodolphum ſuperius ad ſolam reſpexiſſe vocem, bis rem ſignificatam magis quàm vocem ſpectaſſe? Quanquam & hic vnus videri poteſt ex locis illis, de quibus ſumus dicturi poſtea, quos ſi recognouiſſet Rodolphus, emendatiores profecto in lucem
5 exiſſent. ¶ † Id oportet vt ſit in quadam agitatione, hoc quod Græci ἐντελέχειαν vocant, poſitum.] Longum ſit recenſere, quàm diuerſa ſuper nomine ἐντελεχείας ſcripſerint authores: dum principio illud in dubiũ vertitur, ἐντελέχεια ſcribi debeat, per τ literam. an ἐνδελέχειαν per δ. quorum poſterius hoc continuatam quandam ac perennem ſignificat motionem: illud prius, verbum è verbi perfectihabiam. Prior lectio arridet pluribus, vt videre eſt apud Budæum, quam & Plutarchus ſecutus videtur, cum in placitis philoſophorum ſic ait: Ἀριστοτέλης ἐντελέχειαν πρώτην σώματος φυσικοῦ, ὀργανικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος, τὴν δὲ ἐντελέχειαν ἀκουστέον ἀντὶ τῆς ἐνεργείας. Hoc eſt, quemadmodum interpretatur Budæus; Ariſtoteles animã cenſet eſſe entelechiam primã corporis naturalis, potentia inſtrumenti vitam habentis. Entelechiam autem, id eſt, verbum ex verbo perfectihabiam, pro efficientia intelligere oportet. Hæc Plutarchus. Cicero poſteriorem lectionem in Tuſculanis ſecutus eſt, cuius ſententiam pro viribus defendunt Philippus Beroaldus, & Angelus Politianus. Vtri rectius ſentiant, viderit deus aliquis. Rodolphus ad Ciceronis propius quàm aliorum ſententiam accedere mihi videtur: neque tam alludere ad locum eum qui eſt primo libro de anima: quàm qui eſt tertio phyſicorum, vbi motum quoque ἐντελέχειαν eſſe ait Ariſtoteles. Lucianus ludens more ſuo, quodam in loco

ἐντελέχεια.

*ait, eam quæ prius dicta fuit ἐνδελέχεια, poſt ἐντελέχειαν dici cœpiſſe, & in locum τοῦ δ ſucceſsiſſe τὸ τ. Budæus ait ἐντελέχειαν quaſi τοῦ ἐντελοῦς συνοχὴν id eſt perfecti corporis comprehenſionem. quæ etymologia, an quemadmodum probe quadrat animæ, ita motibus quoq; cõueniat, ſecum expendat lector. Sanè Ariſtoteles vtrobiq; eodem nomine vſus eſt.*

*¶ Subiecti vocabulum quot modis accipiatur, quomodo hic eo vtendum, & obiecta ſenſuum proprie ſubiecta non eſſe.*

CAP. XIII.

*Subiecti vocabulũ quot habeat ſignificationes.*

SVbiecti nomen, in varias ſignifi-
cationes ductũ eſt. Dicimus enim
ſubiectũ (vnde origo eſt nomini)
id quod iactũ eſt ſub aliud. Vnde
inquit Poëta: †Pedibusq; rotarum Subiiciunt 1
lapſus. Item per tranſlationem, †Parcere ſubie 2
ctis & debellare ſuperbos. † Iam in pronũcia- 3
tis ſubiectum eſt, de quo aliquid dicitur. vt cũ
dicimus, homo eſt animal, homo eſt ſubiectũ.
Sic etiam ſubiectum, in quo eſt aliquid. vt pru
dentiæ ſubiectum hominem dicimus, & ſubie-
ctum formæ materiam. Dicimus etiam id, cir-
ca quod tractatus actioq; rei cuiuſpiam verſa-
tur. ſic ſubiectum viſus colorem dicimus: ſub-
iecta artium, ea quæ præcipue ſibi conſideran-
da ſumpſerunt. Dicitur & aliter, † octo enim 4
ſignificationes fecere, ſed quo modo vel plu-
res fieri poſſent, & quæ omnes recidant in eas
quas diximus. In præſentia autem nobis ſit

ſubiectum, adiacẽtium quidem id, cui aliquid *Quid hic*
ineſt: actuum vero, & iſtud ipſum, & illud etiã *ſubiectũ.*
quod actioni alicuius eſt obiectum. Illi nanque
actus, qui aliquid extra ſe efficiunt, neceſſe eſt
habeant ſubiectum ex quo proficiſcantur. de-
inde aliud, quod expoſitũ ſit ipſis & in quod
tendant: vt caleſcere, primum oportet in igne
eſſe, is enim eſt qui calefacit. Deinde niſi ſit ali
quid in quod explicet vim ſuã, & in quo effi-
5 ciat calorem, non poterit calefacere. †Agentiũ
enim actus (inquit Ariſtoteles) in patiente
ſunt accommodato. ¶ Sentiendi autem & in- *Obiectã*
telligendi, ea quæ obiecta dicuntur, non ſunt *ſenſuum*
6 forte niſi nominis ſimilitudine ſubiecta, †Sen- *& mentis.*
tiendi enim ſubiecta, efficientia verius dicen-
tur. Color enim, per aera perſpicuum, inuiſibi-
libus quibuſdã ſimulacris, & imaginem ipſius
perferentibus, ſparſus, vbi incurrerit in ocu-
lum, ferit ipſum, & ad videndum excitat. Sic
ſonus auditum mouet, & odor olfactum. & re-
liqua quæ ſentiuntur, vbi partem illam corpo-
ris noſtri, qua percipi poſſunt, attigerunt euo-
cant animæ vim, quæ per eam ſe partẽ exerit,
& ad ſe apprehendenda impellũt. Quæ mens
noſtra deinde accepta à ſenſib9, cognoſcit pri-
mum, deinde varie multipliciterque compoſita
inter ſe atque diuiſa, formas omnes rerum ha-
bitudinesque & genera ordinemque cunctorum
elicit, diſcernit, diſponit, inque varios artium

ſcientiarumq́ diſtribuit vſus. Hæc ergo ſi in-
tuebimur, facile nobis liquebit, ſenſum ab iis
quæ ſentiuntur pati: mentem ab iis quæ intel-
liguntur, imaginem quandam & ſimulacrum
patiendi accipere. Quo fit, vt exiſtentia tãtum
& præſentia ſentiri poſſint, intelligãtur autem
& abſentia, & quæ interierunt, quæq́ nõdum
ſunt nata. Sic ea quæ ſenſibus obiiciuntur, ſimi
liora ſunt efficientibus. Artes omnes ſciẽtiæq́,
eis circa quæ verſantur comparatæ, pronũcia-
tis poterunt aſcribi. Ea cuiuſmodi ſint, ſuo lo-
*Omnium ſubiectũ eſſe ſubſtantiam.*
co dicetur. ¶ Subiectum autem proprie omniũ
id eſt, † quod ex decem primis rerum generi- 7
bus, † Græci ὀυσίαν, nos eſſentiam (ſi per gram 8
maticos liceret) verbum è verbo diceremus,
nunc ſubſtantiam dicimus. Huic enim reliqua
omnia ſunt innixa, hæc receptaculũ eſt funda-
*Quãtitas quomodo ſubiectũ dicatur.*
mentumq́ omniũ. Magnitudo autem, quã in-
ter adiacentia numerauimus, ſi ſubſtantiæ cõ-
paretur, adiacentibus accedit. ſin reliquis con
feratur adiacentibus, ſubiecti habet vicem, nõ
quidẽ vt in ipſa ſint adiacentia, † ſed quod ne- 9
queant niſi illius interuentu, ea præſertim quæ
corpori adiacent, in ſubſtantia reponi. Neque
enim quicquam album vel nigrum ſine vlla
magnitudine cogitare poſſumus, nec calidum
vel frigidum, nec durum vel molle, nec alio-
rum huiuſmodi quicquam. Quare ſi dicam,
muſicum albũ eſſe: muſicum certũ eſt à muſica
dici,

dici,id autem eſt adiacens.patet ergo,non eſſe ſubiectum alibi. Sic iuſtum probũ eſſe, iuſtus non eſt ſubiectum probitatis:iuſtus enim à iuſtitia nomen habet, iuſtitia vero non ſubiectũ eſt probitatis,ſed ſpecies. Si autem dicam hominem prudentem eſſe, homo eſt ſubiectum. ſubſtãtia enim eſt homo.Ita aquam frigidam, aqua ſubſtantiæ eſt nomen.Ita bouem occidi, bos ſubſtantia eſt in quam tendit occidendi actus,ſic,vt in ipſam ſe recipiat.Ex quibus facile perſpicitur id quod diximus, ea quæ ſenſibus mentisq; agitatione expoſita ſunt,nõ ſatis recte ad hanc noſtram rationem poſſe ſubiecta dici. Quid ergo , ſi quis eum quærat de illis ,per hunc ſe quærere locum credat:Erratũ erit quidem,ſed cuius iubeam ſecurũ eſſe eum qui inuenire cupiet.Id enim agat,vt inueniat: ſi poteſt ex proprijs locis,optimum quidem erit.certiore nanq; curſu intentionem mentis diriget.Sin minus poteſt ex propriis,at vndecunq; poteſt, dummodo inueniat. In artibus enim,quæ operis gratia diſcuntur, non quàm exacte præceptionum fines diſtinguas , ſed quàm commode illis vtare,ſolet æſtimari.

## SCOLIA IN CAP. XIII.

1 *Pedibusq; † rotarum Subijciunt lapſus.*] *Locus eſt* Pronun-
2 *ſecundo libro Æneidos.* ¶ † *Parcere ſubiectis.*] ciatum.
3 *Æneidos ſexto.* ¶ † *Iam in pronunciatis.*] *Cicero* ἀξίωμα
*prima Tuſculana pronũciatũ vocat, quod Græci* ἀξίωμα,

Prolo- M. Varro proloquium, hodie partim enuntiationē, par-
quium. tim propoſitionem appellant, Ariſtoteles in libro περὶ
ἀπόφαν- ἑρμηνείας, ἀπόφανσιν. Ea eſt oratio perfecta, verū falſum've
σις. ſignificans. Vt, Trahit ſua quenq; voluptas. Non omnia
poſſumus omnes. Adeò à teneris cōſueſcere multum eſt.
¶ †Octo enim ſignificationes fecere, ſed quomodo vel 4
plures fieri poſſent.] Fecere (inquit) octo ſignificatio-
nes verbi huius, ſed ita id fecerunt, vt ad hunc modum
fieri poſſent & plures, quæ tamen omnes non tam fue-
rint diverſæ ab iis quas diximus, quin in eas poſſint reci-
dere. ¶ †Agentium enim actus.] Id vulgo hunc in mo- 5
dum efferri conſuevit, Actus activorum ſunt in patiente
prædiſpoſito. Ex Ariſtotele ſecundo libro de anima.
¶ †Sentiendi enim ſubiecta, efficientia verius dicētur.] 6
Obiecta (inquit) ſenſuum, agunt potius in ſenſus ipſos,
quàm illorum actioni ſubiiciantur. ac rurſum ſenſus, etſi
agere videantur, patiuntur tamen verius quàm agant.
Id quod de auditu, guſtu, odoratu, tactu, quæſtionem non
habet, de viſu ſunt qui diſſentiant. Qua de re cōpluſcula
Macrobius libro ſeptimo circa finem, & A. Gellius libri
quinti capite decimooctavo, vt præteream diſſertationē
illam Ariſtotelis in libro περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητικοῦ ad-
verſus Platonem. ¶ †Quod ex decem primis rerum ge- 7
neribus.] Hæc à dialecticis enumerantur, ſubſtātia, quā-
titas, ad aliquid, qualitas, actio, paſſio, vbi, quando, ſitum
Eſſentia eſſe, & habere. ¶ †Græci οὐσίαν, nos eſſentiam.] Quin- 8
οὐσία. tilianus libro tertio: Ariſtoteles, inquit, elementa decem
cōſtituit, circa quæ verſari videatur omnis quæſtio: οὐσίαν,
quam Plautus eſſentiam vocat: nec ſanè eſt aliud eius no-
men Latinum &c. Meminit idem author euſdem voca-
buli libro ſecundo, capite decimoquinto. Et rurſum octa-
uo libro, capite tertio. Multa, inquit, ex Græco formata

*noua, ac plurima à Sergio Flauioq́; quorum dura quædã admodum videntur, vt ens & eſſentia, quæ cur tantopere aſpernemur nihil video, niſi quòd iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideoq́; paupertate ſermonis laboramus. Seneca in epiſtola quadam negat τὸ ὂν καὶ τὴν ὀυσίαν latine exprimi poſſe. Qua de re plura Laurentius Valla.*

9 *¶ † Sed quòd nequeant niſi illius interuentu.] Id hodie in ſcholis, haud ſcio quàm apte, dici ſolet ad hũc modum, duplex eſſe ſubiectum accidentium, vnum quod, alterum quo. ſubiectum quod, illud vocant, cui ipſi accidẽtia vere inſunt: vt eſt ſola ſubſtantia. Subiectum quo, ſine cuius interuẽtu, principali illi ſubiecto ineſſe nõ poſſunt. quod genus eſt magnitudo, id eſt quantitas continua.*

## DE LOCIS EXTERNIS ET *principio de his quæ cognata vocantur.*

*¶ Quæ vocentur cognata, quid cauſa, quot cauſarum ſint genera, quid efficiens, quid finis, & quomodo efficiens dimidatur.*

## CAPVT XIIII.

EXterni loci ſequuntur, quorũ prima ſunt quæ cognata dicũtur. De quibus dicturus, veniã mihi verbi iſtius impetratam velim. quemadmodum in reliquis nõnullorũ nominibus, non aduerſas optauerim lectoris aures. Vt enim tradere locos alia diſtinctione & ordine, quàm ſunt ab aliis ante me tractati, res ipſa mihi perſuaſit. Oportebit itaq; penes illam, vt huius facti mei, ſic etiam nominũ ipſorũ, vel *Cognatã quæ vocet.*

rationem eſſe vel culpã . Nec inueni ſane quo
alio nomine complecterer cauſas & euenta,
quàm cognatorũ:cum ſint alteris altera naſcẽ-
di ac proueniendi origine coniuncta. Sunt er-
*Cauſarũ* go cognata( vt diximus)cauſæ & euẽta.¶ Cau-
*genera* ſas Ariſtoteles quiq; eũ ſecuti ſunt,quatuor fe-
*quot ſint.* cerũt:materiã,ex qua res fit:formam , per quã
eſt:efficientem,à qua fit:finem,propter quam
fit.† Sed materia & forma in partibus dicta
*Cauſa* ſunt:efficiẽtem & finem dicemus. Cauſam igi-
*quid.* tur in præſentia dicimus rem, cuius vi euenit
aliquid. Vt autem aliquid eueniat , neceſſe eſt
eſſe id,quod vim efficiendi habeat,cuius effi-
cientia fieri formariq; res poſſit . Deinde id, ſi
nõ aliquo ad agendũ moueatur ſtimulo,iners
ſegneq; manebit.adeo nihil fit in rerum natu-
ra temere,& cui ratio non cõſtet.omniaq; pro-
poſitum ſibi deſtinatumq; finem habent , pro-
pter quam faciant cuncta . Qui tametſi rebus
ipſis nonnunquam ſit ignoratus , vt ſunt ea,
quæ expertia ſenſus,naturæ tantum in agẽdo
ſequuntur impetum:author tamen ille condi-
*Efficiens.* torq; nouit,cuius in agẽdo numini & iuſſis pa
*Finis.* rent.Id ergo quod faciendæ rei præbet operã,
efficiens eſt.Id cuius gratia fit res,finem voca
*Potiſſi-* mus.Vltimũ eſt enim in agendo, & quod vbi
*ma cau-* conſecuti ſumus,deſinimus vlterius tendere.
*ſarum fi-* Eſt autẽ potiſſima cauſarũ omniũ finis. Nam
*nis.* materia formæ expers , rudis eſt & inculta,

2 †nec in vllius rei tranſit nomen. Forma ſi de-
ſit efficientis vis, prouenire nequit. Efficiens
niſi finis cupiditate permotũ, manet ocioſum.
Facile itaq; liquet, finem, quanquam vſu effe
ctu'q; poſtremus ſit, omniũ tamen eſſe propo-
3 ſito atq; inſtitutione primum. ¶†Efficientium *Efficientium diuiſio prior.*
duplex eſt conditio, Alia nanq; neceſſitatẽ in
agendo ſequuntur, alia delectum. Neceſſitate
agunt, quæcunq; cõſilii iudicii'q; expertia ſunt.
vt ignis propoſito ſibi quod vri poſſit, nequit
non vrere. Et terra verno tempore nõ herbã,
non quicquid aliud pro loci cœli ve ingenio
ſolet, poteſt non procreare. Delectu agũt, qui-
bus liberum eſt agere vel non agere, vt homi-
nes illis in rebus, quas conſilio ratione'q; admi
4 niſtrant. † fortaſſe & brutorum nonnulla, quæ
docilia ſunt, & iudicium quoddã quandam'q;
deliberationis imaginem habẽt. Quanquam
Ariſtoteles putat, nõ agere ea, ſed agi potius:
proinde enim vt ſpecie rerum perceptarũ mo
uentur, rapi, nec contra id quod videtur obni
ti poſſe: opinionem'q; ſequi, non quam velint,
ſed quam à rebus acceperint, nec poſſe nõ tra-
hi eo, quod expetendũ ipſis videtur: nec non
fugere, quod apparet vitandũ. At vero ſi nõ-
nunquam inter duo velut in ancipiti pẽdeãt,
id non euenire, quia conſilio in hanc vel illam
deducantur partem: ſed quia duabus propo-
ſitis rebus, & ex æquo ferè ad ſe rapientib⁹, nõ

aliter quàm nauis inter diuerſos diſſidentesq́; deprehenſa fluctus, incerta & dubia videtur cui potiſſimum cedat: vtq; illa perſæpe, nō quà gubernatori viſum eſt agitur, ſed quà vndarum rapuit cumulus violentior: ſic iſta non ſuum nutum habent, ſed inditam tantum à rebus commodi aut incommodi ſpeciē ſequuntur. Hominem autē cum diu multumq́; penſitata re deliberauerit, nō tamen quod res ſuadet, ſed quod animus iubet, ſequi crebro videmus. Poteſt enim in ea quæ deliberando damnauit, præceps contra conſilii ſui ſententiam ruere: & contrà, toto impetu fugere, quæ ſibi maxime expetēda ſunt viſa. Verum hæc vtcunq; ſint, non plane liberū eſſe brutis agendarum rerum arbitrium, nō videtur abhorrere à vero: delectum tamen agere, quando malarum eſt ipſis bonarumq́; rerum diſcrimen, nemo (quod equidē credā) repugnet. ¶ Rurſus quæ neceſſitate agunt, eorum quædam naturæ conatu, alia externa vi agunt. Conatu naturæ agunt ea, quorum agendi principium eſt intra ipſa, nullo extero adiuuante. Vt ignis vrit, quoniam caloris vis qua vrit, natiua eſt ipſi. Itaq; non deficit res iſtas agendi vis, neq; ceſſant agere, quādiu eſt copia ipſis alicuius, in quod efficaciam ſuā explicare poſſint. Violente, vel (vt diximus) vi externa agere dicuntur, quibus ab alio vis eſt agendi inſerta. Vt

*Eorum, quæ naturæ neceßitate agūt, diuerſitas.*

aqua feruens calefacit: verũ non ſua, ſed ignis vi, à quo calorẽ accepit. Sic lapides, & ſi qua alia mittuntur tormentis, ſupra ſe & in ſublimi poſita diſiiciunt, non proprio impetu, ſed eo qui iacientium violẽtia ipſis eſt intortus. Itaq; non eſt diuturna vis iſtorũ, ſed remittuntur, franguntq; quantum poſſunt inditum ſibi conatum, & ſtatim redduntur naturæ ſuæ. Inde fit, vt initio vehementiſſimus ſit ipſorum motus, vt qui ſit impellenti proximus, ſpatio deinde paulatim amittat vires, & elangueſcat.

¶ Sed eis quæ neceſſitate agunt, ad agendum ſufficit vt poſſint agere: quæ vero delectu aut conſilio, vt etiã velint eſt opus. Quæ cauſa

5 eſt, quòd int controuerſiis iis, quibus factum nec ne ſit aliquid quæritur, colligi ſolet, voluerit, deinde potuerit ne quis facere id, quod arguitur feciſſe. quæ ſi probata fuerint, facillima eſt ei quod tertiũ ſumi ſolet, id eſt, q͛d fecerit, probandi via. Eſt & alia efficientiũ diſcretio. *Secunda*
Quędã eñ ſunt (vt Græci aiunt) κύρια, hoc eſt, *diuiſio ef*
pręcipua & imperãtia, quędã obſequuntur & *ficientiũ.*
miniſtrãt. Et horũ, alia agũt, alia agẽdi ſunt inſtrumenta, vt in domo facienda, architectus imperat: qui quomodo fieri quicq; debeat, iubet. Is qui lapidẽ ſculpit, qui parietem extruit, qui cædit aptatq; materiã, miniſtrat. Inſtrumẽta ſunt, ſecures, terebra, mallei, & quęcũq; ſũt alia, quibus opus ſuum explicat. Sic in bello,

ciuitas vel princeps author rerum gerendarũ imperat:miles obſequitur:equi,arma,omniſq; copia impedimentorũ militarium,inſtrumenta ſunt belli. Sed de efficiente hactenus.

SCHOLIA IN CAP. XIIII.

*SEd † materia & forma in partibus.*] *Hoc eſt in loco totius & partium. Supra capite nono.* ¶ † *Nec in vllius rei tranſit nomen.*] *id eſt, Materia formæ expers, neq; homo, neq; leo, neq; aliud quiduis eſſe dicitur, etiamſi nihil horum omniũ eſt, quin ex ea fieri queat.* 1 2
¶ † *Efficientium duplex cõditio.*] *Hæc in topicis Cicero.* 3
¶ † *Fortaſſe & brutorum.*] *Hac de re longa diſceptatio eſt apud Laurentium Vallam libro primo in dialecticen. Porrò ad totum hunc cauſarum locum planè intelligendum, plurimum contulerint ea, quæ Ariſtoteles habet ſecũdo libro phyſicorum, & Cicero in topicis.* ¶ † *In iis cõtrouerſus.*] *Hoc egregie facit Cicero pro Milone, & Sexto Roſcio Amerino.* 4 5

*¶ Fines eo ipſo modo diſtingui quo bona, & bifariam in vnaquaq; re accipi eos poſſe. Præterea plures nonnunquam in eadem re fines eſſe, & quod primum ſit in agendo, ei finem deſtinari poſtremum.*

CAPVT XV.

*Finiũ diuerſitatẽ eo ipſo modo ſumi, quo bonorũ. Ac dupliciter qui-*

FInem potiſſimũ eſſe cauſarũ diximus. Is em̃ eſt cuius gratia omnia agunt. † Agunt autem omnia boni alicuius gratia. & quicquid bonũ eſſe ſibi, vel natura mõſtrauerit, vel ratio perſuaſerit, in id referũtur. Quo pacto ergo ratio boni in rebus diſcreta erit, eodẽ & finiũ ſumemus diuerſitatem. Quædam enim ſunt per ſe 1

*De aliqua dici bona.*

bona, quædam quia aliis cõferunt, bona dicũ-tur. Quæ per ſe ſunt bona, ea certũ eſt ſumma eſſe, & ſupra quæ nihil ſit expetendũ. Ea ſunt (vt breuiſſime dicamus) ſtatus vniuſcuiuſq; rei in ſuo genere perfectiſſimus. Summũ itaq; ignis bonum eſt, & ſupra quod nihil requirat, eſſe maxime calidum & ſiccũ: & aquæ, maxi-me humidam eſſe & frigidã. Sic arboris, ſic bo-uis, ſic equi, perfectiſſima illa abſolutiſſimaq; habere, quæ ſibi tribuit in ſuo genere rerũ natu-ra. Hominis etiam, non quà viuit, quà ſentit, ſpectandum eſt ſummum bonũ, ſed quà men-tis eſt atq; conſilii capax. hàc enim maxime cẽ-ſetur homo. Conferentia dicũtur, quæ ad ſum-ma cõſequenda adiumento ſunt, vt cibus, po-tus, veſtis: & reliqua quæ tuendæ hominis vi-tæ conducunt. Nec enim perfecte, id eſt felici-ter, viuere poteſt quis, ſi ea conditione ſit, vt viuere omnino nõ poſſit.

*Bifariam poſſe iniri rationem finium.*

Sed bonorum atq; proinde finiũ quãdoq; ratio initur pro ſingu-larum rerũ cõditione, quã habet in genere ſuo quæq;: quemadmodũ iam prædiximus: & ſi-cut dicimus, ædificantis finem eſſe domũ, & belli finem victoriã: quæ quidẽ eſſe in ſuo ge-nere vltima videntur. neq; enim ædificat am-plius ille, neq; hic bellũ gerit, vbi domum fue-rint atq; victoriã cõſecuti. Quod autẽ ille ex-truendo parieti calcẽ parat, lapides congerit, certũ eſt parietẽ finem quendam eſſe, ſed non

vltimum: quia domus cauſa paries paratur. ſic & hic, cum tormenta inſtituit ſubruendis muris perturbãdisq́ defenſoribus, oppidorũ expugnandorum gratia hæc agit, ergo & hic finis quidem eſt, ſed medius & victoriæ conferens. Quandoque vero fines accipimus ex toto ordine rerum, quo cuncta, alterũ alterius vſibus, videntur addicta, quoniã omnia melioribus ſeruiunt. Sic ſi omnia quæcunq; ſunt, vno velut cõplexu colligamus, quemadmodum vnum eſt ſummè & ſine vllo perfectionis detrimento bonum, ſic vnus eſt vltimus omniũ finis. In eis vero, quæ in media ſunt rerum ſerie ſita, alterum incumbit alteri, prout eſt cuiuſq; magis minuſve cõſummata natura. Sic igitur in equo eſt duplicẽ inuenire finẽ: alium naturæ ſuæ: itaq; ferocem indomitumq́ eſſe, & nullis obnoxium habenis, optimum in ipſo fuerit, quod naturæ ſuæ accõmodatius, id eſt, quàm ſeſſorẽ pati, fodi calcaribus, & freno flecti, frangiq́ in gyros. †Nec eñ omnibus 2
tantus ingenitus eſſet libertatis amor, ſi ſerua naſci melius ipſis fuiſſet. Aliũ contrà finem in ipſo accipimus, vt humanis vſibus accommodatus eſt. † Sic bonum eſſe dicimus ſibi, non 3
quod ipſi maxime cõuenit, ſed quo maxime ſatisfaciat miniſteriis noſtris. Sic terra herbis arboribusq́ veſtita, pfectiſſima videtur, quippe quòd iis procreãdis ſit nata, at nobis in fo-

ra,in vicos diſpoſita,in ædium templorumq́ areas æquata,ſterilis & nuda,aptior eſt.¶ Iſtud etiã prætereundum nõ videtur, † poſſe vnius plures eſſe fines,vt alius ſit operis, alius operantis,alius iubẽtis.Sic ædificationis quidem, quod ad ipſam pertinet,finis eſt dom⁹: quod ad ædificantẽ,merces locatæ operæ, quod ad iubentẽ, vel vt habitet domũ, vel vt donet, vel vt vendat.Sic ſtudiorũ proprius eſt finis eruditio.at eius qui ſtudet,poteſt etiã quidem finis eſſe eruditio,† ſed fortaſſe eſt vel gloriæ vel lucri ſpes. At patris qui ſumptum ſtudẽdi præbet,amor incremẽtaq́ filii. Amici quoque qui ſuaſit,vt aliquãdo opera fortaſſe & eruditione ſtudẽtis vtatur.¶ Illud etiã dicendũ eſt, vt quicq; in agẽdo primũ eſt,ita finẽ ſibi deſtinat poſtremũ.Media quãto magis à primo receſſerint,tantũ citra poſtrema ſubſiſtũt. Prima enĩ ad efficiendũ potiſſima ſũt,poſtrema ad expetẽdũ. illorũ enĩ gratia alia expetũtur. Sic in faciẽda naue, primę ſũt partes eius q impẽſas præbet,cui⁹ finis ſũt opes quę ex ſubiectis parãtur mercib⁹.Illũ nauta ſequitur.is nanq; nõ eouſq; ſe porrigit,verũ lucrũ ex nauigãdi mercede ſpectat.Iã q nauẽ fabricatur, nõ id quærit ecqs ipſa ſit nauigatur⁹,modo extruat nauẽ.Sic q ligna cędũt,q ancoras funesq́ parãt, nõ illi nauẽ ſpectant,ſed vt materiã ſolã præbeant,inſtrumentũ nauticũ parent.Quo fit,vt

*In eadem re plures quãdoq; ineſſe fines.*

*Quæ agẽdo prima ſint,iis vltimũ deſtinari finem.*

virtus,quoniam optima eſt,laboribus & ſudore quæratur,vt quæ in arduo ſit & longiſſime poſita,cui〈que〉 parãdæ omnia alia ſint deſtinata. Vitia vero & vilia omnia, ad manũ ſint, † & 6
(vt inquit Heſiodus)cumulo liceat accipere.

## SCHOLIA IN CAP. XV.

*Agunt † enim omnia boni alicuius cauſa.* ] *Quiſquis agit,is idcirco id facit,quò conſequatur aliquid, quod aut reuera bonum ſit, aut certe ipſi tale eſſe videatur.* ¶ † *Nec enim omnibus tantus eſſet ingenitus libertatis amor.* ] *Pulchrum mehercules hac de re carmen eſt Seuerini Boethij de conſolatione philoſophiæ lib.3. Quantas rerũ flectat habenas Natura potẽs, quibus immẽſum Legibus orbẽ ꝓuida ſeruet &c.* ¶ † *Sic bonũ eſſe dicimus ſibi.* ] *Laurẽtius Valla,ei quàm ſibi dicere maluiſſet.* ¶ † *Poſſe vnius plures eſſe fines.* ] *Hoc quo intellectu accipi debeat,ipſe Rodolphus explicat capite ſequenti.* ¶ † *Sed fortaſsis eſt vel gloriæ vel lucri ſpes.* ] *Cur non potius gloria aut lucrũ ipſum? Certe nemo nauat operã literis ad conſequendã gloriæ aut lucri ſpem: at lucrũ aut gloriam ipſam multi.* ¶ † *Et vt inquit Heſiodus, cumulo liceat accipere.* ] *Exponit quid ſibi apud Heſiodum velit* τὸ ἰλαδὸν. *Verſus porrò ipſius poetæ ſuper hac re ſic habent.*

1 2 3 4 5 6 — Heſiodus

Θὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
Ῥηιδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ᾽ ἐγγύθι ναίει
Θῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ αὐτὴν.

¶ *De euentis, effectis, & deſtinatis. idem & effectũ dici poſſe & cauſam. Vnius euẽtus, in ſuo genere vnam duntaxat cauſſam eſſe: & vnius rurſum cauſæ, vnum*

*proximum & per ſe eſſe euentum. Tum quanta huius loci commoditas.* CAP. XVI.

1 POterant † (quod ad euenta pertinet) videri ſufficere quæ de cauſis diximus. Neq; enim meliꝰ ratio varietasq́; euentorũ cognoſci aut tradi poteſt, quam ex cauſis. nos tamẽſi quid vel propriũ eſt huius loci, vel hic fortaſſe dicetur commodius exequamur. ¶ Euentorũ autẽ primum nobis eſt ſumenda pro cauſis differẽtia. Vt enim ſunt cauſæ efficiens & finis: ſic euenta poſſumus dicere eſſe, effectum & deſtinatum. Quod enim fit ab efficiẽte, effectũ dicere libet, quando effectus nomen aptiſſime efficienti cõiungitur. Cicero quidem promiſcue effecta &
2 euenta ea quę à cauſis fiũt vocat, † ſed cauſam (id quod ex verbis illius perſpicere licet) ad ſola efficiẽtia redegit. At vulgo effectus nomẽ tam late extẽdimus, quàm cauſam. Mihi ad loquendi vſum & ad propriã nominis vim, euẽta cõmodius videntur dici, quæcunq; ex cauſis oriuntur. Euẽtaq; efficientiũ, rectiſſime effecta dicemus: quãdo efficiẽtis & effectus nomina iuncta ſunt arctiſſime: & in eodẽ genere, alterũ agẽtis, alterum patientis præ ſe fert faciẽ. Eritq; hic locus nobis quẽadmodũ cauſarũ duplex: ſicut eñ ille diuiditur in efficiẽtia & finẽ, ſic iſte diuidetur in effecta & deſtinata. ¶ Fiũt autẽ iſta plerunq; cauſæ & euẽta, prout varie

*Euẽtorũ eandem eſſe diuerſitatem, quã cauſarum.*

*Idẽ diuerſa ratione effectũ & cauſam & euentũ dici poſſe.*

vltro citroq; cōparantur. ſuntq; eadem etiam perſæpe * & fines, & efficientia, & effecta, * & deſtinata. Vt in ædificatione, is cui ſtruitur domus, primū efficiēs eſt, & domus finis eſt vltimus. Quæ autē media ſunt, architectus, fabri, inſtrumenta, ſi domū vt effectum accipimus, efficientia ſunt: domino vero comparata, effectorum obtinent locum. ſi domum ſtatuimus finem, deſtinata ſunt: at domini reſpectu, quia parādis ipſis inſumitur opera, medij quidam ſunt fines. Idem enim finem eſſe & efficiens, nihil repugnat, non modo diuerſis, ſed eidem etiam, dummodo diuerſa ratione, cōparatū. vt qui domū ædificat qua ipſe vtatur, efficiēs eſt domus, quatenus eā ædificat: & finis, quatenus eam propter ſe, hoc eſt, habitandam ſibi parat. † Sic forma & finis idem eſſe poſſunt. 3
forma enim omnis ferè actionis proximus eſt finis. Materia & finis, materia & forma, efficiens & materia, efficiens & forma, nequaquā poſſunt in idē cōuenire. Neq; enim nauem fabricāti, finis eſſe poſſunt ligna, è quibus ipſam fabricatur. neq; idem eſſe ligna poſſunt, quod forma nauis. ſed neq; ligna neq; forma nauis neq; alia quæuis huiuſmodi queunt ipſa ſeſe efficere. quod neceſſe eſſet, ſi idem & efficiens eſſe, & vel forma vel materia poſſet. ¶ Huius etiam admonendi ſumus, † cuiuſlibet euentus 4
in ſuo genere vnam eſſe cauſam: & † contrà 5

** Hæc tria verba ab interprete adiuncta ſunt, quē admodū ipſe in ſcholijs refert.*

*Vnius cauſæ vnū tan-*

quocꝙ cauſæ vnius, vnus eſt per ſe & proxi-
6 mus euentus. †Quod prædiximus autem, eſſe
nõnunquã plures vnius rei fines, id nõ obſtat
iſti quod iam dicimus, quòd vel ex verbis il-
lis perſpici poterit. Ædificãtis enim finis vnus
& ſolus, eſt domus. ad quem cum peruenerit,
ceſſat. Quod autẽ præter domũ, vel lucrũ, vel
aliud quicquã pro opera petit, id nõ facit qua-
tenus ædificans eſt, ſed quia vel inops vel aua
rus eſt. Sic etiam forte gloriã ſperat ex opere:
verũ non quantũ ędificans, ſed quia aliquã id
ſibi putat profuturum. Poteſt itaꝗ quis, vt nõ
ſequantur iſta, ædificare: vt non fiat domus,
ædificare non poteſt. ¶ Copioſus eſt hic locus
cauſarum & euentorum, & in varios patens
vſus. Huc enim ferè redeunt cuncta, quæcũꝗ
in conſilio hominum deliberationeꝗ verſan-
tur. Duo enim iſta in cõſulẽdo maxime ſequi-
mur, expediat nec ne, & an fieri poſſit. Quorũ
quid expediat, ex fine colligimus: quid fieri
poſſit, ex efficientibus. Quicquid enim vtile,
id alicui rei conſequendæ vtile oportet eſſe.
Sic quicquid fieri poſſe volumus, maxime ex
efficientis facultate poterit oſtendi. In laude
etiam & vituperatione, præcipuas hi loci obti
nent partes, cum vtraꝗ illa, non alia re cer-
tius veriusꝗ conſtent, quàm effectis & fine.
Ad virtutis veræ rationẽ pręcipue pertinet fi-
7 nis, †quãdo multis in reb⁹ nõ tam refert quid

*tum proximũ eſſe euentum, & vnius rurſum euentus vnã tantũ in ſuo genere cauſam.*

*Copioſum eſſe hunc locum cauſarum.*

facias, quàm ob quam cauſam facias. Et idem factū, alius vt ob iram inconſultumq́ mentis impetum vituperabit, alius, vt magnanimitate, & conſtantis viri propoſito dignum laudabit. Sic honeſtum, quia per ſe expetendum dicimus, quod vltimi finis proprium eſt, ex deſtinatis, vel maxime dignoſcetur. Neq; hæc tamen eò pertinent, vt vel hos locos à reliquis quæſtionibus, vel ab his quæſtionibus reliquos locos excludendos putem. Neq; ſi maxime conuenire iſtis dico, idcirco ſolum conuenient. Varia eſt horum omnium ratio, & de quibus perpetuum nihil ſemel poterit pręcipi, ſed qui[illegible]ptimum ſi[illegible]rum præſens vſus meliu[illegible]

[illegible] CAP. XVI.

Euent[illegible] Eff[illegible] De[illegible] t[illegible]

[illegible] *tinet.*] *Euenta ſunt,* [illegible] *euenit. Quorum* [illegible] *dicuntur. Effecta, quæ* [illegible] *mata, quæ in certum fi*[illegible] *ſed cauſam* (*quod ex v*[illegible] *ſola efficientia redegit* [illegible] *efficiente, videri* [illegible] *entarijs ijs, qu*[illegible] [illegible] *Verba* [illegible] *Tullius* [illegible] [illegible] id [illegible] anſ[illegible]

*transferatur, vel eorum quæ adiuncta materiæ efficientis adiuuant facultatem: tum ad reliquas cauſas ducatur, vt paulò poſterius apparebit. Hæc ille. Quanquam quid ego authorem laudo Boethium, cum ipſius verba Ciceronis facile idem declarent? Æs certe materia eſt ſtatuæ, & ſapiētia nō tam efficiens quàm forma eſt ſapientis: quibus exemplis vſus eſt Cicero. Quæ huc aſcribenda putaui, non vt incuriæ arguerem Rodolphum, ſed, vt diſpiciat, inquiratq; diligens lector, ecquid aliud ſibi is velit, quàm*
3 *verba eius prima (vt aiunt) fronte præ ſe ferūt.* ¶ †*Sic forma & finis.*] *Ariſtoteles ſecundo libro phyſicorum ait, formā & finem poſſe idem eſſe numero: cauſam effectricem, ſpecie eandem cū his eſſe poſſe, numero nō poſſe. Itaq; quod ſubiungit Rodolphus, cauſam efficientem, & formam nō poſſe eſſe idem, de numeri nimirū identitate* … *endū eſt, nō de ſpeciei.* ¶ †*Cuiuslibet euētus in ſuo* … *vnā eſſe cauſam.*] *Qui tantū vnā? An nō plures* … *causæ ad vnū aliquid efficiendū cōcurrūt? Cōcur* … *idē, ſi de quibuslibet cauſis loquaris, at Rodolphus* … *la loqtur cauſa proxima, & de eodē genere cauſarū. Contra quoq; cauſæ vnius, vnus eſt per ſe, & proxi* … *te illud, per ſe & proximus. Alioqui cau* … *unquā eſſe euēta, qd vetet? Ignis pro* … *ſa caloris eſt. Quod autē hinc in luto* … *, in cera mollicies, hæ velut acceſſiones* … *illius euentus; & effecta (vt ita dixe* … ¶ †*Quod autē prædiximus.*] *Dilutio eſt* … *oriri poſsit ex ijs: quæ dicta ſunt capite* … *Quādo multis in rebus nō tam refert quid* … *uiddā & Quintilianus habet libro duo* … *ſtendit, à viro etiam bono, non bonam in* … *poſſe defendi. Meminit eiuſdem rei idem*

*author, libro tertio, & item quinto.*

## DE APPLICITIS.

*¶ Quid applicita: cur hæc ex aceruo eorum quæ adiuncta à Cicerone dicuntur, exemerit: neq; ad ſolũ oratorem, ſed ad philoſophos quoq;, & iureconſultos locũ hunc pertinere.*

### CAPVT XVII.

*Applicita.* APplicita placuit vocare, quę addita rei extrinſecus, nõ ſunt quidem cauſa eius, præbẽt tamen illi denominationẽ.† Ea ſunt, locus, tẽpus, 1 & ea quæ dicimus cõnexa, tria videlicet è primis rerũ generibus, id eſt, prædicamentis, illa fere, quæ vbi, quãdo, & habere dicuntur.† Et 2 Cicero quidẽ adiunctorũ nomine iſta cõplectitur, nos adiũcta credimus illa eſſe, quæ inferius dicemus cõtingẽtia: quę quãtũ ab his diſtent, ſuo loco cũ explicabũtur, nobis haud erit difficile videre.¶ † Equidẽ inueniendorũ loco- 3 rũ hãc vnã mihi perſuadeo fuiſſe cauſam, vt quæcũq; vel in rebus ſunt, vel attingũt ipſas, vel quæ vndecũq; accita ad ipſas, aliqua parte ad faciendã de illis fidem proſint: ea in certũ cõcluſumq; redigerem⁹ ordinẽ, pro cuiuſq; qualitate, quã habẽt, propoſitæ rei cõparata. Sic enim facillime poſſe animũ certa & nõ fallẽte via, quęcũq; de re quaq; dicẽda ſint, eruere: ſi quã minimo errore perplexa, & ſuę quæq; reddita naturæ, intuẽda ſibi darentur. Placuit ergo mihi, quã exactiſſime, ſimul quã maper-

*Cur diduxerit ac ſeparauerit ea, quæ Cicerono adiũctorum nomine complexus eſt.*

tiſſime poſſem, cũcta diſtinguere: quæ fuit etiã cauſa addendi noua pleriſq; nomina, ne ſi in eadẽ ſubinde reuoluerer, aut aliqua manerent nõ nominata, aut diligẽtiæ ratio, quã in ſecernẽdis ſumpſerã reb⁹, ea cõfundẽdis rurſus no minibus, vel omittẽdis, mihi periret. Itaq; iſta
4 & applicita vocauimus, & † ab adiũctorũ vel genere diduximus, vel exemimus aceruo. Cũ pateãt eñ latiſſime, & per omnẽ ferè rerũ eant
5 naturã. † nec vt Cicero ſenſit, ad ſolũ pertinent oratorẽ iſta, ſed multũ philoſophis etiã, cũ qui naturas rerũ ſcrutãtur, tũ vel maxime qui mores hominũ formãt, quòdq; cõſeqtur, & mẽtibus, & reſpõdẽtibus de iure, locus, tẽpus, & reliqua cõnexa tractãtur. nõ eſt ergo viſum mihi, cũ ſint iſta genere diducta, nomine confundere: & inueniendi copiã quã rerum nobis amplitudo oſtẽdit, tradendo anguſtius, ad in-
6 opiã redigere. ¶ † Pẽdẽt itaq; totę quæſtiones, pleræq; ex loco, pleræq; ex tẽpore. Vt, † an red-
7 dat Arethuſa fons Alpheũ amnem, ex Elide ſubter maria trãſmiſſum, tota ferè ex loco ſpe-
8 ctatur quęſtio. † Sic etiam, Nilus oriatúrne ex mõtibus Æthiopię, qđ Ariſtoteles negat, Ptolemæus ait: an, vt Iuba author fuit, circa Atlãtem habeat fontes. Iam tẽporis propemodũ vi-
9 detur eſſe, † poſſint'ne diuturnitate ſiccari ma-
10 ria, & ſicca rurſus obrui aqs. † An ad vltimum habitãtib⁹ orientẽ Indis, ſol in exortu cõtinuo

*Exẽplis oſtendit, nõ ad ſolũ oratorem pertinere locũ adiunctorum.*

ſupra verticẽ ſit poſitus, vt Herodotus credi-
dit. † An ſint populi: quibꝰ perpetua dimidio 11
anno nox, dimidio ſit dies. Et de connexis tan
to plura poſſunt quæri, quanto per plura ſpar-
guntur, quàm locus, & tempus. Quis dubitet
ergo, cum videat extra rhetoris fines quęri de
iſtis, quin poſſint etiã ex eis argumẽta deduci?

## SCHOLIA IN CAP. XVII.

*EA † ſunt locus, tempus, & ea quæ dicimus conne-* 1
*xa: tria videlicet &c. ] Sit ne locus idem quod vbi,*
*& tempus id ipſum quod quando, nondũ ſatis in-*
*ter dialecticos conuenit. Sanè quæ connexa vocat* Rodol
*phus, ea non eius modo prædicamenti videtur eſſe, quod*
*habendi voce intelligunt dialectici: quin vel maxima eo-*
*rum pars ex albo eſt relatiuorum. Id quod facile oſtendũt*
*excẽpla, quæ ponũtur capite vigeſimo.* ¶ † Et Cicero qui- 2
*dem. ] Cicero in Topicis adiunctorũ vocabulo omnia ea*
*complectitur, quæ* Rodolphus *locũ, tempus, connexa, &*
*contingentia vocat.* ¶ † *Equidem inueniendorũ locorũ. ]* 3
*Poteram, & ego (inquit) applicita ſimul cum contingẽ-*
*tibus vno adiunctorũ nomine complecti: ni credidiſſem*
*ſingula inuentu fore faciliora, ſi res natura ſua longe di-*
*uerſiſſimas in diuerſos etiam locos digeſſiſſem. Hæc mi-*
*hi cauſa fuit, cur ſeiunxerim ea, quæ Cicero coniunxit.*
¶ † *Ab adiunctorum vel genere diduximus, vel exemi-* 4
*mus aceruo. ] Si ſola contingentia adiunctorũ nomine*
*intelligerentur, iam applicita ab illorum genere eſſent di*
*ducta. At cũ vtraq; tam applicita, inquam, quàm contin-*
*gentia, eo nomine complexus ſit Cicero, hinc eſt, vti non*
*tam diducta ab adiunctorum genere, quàm ex aceruo il-*
*lorum exempta ſint. Atque hoc eſt quod dicit, ab adiun-*

ctorum, vel genere diduximus, vel exemimus aceruo.

5 ¶ †Nec,vt ſenſit Cicero, ad ſolum pertinent oratorem iſta.] Cicero in Topicis,non prorſus,ſed magna ex parte,ad ſolum pertinere oratorē hunc locum confirmat. Et quidem maxima adiunctorū pars de numero eſt illorum, quæ ab Rodolpho dicuntur cōtingentia:cū quibus parū commercij eſſe philoſophis,atq; illo etiā tempore fuiſſe iureconſultis id notius eſt, quàm vt vllo argumento ſit oſtendendum.Sed quid dicimus? An non ea quæ de præſumptionibus,ac coniecturis tractant iureconſulti,ex numero ſunt contingentium? Sunt profecto. Sed quæſtiones illas coniecturales,in quibus non tam de iure quàm de facto quæritur,ij qui id tēporis de iure reſpondebant, quo hæc ſcripſit Cicero,ad oratorem magis,quàm ad ſe pertinere arbitrabantur.Quod vt poßit intelligi planius, totum Ciceronis hac de re locum,non pigebit aſcribere. Is ſic habet:Ab adiunctis autem poſui equidem exemplum paulò antè:multa ſcilicet adiungi,quæ ſuſcipiēda eſſent, ſi ſtatuiſſemus,ex edicto prætoris,ſecūdum eas tabulas, poſſeßionem dari,quas inſtituiſſet,cui teſtamenti factio nulla eſſet. Sed locus hic magis ad coniecturales cauſas, quæ verſantur in iudicijs,valet.cum quæritur, quid aut ſit,aut euenerit,aut futurū ſit,aut qd omnino fieri poßit. Ac loci quidē ipſius forma talis eſt.Admonet autē hic locus,vt quærat quid ante rē,quid cū re,quid poſt rē euenerit. Nihil hoc ad ius,ad Ciceronē inquibat Gallus noſter, ſi quis ad eū quid tale retulerat,vt de facto quæreret &c.

6 ¶ †Pendent itaq;.] Oſtendit exemplis non ad ſolū oratorem,ſed ad alios quoq; pertinere locum adiunctorum.

7 ¶ †An reddat Arethuſa.] Plinius libri ſecundi, capite centeſimoſexto:Quidam verò (inquit) odio maris ipſa ſubeunt vada,ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo Arethuſa.

*redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens*
Ortus Nili. *Pelopōneſiaco littori infunditur.* ¶ † Sic etiam, Nilus 8
*oriatúrne.* ] Solinus de Nilo loquens: Originem, inquit,
*habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano pro-*
*pinquat. Hoc affirmāt Punici libri, hoc Iubam regem ac-*
*cepimus tradidiſſe. Igitur protinus lacum efficit, quē Ni-*
*lidem dicunt. Nilum autē iam inde eſſe coniectant, quòd*
*hoc ſtagnū herbas, piſces, belluas, nihilominus procreet,*
*quàm in Nilo videmus.* Et quæ ſequuntur. Eadem ferè
Plinius libri quinti, capite nono. Et Seneca quoq; nonni-
hil hac de re naturalium quæſtionum libro quarto: & ſe-
cundo hiſtoriarum libro Herodotus. ¶ † *Poßint'ne diu-* 9
*turnitate ſiccari maria,* ] Hanc quæſtionem excutit Ari-
ſtoteles τῶν μετεωρολογικῶν libro ſecundo. ¶ † *An ad vl-* 10
*timum habitantibus Orientem Indis.* ] De his Indis ita
Herodotus, libro tertio: *Eſt autem illis hominibus ſol ar-*
*dentißimus matutino, non, quemadmodū alijs, meridie:*
*eo vſq; efferueſcens, dum tempus eſt à foro diſcedendi,*
*per quod tempus multo magis vrit, quàm meridianus in*
*Græcia.* ¶ † *An ſint populi.* ] Id quidam dixere fieri in 11
Thyle inſula, alij in Nomo. Vide Plinium libri ſecundi,
capite ſeptuageſimoſeptimo.

*¶ Locus hic quid ſit, vnde eius ſumenda diuerſitas, & qui-ſus.*

## CAPVT XVIII.

Locus qd Ariſtoteli. LOcum † autem in præſentia nō ve- 1
lim tam ſcrupuloſe accipi, quàm ab
Ariſtotele acutiſſime quidem, ſed
aſtrictius quàm noſtro inſtituto cō-
ueniat, definitus eſt. Ille enim dixit locum eſſe
extremum illud circunfuſi vnicuiq; rei aëris,

vel aquæ, vel quocunque alio contineretur, quod quantum ad loci rationem pertinet, ſit immobile. Quod eſſe quidem reuera propriũ cuiuſq; rei locum non eſt negandum: ſed nos de loco loquimur, quemadmodũ Virgilius, *Quid hic locus.*
2 qui ait: Eſt† locus, Heſperiam Graii cogno
3 mine dicunt. & †Deuenere locos vbi nũc ingentia cernes Mœnia. Et ſicut vulgo quęrentibus quo in loco quis ſit, reſpondemus, in
4 foro, & in vrbe, & ruri eſſe. ¶ † Sane multa ſũt locorum diſcrimina: ſed ea in capita quædam colligamus, quò facilius queant perſpici. *Locorum diuerſitas.*

Locorum igitur diſcretio, vel ex ipſis quatenus loci ſunt ſumitur, vel ex iis quæ circa ipſum ſunt ducitur. Et eorum quædam naturæ ſunt, alia hominum opere vel opinione acceſſerunt. In locis ipſis differẽtia eſt, qua rem, vel hic, vel ibi eſſe dicimus: & qua alium locũ diſtantem, alium vicinum: & alium amplum, alium anguſtum: & alium ſublimem, alium humilem vocamus. Ex eis quæ accedunt loco à natura, ſunt, maritimúſne, terreſtris, an aẽrius ſit: aquoſus an inaquoſus, & planus an montoſus, & aſper an mollis, & occultus an conſpi
5 cuus, lucidus an obſcurus, † aduſtus ſole an frigore rigens, an inter vtrunq; temperatus, peſtilens an ſaluber, ſterilis an fœcundus. Ab hominibus, alius celeber, alius deſertus dicitur, ſacerq; & prophanus, publicus & priuatus,

virtus, quoniam optima eſt, laboribus & ſudore quæratur, vt quæ in arduo ſit & longiſſime poſita, cuiq́ parãdæ omnia alia ſint deſtinata. Vitia vero & vilia omnia, ad manũ ſint, † & 6 (vt inquit Heſiodus) cumulo liceat accipere.

## SCHOLIA IN CAP. XV.

*AGunt † enim omnia boni alicuius cauſa.*] *Quiſquis agit, is idcirco id facit, quò conſequatur aliquid, quod aut reuera bonum ſit, aut certe ipſi tale eſſe videatur.* ¶ † *Nec enim omnibus tantus eſſet ingenitus libertatis amor.*] 1 2 *Pulchrum mehercules hac de re carmen eſt Seuerini Boethij de conſolatione philoſophiæ lib. 3. Quantas rerũ flectat habenas Natura potẽs, quibus immẽſum Legibus orbẽ ꝓuida ſeruet &c.* ¶ † *Sic bonũ eſſe dicimus ſibi.*] 3 *Laurẽtius Valla, ei quàm ſibi dicere maluiſſet.* ¶ † *Poſſe vnius plures eſſe fines.*] 4 *Hoc quo intellectu accipi debeat, ipſe Rodolphus explicat capite ſequenti.* ¶ † *Sed fortaßis eſt vel gloriæ vel lucri ſpes.*] 5 *Cur non potius gloria aut lucrũ ipſum? Certe nemo nauat operã literis ad conſequendã gloriæ aut lucri ſpem: at lucrũ aut gloriam ipſam multi.* ¶ † *Et vt inquit Heſiodus, cumulo liceat accipere.*] 6 *Exponit quid ſibi apud Heſiodum velit* τὸ ἰλαδὸν. *Verſus porrò ipſius poetæ ſuper hac re ſic habent.*

*Heſiodus*

Τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐςὶν ἑλέσθαι
Ῥηιδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.

*¶ De euentis, effectis, & deſtinatis. idem & effectũ dici poſſe & cauſam. Vnius euẽtus, in ſuo genere vnam duntaxat cauſſam eſſe: & vnius rurſum cauſæ, vnum*

*proximum & per ſe eſſe euentum. Tum quanta huius lo ci commoditas.* CAP. XVI.

1 POterant† (quod ad euenta perti
net) videri ſufficere quæ de cauſis
diximus. Neq; enim meli⁹ ratio va
rietasq́; euentorũ cognoſci aut tra
di poteſt, quam ex cauſis. nos tamẽ ſi quid vel
propriũ eſt huius loci, vel hic fortaſſe dicetur
commodius exequamur. ¶ Euentorũ autẽ pri
mum nobis eſt ſumenda pro cauſis differẽtia.
Vt enim ſunt cauſæ efficiens & finis: ſic euenta
poſſumus dicere eſſe, effectum & deſtinatum.
Quod enim fit ab efficiẽte, effectũ dicere libet,
quando effectus nomen aptiſſime efficienti cõ
iungitur. Cicero quidem promiſcue effecta &
2 euenta ea quę à cauſis fiũt vocat,† ſed cauſam
(id quod ex verbis illius perſpicere licet) ad
ſola efficiẽtia redegit. At vulgo effectus nomẽ
tam late extẽdimus, quàm cauſam. Mihi ad lo
quendi vſum & ad propriã nominis vim, euẽ
ta cõmodius videntur dici, quæcunq; ex cau
ſis oriuntur. Euẽtaq; efficientiũ, rectiſſime effe
cta dicemus: quãdo efficiẽtis & effectus nomi
na iuncta ſunt arctiſſime: & in eodẽ genere, al
terũ agẽtis, alterum patientis præ ſe fert faciẽ.
Eritq; hic locus nobis quẽadmodũ cauſarũ du
plex: ſicut enim ille diuiditur in efficiẽtia & finẽ,
ſic iſte diuidetur in effecta & deſtinata. ¶ Fiũt
autẽ iſta plerunq; cauſæ & euẽta, prout varie

*Euẽtorũ eandem eſſe diuerſitatem, quã cauſarum.*

*Idẽ diuerſa ratione ſpectatũ & cauſam & euentũ dici poſſe.*

** Hæc tria verba ab interprete adiuncta ſunt, quẽ admodũ ipſe in ſcholijs refert.*

vltro citroq́ cõparantur. ſuntq́ eadem etiam
perſæpe * & fines, & efficientia, & effecta, * &
deſtinata. Vt in ædificatione, is cui ſtruitur do-
mus, primũ efficiẽs eſt, & domus finis eſt vlti-
mus. Quæ autẽ media ſunt, architectus, fabri,
inſtrumenta, ſi domũ vt effectum accipimus,
efficientia ſunt: domino vero comparata, effe-
ctorum obtinent locum. ſi domum ſtatuimus
finem, deſtinata ſunt: at domini reſpectu, quia
parãdis ipſis inſumitur opera, medij quidam
ſunt fines. Idem enim finem eſſe & efficiens,
nihil repugnat, non modo diuerſis, ſed eidem
etiam, dummodo diuerſa ratione, cõparatũ.
vt qui domũ ædificat qua ipſe vtatur, efficiẽs
eſt domus, quatenus eã ædificat: & finis, qua-
tenus eam propter ſe, hoc eſt, habitandam ſibi
parat. † Sic forma & finis idem eſſe poſſunt. 3
forma enim omnis ferẽ actionis proximus eſt
finis. Materia & finis, materia & forma, effi-
ciens & materia, efficiens & forma, nequaquã
poſſunt in idẽ cõuenire. Neq; enim nauem fa-
bricãti, finis eſſe poſſunt ligna, ẽ quibus ipſam
fabricatur. neq; idem eſſe ligna poſſunt, quod
forma nauis. ſed neq; ligna neq; forma nauis
neq; alia quæuis huiuſmodi queunt ipſa ſeſe
efficere. quod neceſſe eſſet, ſi idem & efficiens
eſſe, & vel forma vel materia poſſet. ¶ Huius
etiam admonendi ſumus, † cuiuſlibet euentus 4
in ſuo genere vnam eſſe cauſam: & † contrà 5

*Vnius cauſæ vnũ tan-*

quocꝫ cauſæ vnius, vnus eſt per ſe & proxi-
6 mus euentus. †Quod prædiximus autem, eſſe nōnunquā plures vnius rei fines, id nō obſtat iſti quod iam dicimus, quod vel ex verbis illis perſpici poterit. Ædificātis enim finis vnus & ſolus, eſt domus. ad quem cum peruenerit, ceſſat. Quod autē præter domū, vel lucrū, vel aliud quicquā pro opera petit, id nō facit quatenus ædificans eſt, ſed quia vel inops vel auarus eſt. Sic etiam forte gloriā ſperat ex opere: verū non quantū ędificans, ſed quia aliquā id ſibi putat profuturum. Poteſt itacꝫ quis, vt nō ſequantur iſta, ædificare: vt non fiat domus, ædificare non poteſt. ¶ Copioſus eſt hic locus cauſarum & euentorum, & in varios patens vſus. Huc enim ferè redeunt cuncta, quæcūcꝫ in conſilio hominum deliberationeꝗ verſantur. Duo enim iſta in cōſulēdo maxime ſequimur, expediat nec ne, & an fieri poſſit. Quorū quid expediat, ex fine colligimus: quid fieri poſſit, ex efficientibus. Quicquid enim vtile, id alicui rei conſequendæ vtile oportet eſſe. Sic quicquid fieri poſſe volumus, maxime ex efficientis facultate poterit oſtendi. In laude etiam & vituperatione, præcipuas hi loci obtinent partes, cum vtracꝫ illa, non alia re certius veriusꝗ conſtent, quàm effectis & fine. Ad virtutis veræ rationē pręcipue pertinet fi-
7 nis, †quādo multis in rebꝰ nō tam refert quid

*tum proximū eſſe euentum, & vnius rurſum euentus vnā tantū in ſuo genere cauſam.*

*Copioſum eſſe hunc locum cauſarum.*

facias, quàm ob quam cauſam facias. Et idem factũ, alius vt ob iram inconſultumq́ mentis impetum vituperabit, alius, vt magnanimitate, & conſtantis viri propoſito dignum laudabit. Sic honeſtum, quia per ſe expetendum dicimus, quod vltimi finis proprium eſt, ex deſtinatis, vel maxime dignoſcetur. Neq; hæc tamen eò pertinent, vt vel hos locos à reliquis quæſtionibus, vel ab his quæſtionibus reliquos locos excludendos putem. Neq; ſi maxime conuenire iſtis dico, idcirco ſolum conuenient. Varia eſt horum omnium ratio, & de quibus perpetuum nihil ſemel poterit pręcipi, ſed quid optimum ſit, rerum præſens vſus melius docebit.

## SCHOLIA IN CAP. XVI.

*Euenta. Effecta. Deſtinata.*

*Poterant + quod ad euenta attinet.] Euenta ſunt, quæ vi atq; impulſu cauſarum eueniunt. Quorum alia effecta, alia deſtinata, dicuntur. Effecta, quæ fiunt à cauſis efficientibus. Deſtinata, quæ in certum finem aliquem ordinantur.* 1

*¶ + Sed cauſam (quod ex verbis illius perſpicere licet) ad ſola efficientia redegit.] An Cicero de ſola loquatur cauſa efficiente, viderit Rodolphus. Boethius certe in commentarijs ijs, quos ſcripſit in Ciceronis Topica, ſecus docet. Verba eius ſi quis requirat, ſic habent: At verò M. Tullius principalem cauſarũ diuiſionem facit in ea quæ efficiunt aliquid, & in ea ſine quibus effici nequeat. Vt id quod efficit, ad eam cauſam conferatur, in qua motus principium conſtitutum eſt. Id verò ſine quo non fit aliquid, tum ad intellectũ materiæ tranſ-* 2

*transferatur, vel eorum quæ adiuncta materiæ efficientis adiuuant facultatem: tum ad reliquas cauſas ducatur, vt paulò poſterius apparebit. Hæc ille. Quanquam quid ego authorem laudo Boethium, cum ipſius verba Ciceronis facile idem declarent? Æs certe materia eſt ſtatuæ, & ſapictia nõ tam efficiens quàm forma eſt ſapientis: quibus exemplis vſus eſt Cicero. Quæ huc aſcribenda putaui, non vt incuriæ arguerem Rodolphum, ſed, vt diſpiciat, inquiratq; diligens lector, ecquid aliud ſibi is velit, quàm*

3 *verba eius prima ( vt aiunt ) fronte præ ſe ferũt.* ¶ †*Sic forma & finis.*] *Ariſtoteles ſecundo libro phyſicorum ait, formã & finem poſſe idem eſſe numero: cauſam effectricem, ſpecie eandem cũ his eſſe poſſe, numero nõ poſſe. Itaq; quod ſubiungit Rodolphus, cauſam efficientem, & formam nõ poſſe eſſe idem, de numeri nimirũ identitate*

4 *accipiendũ eſt, nõ de ſpeciei.* ¶ †*Cuiuslibet euẽtus in ſuo genere vnã eſſe cauſam.*] *Qui tantũ vnã? An nõ plures interim cauſæ ad vnũ aliquid efficiendũ cõcurrũt? Cõcurrũt quidẽ, ſi de quibuslibet cauſis loquaris, at Rodolphus de ſola loqtur cauſa proxima, & de eodẽ genere cauſarũ.*

5 ¶ †*Contrà quoq; cauſæ vnius, vnus eſt per ſe, & proximus euẽtus.*] *Recte illud, per ſe & proximus. Alioqui cauſæ vnius plura nõnunquã eſſe euẽta, qd vetet? Ignis proxime, ac per ſe cauſa caloris eſt. Quod autẽ hinc in luto ſequitur induratio, in cera mollicies, hæ velut acceſſiones quædã ſunt primi illius euentus, & effecta ( vt ita dixe-*

6 *rim ) ſecũdaria.* ¶ †*Quod autẽ prædiximus.*] *Dilutio eſt obiectionis, quæ oriri poßit ex ijs: quæ dicta ſunt capite*

7 *proximo.* ¶ †*Quãdo multis in rebus nõ tam refert quid facias.*] *Tale quiddã & Quintilianus habet libro duodecimo, cum oſtendit, à viro etiam bono, non bonam interim cauſam poſſe defendi. Meminit eiuſdem rei idem*

*author, libro tertio, & item quinto.*

## DE APPLICITIS.

*¶ Quid applicita: cur hæc ex aceruo eorum quæ adiuncta à Cicerone dicuntur, exemerit: neq; ad ſolũ oratorem, ſed ad philoſophos quoq;, & iureconſultos locũ hunc pertinere.*

### CAPVT XVII.

*Applicita.* APplicita placuit vocare, quę addita rei extrinſecus, nõ ſunt quidem cauſa eius, præbẽt tamen illi denominationẽ.† Ea ſunt, locus, tẽpus, 1
& ea quæ dicimus cõnexa, tria videlicet è primis rerũ generibus, id eſt, prædicamentis, illa ferè, quæ vbi, quãdo, & habere dicuntur.† Et 2
Cicero quidẽ adiunctorũ nomine iſta cõplectitur, nos adiũcta credimus illa eſſe, quæ inferius dicemus cõtingẽtia: quę quãtũ ab his diſtent, ſuo loco cũ explicabũtur, nobis haud erit
*Cur diduxerit ac ſeparauerit ea, quæ Cicero uno adiũctorum nomine complexus eſt.* difficile videre.¶ †Equidẽ inueniendorũ locorũ hãc vnã mihi perſuadeo fuiſſe cauſam, vt 3
quæcũq; vel in rebus ſunt, vel attingũt ipſas, vel quæ vndecũq; accita ad ipſas, aliqua parte ad faciendã de illis fidem proſint: ea in certũ cõcluſumq; redigerem⁹ ordinẽ, pro cuiuſq; qualitate, quã habẽt, propoſitæ rei cõparata. Sic enim facillime poſſe animũ certa & nõ fallẽte via, quęcũq; de re quaq; dicẽda ſint, eruere: ſi quã minimo errore perplexa, & ſuę quæq; reddita naturæ, intuẽda ſibi darentur. Placuit ergo mihi, quã exactiſſime, ſimul quã maper-

tiſſime poſſem,cūcta diſtinguere: quæ fuit etiā
cauſa addendi noua pleriſq; nomina, ne ſi in
eadē ſubinde reuoluerer,aut aliqua manerent
nō nominata,aut diligētiæ ratio, quā in ſecer-
nēdis ſumpſerā reb⁹,ea cōfundēdis rurſus no
minibus,vel omittēdis, mihi periret. Itaq; iſta
4 & applicita vocauimus,& † ab adiūctorū vel
genere diduximus,vel exemimus aceruo. Cū
pateāt em̄ latiſſime,& per omnē ferè rerū eant
5 naturā.†nec vt Cicero ſenſit,ad ſolū pertinent
oratorē iſta,ſed multū philoſophis etiā,cū qui
naturas rerū ſcrutātur,tū vel maxime qui mo-
res hominū formāt, quòdq; cōſeqtur, & me-
dētibus,& reſpōdētibus de iure, locus, tēpus,
& reliqua cōnexa tractātur.nō eſt ergo viſum
mihi,cū ſint iſta genere diducta, nomine con-
fundere:& inueniendi copiā quā rerum nobis
amplitudo oſtēdit,tradendo anguſtius,ad in-
6 opiā redigere.¶†Pēdēt itaq; totę quæſtiones,
7 pleræq; ex loco,pleræq; ex tēpore.Vt,† an red
dat Arethuſa fons Alpheū amnem,ex Elide
ſubter maria trāſmiſſum,tota ferè ex loco ſpe-
8 ctatur queſtio.† Sic etiam, Nilus oriatúrne ex
mōtibus Æthiopię,qđ Ariſtoteles negat,Pto-
lemæus ait:an,vt Iuba author fuit, circa Atlā-
tem habeat fontes.Iam tēporis propemodū vi
9 detur eſſe,†poſſint'ne diuturnitate ſiccari ma-
10 ria,& ſicca rurſus obrui aqs.†An ad vltimum
habitātib⁹ orientē Indis, ſol in exortu cōtinuo

*Exēplis oſtendit, nō ad ſolū oratorem pertinere locū adiunctorum.*

ſupra verticē ſit poſitus, vt Herodotus credi-
dit. † An ſint populi: quibꝰ perpetua dimidio 11
anno nox, dimidio ſit dies. Et de connexis tan
to plura poſſunt quæri, quanto per plura ſpar-
guntur, quàm locus, & tempus. Quis dubitet
ergo, cum videat extra rhetoris fines quęri de
iſtis, quin poſſint etiã ex eis argumẽta deduci?

## SCHOLIA IN CAP. XVII.

*EA † ſunt locus, tempus, & ea quæ dicimus conne-* 1
*xa: tria videlicet &c.* ] *Sit ne locus idem quod vbi,*
*& tempus id ipſum quod quando, nondũ ſatis in-*
*ter dialecticos conuenit. Sanè quæ connexa vocat Rodol*
*phus, ea non eius modo prædicamenti videntur eſſe, quod*
*habendi voce intelligunt dialectici: quin vel maxima eo-*
*rum pars ex albo eſt relatiuorum. Id quod facile oſtendũt*
*exẽpla, quæ ponũtur capite vigeſimo.* ¶ † *Et Cicero qui-* 2
*dem.* ] *Cicero in Topicis adiunctorũ vocabulo omnia ea*
*complectitur, quæ Rodolphus locũ, tempus, connexa, &*
*contingentia vocat.* ¶ † *Equidem inueniendorũ locorũ.* ] 3
*Poteram, & ego (inquit) applicita ſimul cum contingē-*
*tibus vno adiunctorũ nomine complecti: ni credidiſſem*
*ſingula inuentu fore faciliora, ſi res natura ſua longe di-*
*uerſiſſimas in diuerſos etiam locos digeſſiſſem. Hæc mi-*
*hi cauſa fuit, cur ſeiunxerim ea, quæ Cicero coniunxit.*
¶ † *Ab adiunctorum vel genere diduximus, vel exemi-* 4
*mus aceruo.* ] *Si ſola contingentia adiunctorũ nomine*
*intelligerentur, iam applicita ab illorum genere eſſent di*
*ducta. At cũ vtraq; tam applicita, inquam, quàm contin-*
*gentia, eo nomine complexus ſit Cicero, hinc eſt, vti non*
*tam diducta ab adiunctorum genere, quàm ex aceruo il-*
*lorum excempta ſint. Atque hoc eſt quod dicit, ab adiun-*

*ſtorum, vel genere diduximus, vel exemimus aceruo.*
11 5 ¶ † Nec, vt ſenſit Cicero, ad ſolum pertinent oratorem
*iſta.* ] *Cicero in Topicis, non prorſus, ſed magna ex parte, ad ſolum pertinere oratorẽ hunc locum confirmat.* Et *quidem maxima adiunctorũ pars de numero eſt illorum, quæ ab* Rodolpho *dicuntur cõtingentia: cũ quibus parũ commercij eſſe philoſophis, atq; illo etiã tempore fuiſſe iureconſultis id notius eſt, quàm vt vllo argumento ſit oſtendendum. Sed quid dicimus? An non ea quæ de præ*
1 *ſumptionibus, ac coniecturis tractant iureconſulti, ex numero ſunt contingentium? Sunt profecto. Sed quæſtiones illas coniecturales, in quibus non tam de iure quàm de facto quæritur, ij qui id tẽporis de iure reſpondebant, quo hæc ſcripſit Cicero, ad oratorem magis, quàm ad ſe pertinere arbitrabantur. Quod vt poßit intelligi planius, totum Ciceronis hac de re locum, non pigebit aſcribere.* Is
2 *ſic habet: Ab adiunctis autem poſui equidem exemplum paulò antè: multa ſcilicet adiungi, quæ ſuſcipiẽda eſſent, ſi ſtatuiſſemus, ex edicto prætoris, ſecũdum eas tabulas, poſſeßionem dari, quas inſtituiſſet, cui teſtamenti factio*
3 *nulla eſſet. Sed locus hic magis ad coniecturales cauſas, quæ verſantur in iudicijs, valet. cum quæritur, quid aut ſit, aut euenerit, aut futurũ ſit, aut q̃d omnino fieri poßit. Ac loci quidẽ ipſius forma talis eſt. Admonet autẽ hic locus, vt quærãt quid ante rẽ, quid cũ re, quid poſt rẽ euenerit. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronẽ inquibat Gallus noſter,*
4 *ſi quis ad eũ quid tale retulerat, vt de facto quæreret &c.*

6 ¶ † Pendent itaq;. ] *Oſtendit exemplis non ad ſolũ oratorem, ſed ad alios quoq; pertinere locum adiunctorum.*

7 ¶ † An reddat Arethuſa. ] *Plinius libri ſecundi, capite centeſimoſexto: Quidam verò (inquit) odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo* Arethuſa.

*redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens*
Ortus Nili. *Pelopõneſsiaco littori infunditur.* ¶ † *Sic etiam, Nilus* 8
*oriatúrne.* ] Solinus de Nilo loquens: *Originem, inquit, habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affirmãt Punici libri, hoc Iubam regem accepimus tradidiſſe. Igitur protinus lacum efficit, quẽ Nilidem dicunt. Nilum autẽ iam inde eſſe coniectant, quòd hoc ſtagnũ herbas, piſces, belluas, nihilominus procreet, quàm in Nilo videmus.* Et quæ ſequuntur. Eadem ferè Plinius libri quinti, capite nono. Et Seneca quoq; nonnihil hac de re naturalium quæſtionum libro quarto: & ſecundo hiſtoriarum libro Herodotus. ¶ † *Poſsint'ne diu-* 9
*turnitate ſiccari maria,* ] Hanc quæſtionem excutit Ari-
ſtoteles τῶν μετεωρολογικῶν libro ſecundo. ¶ † *An ad vl-* 10
*timum habitantibus Orientem Indis.* ] De his Indis ita Herodotus, libro tertio: *Eſt autem illis hominibus ſol ardentiſsimus matutino, non, quemadmodũ alijs, meridieeo vſq; efferueſcens, dum tempus eſt à foro diſcedendi, per quod tempus multo magis vrit, quàm meridianus in*
*Græcia.* ¶ † *An ſint populi.* ] Id quidam dixere fieri in 11
*Thyle inſula, alij in Nomo. Vide Plinium libri ſecundi, capite ſeptuageſimoſeptimo.*

*¶ Locus hic quid ſit, vnde eius ſumenda diuerſitas, & quiuſus.*

## CAPVT XVIII.

Locus quid Ariſtoteli. Locum † autem in præſentia nõ velim tam ſcrupuloſe accipi, quàm ab Ariſtotele acutiſſime quidem, ſed aſtrictius quàm noſtro inſtituto cõ- 1
ueniat, definitus eſt. Ille enim dixit locum eſſe extremum illud circunfuſi vnicuiq; rei aëris,

vel aquæ, vel quocunque alio contineretur, quod quantum ad loci rationem pertinet, ſit immobile. Quod eſſe quidem reuera propriũ cuiuſq; rei locum non eſt negandum: ſed nos de loco loquimur, quemadmodũ Virgilius, *Quid hic locus.*
2 qui ait: Eſt† locus, Heſperiam Graii cogno
3 mine dicunt. & †Deuenere locos vbi nũc ingentia cernes Mœnia. Et ſicut vulgo quæ-rentibus quo in loco quis ſit, reſpondemus, in
4 foro, & in vrbe, & ruri eſſe. ¶ † Sane multa ſũt locorum diſcrimina: ſed ea in capita quædam colligamus, quò facilius queant perſpici. *Locorum diuerſitas.*

Locorum igitur diſcretio, vel ex ipſis quatenus loci ſunt ſumitur, vel ex iis quæ circa ipſum ſunt ducitur. Et eorum quædam naturæ ſunt, alia hominum opere vel opinione acceſſerunt. In locis ipſis differẽtia eſt, qua rem, vel hic, vel ibi eſſe dicimus: & qua alium locũ diſtantem, alium vicinum: & alium amplum, alium anguſtum: & alium ſublimem, alium humilem vocamus. Ex eis quæ accedunt loco à natura, ſunt, maritimúſne, terreſtris, an aërius ſit: aquoſus an inaquoſus, & planus an montoſus, & aſper an mollis, & occultus an conſpi
5 cuus, lucidus an obſcurus, † aduſtus ſole an frigore rigens, an inter vtrunq; temperatus, peſtilens an ſaluber, ſterilis an fœcundus. Ab hominibus, alius celeber, alius deſertus dicitur, ſacerq; & prophanus, publicus & priuatus,

cultus & neglectus, pudēdus & honeſtus. Iam vrbs, rus, domus, forū, templū, vicus, pro locis ſunt. Iam prouinciæ, vt in Italia quē, in Germania, in Hiſpania eſſe dicimus. Iam ſingulæ vrbes, vt Romæ, Capuæ, Tarēti eſſe. Sic in ciuitate, & in patria, & peregre eſſe. Sed multa eſt adhuc (præter hæc quæ recenſemus) diuerſitas, & propemodū immēſa. Per omnes enim argumentorū locos, & quidem varie numeroſeꝗ; poſſunt iſta diuidi: ſed nobis omnia cōplecti nec animus eſt, nec eſt neceſſe. Satis fuerit, hac in re quærere volētibus hactenus aperuiſſe viā. Nō enim in abſtruſo latet res, ſed in proximo poſita, niſi cōniuere velimus, nō poteſt nos fugere. Huius loci eſt, quicqd in laude, & vituperio, de patria, de ciuitate, in qua natus qs, educat⁹, eruditus eſt, ponitur. In cōſiliis etiā perſępe valet. Hinc illa Macedonū interrogatio, †Ecquid Romani volare poſſent? 6

*Huius loci vſus.*

aut quo pacto Macedoniæ mōtes eſſent trāſituri? †Hinc Hannibalis in Italiā trāſgreſſi ex- 7
hortatio militū, vt acriter pugnarēt, qppe qui ā tergo Alpibus, ā latere duob⁹ marib⁹ clauſi, nulla ſperarēt effugia: at cōtrā Romanis, timidis eſſe licere, q in tuta fugā ſuā cōferre poſſēt. Hinc Milonis inuidia, ꝙ P. Clodiū in monumētis maiorū ſuorū occiderit.† Clodij quoꝗ; 8
de violatis Bonę deę ceremoniis accuſati defēſio, ꝙ eo tēpore nō Romę ſed Interānę fuiſſet.

## SCHOLIA IN CAP. XVIII.

*Locus quid ſit.*

1 LOcum † autem in præſentia non velim tam ſcrupuloſe accipi, quàm ab Ariſtotele.] Ariſtoteles τῶν φυσικῶν, libro quarto, poſt lõgam diſputationem de loco, ὥστε (φησὶ) τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον, τοῦτ' ἐστιν ὁ τόπος. Queri ſolet, quomodo dicat Ariſtoteles locũ eſſe immobilem, cũ ſit accidens, ac proinde neceſſario moueatur moto ſubiecto. Longum ſit hic referre ſententias omniũ. Mihi placet id quod ait Rodolphus, locũ immobilem dici, non abſolute, ac omni modo, ſed quod attinet ad rationem loci. Poteſt enim extremum illud corporis ambientis referri ad duo. Primũ, ad corpus illud ambiens, in quo eſt: atq; hac ratione moueri quidem poteſt. Cæterum, loci nomen ei non cõpetit: neq; enim locus eſt corporis illius. Deinde, ad corpus illud quod ambitur, ac cingitur. cui collatũ dicitur locus, & immobilis
2 manet. ¶ † Eſt locus, Heſperiam Graij.] Verba Ilionei
3 ſunt, primo Æneidos. ¶ † Deuenere locos.] Verba Vene-
4 ris ſunt ad Aeneam, libro eodem. ¶ † Sanè multa ſunt locorum diſcrimina.] De hac locorũ diuerſitate, multa in partitionibus Cicero: & Fabius Quintilianus, libro in-
5 ſtitutionum quinto, eadẽ ferè quæ Rodolphus. ¶ † Aduſtus ſole, an frigore rigens.] Alludit ad quinq; illas terræ zonas. quarum duæ extremæ frigore rigent, media ſole torretur, ac quaſi aduritur, temperatæ ſunt duæ interiacentes. Lege Macrobij librum ſecundũ, in ſomnium Sci-
6 pionis, & Virgilij primum Georgicon. ¶ † Fequid Romani volare poſſent.] Duo bella Romani geſſerunt aduerſus Macedones, alterum, quo T. Quintius vicit Philippum: alterũ, quo Perſen Philippi filiũ Paulus Aemilius. Quando autem, aut à quo dicta ſint verba, quæ affert Rodolphus, nondum legiſſe memini. Apparet in cõ-

*Quinq; terræ zonæ.*

cilio quopiam dicta fuiſſe, vbi cum Macedones de bello à Romanis impēdente, deliberarent: tum neſcio quis, vt in ſpem illos erigeret, ciuſmodi dictauit eſſe naturā locorū, vt Romani in Macedoniā peruenire nō poſſent. ¶ † Hinc 7 Hannibalis in Italiam tranſgreßi. ] Author eſt Titus Liuius, de ſecundo bello Punico, libro primo. ¶ † Hinc Milonis inuidia. ] 8 Clodianos illud egiſſe, vt Miloni conflarent inuidiam, propterea quòd Clodium in monumentis maiorum ſuorū occidiſſet, facile oſtendit ipſa Ciceronis pro Milone oratio. Ita enim ſcribit: An eo mors atrocior erit P. Clodij, quòd is in monumentis maiorum ſuorū ſit interfectus? hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur, perinde quaſi Appius ille cæcus viam munierit, non qua populus vteretur, ſed vbi impune ſui poſteri latrocinarentur. ¶ † Clo 9

Bonæ deæ ſacra

dij quoque de violatis Bonæ deæ ceremonijs. ] Solebant apud Romanos ſtato tempore in domo alterius conſulis, Bonæ deæ arcana quædam fieri ſacra à fœminis, viris inacceſſa. Eis ſacris cum P. Clodius captus amore Pōpeiæ vxoris C. Cæſaris interfuiſſet, ac proinde violatæ religionis reus eſſet, corruptos quoſdam teſtes produxit, qui iurati dicerent, cum tempore illo, quo ceremoniæ eius deæ violatæ dicerētur, non Romæ, ſed Interamnæ fuiſſe. Mētionem facit eius rei Plutarchus in vita Ciceronis. Et Cicero ipſe in oratione Miloniana: Legite (inquit) teſtimonia teſtium veſtrorum. Dixit C. Caßinius, cognomento Schola, Interamnis familiaris meus, & idem comes P. Clodij, cuius iampridem teſtimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat, & Romæ, P. Clodium illo die in Albano manſurum fuiſſe.

¶ Quid tempus, quomodo id diuidatur, qui eius vſus.

CAP. XIX.

1 TEmpus†definiri ſolet, eſſe numerꝰ *Tempus*
motus ſecundũ prius & poſterius. *quid.*
Nos apertius dicemus, eſſe ex cœli
ſolisq́ vertigine deductũ ſpaciũ,
quo rerũ omniũ agitationẽ viciſſitudinemq́
metimur. Inde horam ſumimus ferè continen
tem ſpacio vigeſimamquartam diei partem.
2 †Dies ſpacium eſt illud: intra quod cælum ra-
ptu ſuo ſolem nobis eo loco quo proxime ab-
3 ſtulerat ſiſtit. Ex diebus menſis fit, †intra quẽ
à ſole luna profecta, ſpaciũq́ omne cœli emen
4 ſa, rurſus redditur ſoli. †Et annus, quo ſol per
curſo duodecim ſignorum orbe, ad eam qua
5 fuerat cæli partem redit. ¶†Poteſt nobis tem- *Temporũ*
pus eadem ratione diuidi, qua locus diuiſus *vnde ſpe-*
eſt: vt alia in tempore ſpectentur, quæ propria *ctãda di-*
ſint ipſius, vt præſens, præteritũ, futurum, vt *uerſitas.*
nunc, tunc, modo, mox, pridem, ſero, nuper,
olim, cito, tarde, diu, breui. Alia ex iis quæ à
natura accedũt ipſi, vt dies, nox, annus, men-
ſis, hyems, ver, æſtas, autũnus. Serenũ quoq;
& nubilũ, turbidum, & tranquillum, pluuiũ, ni
uoſum, ventoſum, & feruens æſtu, & moleſtũ
frigore, temporum ſunt diſcrimina. Ex homi-
nibus ſumuntur, & quæ ad ætates hominum
pertinent, vt pueritia, adoleſcentia, iuuẽta, vi-
rilis ætas, ſenecta. & quæ conueniunt agen-
dis rebus, quales ſunt feſti profeſtiq́ dies.
Et meſſis, vindemiæ, arandi, ſerendi, terendi

tẽpus:& pacis,& belli,& famis, vbertatis, pe-
ſtilentiæ,ſanitatis dicimus.Et ſumitur in tem-
pore quoqꝫ cõmoditas quædam ad conficien
dum aliquid,† quam occaſionem vocãt,† cu- 7
ius( vt inquit Liuius) opportunitas momẽto 8
præteruolat,nunquam reditura.Vnde & tem
peſtiue & intẽpeſtiue,& opportune & impor-
tune fieri aliquid iudicatur. Nec minor eſt tẽ-
porũ quàm locorũ varietas. Latiſſime quoqꝫ
& ſine modo ſpargi poſſent iſta,ſi quis dicere,
quantũ res caperet,nõ quantũ ſatis eſt, vellet.

*Varius huius loci vſus.*

¶ Multũ ad fidẽ,multum ad effectus, & tẽpo-
ra contulerint diligenter inſpecta.† Ergo pro 9
Milone eſt,non eſſe credibile ſumpſiſſe ipſum
conſilium occidendi Clodii,tempore quo pe-
tebat conſulatũ.† Et Ciceroni obiectum eſt ab 10
Antonio,ꝙ in medio armorũ ciuilium fremi-
tu dicax fuerit.Quid Virgili?:† Hic Priamus, 11
quanquã in media iam morte tenetur, Nõ ta-
men abſtinuit,nec voci iræqꝫ pepercit.An vlla
re potuit magis exprimere magni & inuicti
animi virũ,cuius libertatem ſpiritumqꝫ ne ex-
tremi quidem tẽporis neceſſitas cõprimeret?
Iterumqꝫ,† Quin etiam hyberno moliris ſide- 12
re claſſem,Et mediis properas Aquilonibus
ire per altũ.Alia quæ dixit Dido, aptiora for-
te fuerint affectui Aeneæ:hoc ad ſuadendum
vtilitatis ratione fuit potiſſimũ.In ſumma, vt
in vſu rerum præcipua eſt temporum obſerua

tio,ſic ad fidem faciendam maxime eſt accom
modata.quandoquidem vt plurimũ quodq;
virium habet in agendo,ita maxime ad fidem
contulerit in diſſerendo.

## SCHOLIA IN CAPVT XIX.

1 *TEmpus † ita definiri ſolet, eſſe numerus motus*
*&c.*] *Ita Ariſtoteles tempus definit quarto li-* Tempus.
2 *bro phyſicorum.* ¶ † *Dies ſpacium eſt.*] *De dici*
*ortu & occaſu Gellius libro tertio capite ſecundo.Et Ma*
3 *crobius primo libro Saturnaliorum,capite tertio.* ¶ † *In-*
*tra quem à ſole luna profecta.*] *Quot diebus curſum ſuũ*
*conficiat luna,docet Macrobius libro primo in ſomnium*
4 *Scipionis.* ¶ † *Et annus.*] *De annorum diuerſitate, or-*
*dinatione,correctione,multa Macrobius in ſomniũ Sci-*
5 *pionis libro ſecundo,capite vndecimo: & primo ſaturna*
*liorum,capite duodecimo & decimotertio.* ¶ † *Poteſt no*
6 *bis tempus.*] *Eadem ferè Quintilianus libro quinto, ca-*
*pite decimo.* ¶ † *Terendi.*] *Exterendi grana, & triturã*
7 *di.* ¶ † *Quam occaſionem vocant.*] *Cicero in rethoricis:*
*Occaſio,inquit,eſt pars temporis habẽs in ſe alicuius rei* Occaſio.
*idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Di-*
*citur à Græcis* καιρὸς, *Vnde vulgatum illud,* γνῶθι καιρόν.
8 *de quo vide Eraſmi chiliadas.* ¶ † *Cuius vt inquit Li-*
*uius.*] *Poſt occiſos in Hiſpania Cn. & P. Scipiones, Ro*
*manorum exercitus ipſe ſibi ducem creauit L. Martium*
*Septimi filium.Is Martius hortaturus Romanos,vt Pœ-*
*norum caſtra adorirentur noctu,inter cætera ( vt refert*
*Liuius ſecundi belli punici libro quinto ) hæc dicit: Scio*
*audax videri conſilium,ſed in rebus aſperis ac tenuibus*
*fortiſſima quæq; cõſilia tutiſſima ſunt:quia ſi in occaſio-*
*nis momento,cuius prætereuolat opportunitas,cunctatus*

*fueris, nequicquā mox amiſſam quæraris.* ¶ †Ergo pro 9
Milone.] *Ciceronis in ea oratione verba ſic habent: Quē
igitur cum ſumma gratia noluit, hūc voluit cum aliquo-
rum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem
impune non eſt auſus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tē-
pore, cum periculo capitis, non dubitauit occidere? præſer
tim iudices, cum honoris ampliſsimi cōtentio, & dies co-
mitiorum ſubeſſet, quo quidem tēpore (ſcio enim quàm
timida ſit ambitio, quantaq́; & quàm ſolicita cupiditas
conſulatus) omnia non modo quæ reprehēdi palam, ſed
etiam obſcure cogitari poſſunt, timemus, &c.* ¶ †Et Ci- 10
ceroni obiectum.] Hac de re ita ipſe Cicero in ſecunda
Philippica: *Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimiū
felix fuiſti. ne iocis quidem reſpondebo, quibus me in ca-
ſtris vſum eſſe dixiſti. Erant quidem illa caſtra plena cu-
ræ, veruntamen homines, quamuis in turbidis rebus ſint,
tamen ſi modo homines ſunt, interdum animis relaxan-
tur.* ¶ † Hic Priamus.] *Carmen eſt ex ſecūdo Æneidos.* 11
¶ †Quin etiam hyberno.] *Quarto libro Æneidos.* 12

*¶ Connexa quæ ſint, & quomodo diuidantur.*

## CAPVT XX.

*Cōnexa quæ.* Connexa dicimus, quæ non circunſtant quidem rem, quemadmodū locus & tēpus, ſed extrinſecus tamen in ipſam incumbere vidētur. Vt diuitiæ connexæ ſunt diuiti: ſunt enim extra illum, habet tamen diues ab eis quòd dicitur diues. Sic & coniugium in cōnexorum eſt numero. nam vt maritus quis dicatur, nō niſi ab vxore: nec quòd vxor, niſi à marito contin-

*Obiectio.* git. ¶ Quid ergo? dicat aliquis: eſſe maritum,

nónne eſt in eo quem vocamus maritum? ſic & diuitem eſſe, in eo qui diues dicitur? quid obſtat ergo, quo minus adiacentia vocentur iſta? † Haud difficile eſt videre, quid inter iſta & adiacentia interſit. Quanquã æque inſit ei qui maritus eſt, maritum eſſe: vt ei quod calet, eſſe calidum, quod adiacens eſſe apertum eſt: tamen non ſolum calidum eſſe, ſed & calor à quo calidum nomen accepit, ineſt rei quæ calet. ita nõ fit autẽ in marito: nam eſſe maritum, ineſt ei quem maritum dicimus: vxor tamen, à qua habere ꝙ maritus dicatur, nemo dubitauerit, extra maritum eſt. Sic regiũ nomen in rege eſt: à regno tamen quod eſt extra regem, vt rex dicatur, neceſſe eſt ſibi contingere. Eſt præterea hæc quoq; differentia, quòd in adiacentibus, ea quæ dant denominationem, non poſſunt ſine eo quod denominatur eſſe, Vt calor nullo pacto permanere poteſt, eo quod eſt calidum ſublato. nec perempto homine, ſapientiæ quę in illo fuerat permanere nec res nec nomen poteſt. In diuitiis contrà. poteſt enim manere id vnde diuites ſumunt nomen, tametſi nemo ſit diues. Quanquã enim nomen diuitiarum non retinet aurũ, ſi in nullius ſit poſſeſſione: res ipſa tamen durat, vnde & dicti fuerũt diuites, & rurſus queant dici. ¶ Poſſunt diuidi cõnexa, vt alia dicantur in proximo poſita, & tanquam attingẽtia rem, vt in aëre nebuloſum

*Dilutio.*

*Cauilli amotio.*

*Cõnexorum diuiſio.*

dicimus & vētoſum: in aqua limoſum, piſcoſum: ſic in terra herbidū, arboribus refertum. Eiusq́ generis item ſunt, altū, humile, mons, vallis, tumulus, lacus: quorū nihil per ſe intelligi poteſt, ſed omnia ex alio ſpectantur. Sic in corpore hominis, armatum, veſtitum, præcinctum, calceatū dicimus, & ſanguine conſperſum, & luto oblitū, & puluere oppletum. Alia ſunt cōnexa quæ velut è regione & de lōginquo rem aſpiciūt: vt ſunt pleraq́ eorū, quæ nō tam ſenſu poſſunt in re deprehēdi, quàm intellectu. Vt ſunt quæ vel in poſſeſſione intelligūtur, vt diuitiæ, opes, regnū, imperiū, poteſtas, dominiū, ſeruitus, obſequium: quæq́ reliqua huiuſce ſunt cōditionis, vt magiſtratus omēs, & omne id quo vel in homines, vel in res imperium iúſve habere intelligimur, & quæ aliā quandam coniunctionem ſignificant rerū. vt amicus, hoſtis, ciuis, peregrinus, domeſticus, exterus, familiaris. Sic coniugium, id eſt maritus & vxor: ſic ciuitas, id eſt cōſentientes ciues: ſic reliqua, quorūcunq́ cum ſit in aliquo nomen, id ab alio tamen quod extra ipſum eſt oritur. ¶ † Æqualitas autem vt inæqualitas, vt 2 ſunt à philoſophis definita, differentiū rerum eadē vel diuerſa quantitas. vt tripedale tripedali cōparatū æquale eſt: & tripedale bipedali, & maiora minoraq́ ſunt inæqualia: ſimilia etiam, vt dicuntur diuerſa eandem habentia quali-

*Aequalitas, ſimilitudo, & cætera id genus, an ad hūc locum pertineant.*

qualitatem, vt album albo: & diſſimilia, quæ diuerſas qualitates habent, vt ſunt albũ & nigrum: hæc omnia huius loci poterãt videri, ſi acciperentur veris, & his ipſis quibus comparantur nominibus: & talibus etiã, quæ proprie eſſent cõnexa, & non imaginem potius cõnexorum haberent, hoc eſt, quæ eiuſmodi eſſent, quorum cum eſſet vnum, etiam alterum eſſet. Nunc pro eo quod dicendum erat, minus potens poteſt, ergo magis potens poteſt: &, doctior huius rei neſcit, ergo indoctior neſcit: quæ ſane vera cõnexorũ ſunt nomina: pro eo nos dicimus, miles poteſt, ergo rex poteſt: & præceptor neſcit, ergo diſcipulus neſcit: cũ horum quoduis alterum poſſit ſine altero eſſe, & rex potentior milite, & contrà miles potentior rege: & diſcipulus præceptore, & eruditior diſcipulo præceptor eſſe poſſit. Sic etiam ſi dica-
5 tur. † Hannibal non potuit capere Romã qui
4 potentior fuit, † ergo Gotthi imbecilliores nõ poterunt capere: nomina ſunt connexorũ iſta, ſed res nequaquam: non fuerunt enim eadem tempora Hannibalis & Gotthorum: quare cũ ſimul non ſint, ſimilia ſunt connexis, connexa non ſunt. Si quis tamen ad legem quam prædixi argumentetur, ductum erit hoc è loco argumentum. At cum rariſſima hæc ſit obſeruatio, ſintq́ hæc reliquis eis quæ comparata dicimus vſu tractatuq́ ſimilia, in eundem cum

illis locum contulimus æqualia & ſimilia, di-
uerſaq; iſtorum diſſimilia & inæqualia. Nã ea
quæ nos poſtea dicemus ſimilia, ſeparatũ ha-
bent ab aliis accidentibus locũ. nõ enim in hãc
ſignificationem ſimilia dicuntur: quod cũ di-
cetur de ipſis, non erit difficile perſpectu.

SCHOLIA IN CAP. XX.

*HAud + difficile eſt videre.*] *Duplex affert diſcri-* 1
*men inter connexa & adiacentia, Alterum, quòd in adiacentibus nonmodo ipſa denominantia, ſed & illa quæ præbent rei denominationem, in re ipſa ſunt: at in connexis, id quod cauſa denominationis eſt, planè extra rem eſt. Alterum, quòd in adiacentibus ea à quibus habet res vt denominetur, ſine illa re eſſe non poſ-*
Æqualitas Inæqualitas Similitudo Diſſimilitudo.
*ſunt, in cõnexis poſſunt.* ¶ + *Æqualitas autem.*] *Quod* 2
*dicit, hoc eſt: æqualitas eſt rerum diuerſarum eadem quantitas. Inæqualitas eſt rerum diuerſarum quantitas item diuerſa. Similitudo diuerſarum rerũ eadem qualitas eſt. Diſſimilitudo rerum diuerſarum diuerſa eſt qualitas. Hæc igitur omnia, quoties hiſce nominibus ſignificantur, ex albo ſunt connexorum. Sed fieri ſolet, vt quoties horum aliqua inter dicendum occurrunt, tum non his ſed aliis quibuſdam nominibus vtamur: quo fit vt ad eum potius referenda ſint locum, qui dicitur comparatorum. de quo poſt, capite vigeſimoquinto.* ¶ +*Hannibal non po-* 3
Romam Hãnibal capere nõ poteſt.
*tuit capere Romam.*] *Hannibal quo modo relicta Capua exercitum ipſi Romanæ vrbi admouerit, & abiecta rurſum ſpe capiundæ vrbis inde diſceſſerit, explicat T. Liuius ſecundi belli punici lib. 6.* ¶ + *Ergo Gotthi.*] *Ab his* 4
Gotthi.
*duce Halarico vrbem Romam obſeſſam captamq; eſſe tradunt multi. Modum ac ſeriem captæ vrbis explicat*

*Baptiſta Egnatius. Quotiæs autem & à quibus intra pau cos annos capta Roma fuerit, præter alios docet Antonius Sabellicus Enneade nona.*

## DE ACCIDENTIBVS.

*¶ Quæ vocet hic accidentia, & quot horum ſint ſpecies. Tum de ſententia Ciceronis, Quintiliani, & Boethij, de adiūctis, antecedētibus, cōſequētibus & repugnātibus.*

### CAPVT. XXI.

NOlim quiſquā credat me ignorare, propter hāc inſolitā accidētis appel lationē, quid vulgo hoc noīe philo- *Accidens*
1 ſophi ſignificēt. †Vt ſit accidēs id nō tiū nomē *tiū nomē*
nūquā omne, quod nō ſit ſubſtātia: nōnūquā *quid hic*
vero, quod abeſſe rei & adeſſe, vt nō corrūpa- *deſignet.*
tur res, poteſt: vt calor accidēs eſt aquæ, poteſt enim adeſſe aquæ & abeſſe, vt tñ permaneat aqua. Ego accidētia voco in præſentia, quorū vtrūuis & eſſe & interire, ſine alteriꝰ pernicie poſſit, quēadmodū dicimus in rebus accidere ea, quæ temere, & nullo delectu aut prouidētia
2 vidētur fieri. †Ex qua ſignificatiōe Seneca in-
3 quit: Nō accidūt (vt putas) oīa, ſed eueniūt. †Et Quintilianus in *corporis proiecti, Poterā (in- **Arger*
quit) nihil ex accidētiū meorū nouitate mirari. *redēptus.*
Sic nos ea quæ temere & nulla ſunt exiſtēdi ne ceſſitate coniuncta, vocamus accidentia. ¶ Ea *Quinq;*
in quinq; diduximus ſpecies, contingentia, *accidētiū*
pronūciata, nomē rei, cōparata, & ſimilia. Eſſe *ſpecies.*

autem hæc omnia ex accidentium genere, hinc facile perſpici poteſt, quod omnes hi loci non ſolum in iis ſunt, quæ ſunt coniuncta cum re, & quæ ſimul eſſe oportet: ſed & in eis, quæ antecedunt rem, & quæ cōſequuntur. † Sic ea quæ 4
contingētia voco, vt iurgatum eſſe, antecedit quandoque cædem: aut expalluiſſe, aut latebras quæſiſſe, aliquando conſequitur cædē. vtraque vero cædis ſunt accidentia: quia & illa ſine cæde, & cædes ſine illis potuit euenire. Nomina etiam rerū & pronūciata itidem de rebus, exiſtentium non ſolum ſunt rerum, ſed & futurarum rerum, & earū quæ fuerunt. Similiter cōparationes ſimilitudinesque, nō modo ex iis ducimus, quæ rebus coniuncta ſunt: ſed perſæpe ex iis, quæ præceſſerunt, nonnunquā & ab iis, quæ temporū ordine ſequuntur. ¶ † Quoniam 5
autem adiunctorum, antecedentium, & cōſequētium, locus iſte nos admonet, aptiſſimum videtur hic recenſere, quid iſtis nominibus Cicero voluerit accipi. Sane ille, non locum, non tempus, non * applicita, non contingentia, poſuit inter locos: ſed hæc omnia nomine adiunctorum complexus eſt. Ego, de loco, tēpore, & connexis, cū de illis dicere, rationem reddidi.

*Opinio Ciceronis de adiunctis, antecedētibus, & conſequētibus.*

** Connexa.*

† Contingentia vero recte illū locū, quem ad- 6
iunctorum vocari Boethius putauit, intra ſe claudere vidētur. quoniam eiuſmodi ſunt, vt eſſe cum re propoſita & ſine ea poſſint, malui

tamen cõtingentia ea quàm adiuncta vocare, quoniã vt modo oſtẽdi, adiunctorũ & antecedẽtiũ, & cõſequẽtiũ nomen, velut tres ſunt gradus, per quos omnes accidentiũ loci ducerentur.

7 †Sed quæ antecedẽtia & cõſequẽtia vocauerunt Cicero, Quintilianus, & Boethius, additaq; eis etiam repugnãtia, loci non ſunt, ſed argumenrandi formæ quædam, quas licet per omnes locos colligere. Qua in re, quò litẽ hãc Ciceroni & Quintiliano remittã, quos diuerſa ab iſtis magnorum ſtudiorũ ratio facile tuetur, vt hæc ab aliis accepta, aliena quoque traderent fide, Boethii certe non immerito deſiderauerim diligentiam, quia nullã ſtudiorum partem videri poteſt impenſiore tractaſſe cura. Nã & Ariſtotelis topica ex Græcis Latina fecit, & in Ciceronis topica edidit commentarios, & quatuor topicorũ libros ipſe cõſcripſit. In eorum librorũ tertio de antecedentibus ſic ait: Antecedẽtia ſunt, quib⁹ poſitis, neceſſe eſt vt aliquid ſequatur. velut cũ dicim⁹, ſi homo *Contra ſententiã*

8 eſt, animal eſt.† Quod ſi verũ eſt, etiã animal *Boethÿ* antecedẽs erit ad hominem. Licet enim dice- *ratio prima.* re, ſi omne animal eſt, homo eſt. eruntq; hinc-inde, animal homini, & homo animali antece-

9 dens.† Ad hoc quo pacto diſtinguetur hic lo- *Secunda.* cus ab aliis, cũ ſit ex omnibus ferè locis tale aliquid ſumere, quo poſito ſit neceſſe aliquid ſequi: vt poſita definitione, ſequitur definitum:

poſita ſpecie,ſequitur genꝰ:poſito toto,ſequū-
tur partes:& ad cauſas euenta,& ad eucta cau
ſæ,& ad omnes ferè locos aliquid neceſſario
ſequitur. Quid ergo fuit opus nomen ante-
cedētiū ſecernere,ſi ſunt ea reliquis locis, nō
vni alteri ve, ſed prope omnibus commu-
*Tertia.* nia? Præterea libet quærere, an ſi dicam, ho-
mo eſt,ergo animal eſt, ſit ductū argumētum
ab antecedentibus.†Quod ſi aiat,haud video 10
quod dicetur à ſpecie ductū. Sed negat Boe-
thius, dicitq́ʒ ſolum ab antecedentibus ſumi ar
gumentum,cū per conditionem effertur. vt,ſi
homo eſt,animal eſt.Primū ergo magnæ infe-
licitatis damnat antecedentia,cū poſſit ex reli-
quis omnibus depromi argumentatio, ex an-
tecedentibus nō poſſit.Cum enim anteceden-
tia aliter pronunciari nequeant,quàm quo pa
cto ipſe præſcribit,nō poterit vtiq́ʒ ex ipſis cō
fici argumētatio.Nec enim eſt argumētatio: ſi
homo eſt,animal eſt:ſed pars ſolū argumenta
tionis:quæ quidē,ſi addideris, ſed homo eſt,
*Quarta.* ergo animal eſt:tum demum erit expleta. De-
inde,cum locorū diſtinctio, pro diuerſa habi-
tudine rerum ſumatur, quam accipiunt aliæ
aliis comparatæ, vt animal homini cōparatū,
genus eſt:virtuti vero ſentiendi, ſubiectū eſt:
corpori & animæ,eſt totū.Cum ergo inter iſta,
ſi homo eſt,animal eſt: & homo eſt, ergo ani-
mal eſt:nullum ſit rerum diſcrimen: quî poteſt

fieri, vt dicantur è locis diuerſis ſumptæ argumẽtationes? Quæ fuit igitur cauſa tradẽdi Boethio iſta hoc pacto? Dicã equidẽ. Vir ingenioſus, qui videbat, ſi antecedẽtia faceret oĩa, ad quæ ſimpliciter illata, aliud ſequeretur, nõ habiturũ ſe quo cõſequẽtia inueniret: vndecũq; enim duceret argumentũ, ſi neceſſario ſequeretur aliud, oportebat id ab antecedẽtibus dici: non habebat ergo, quod à conſequentibus vocaret. Inſtituit ergo, vt antecedentia per conditionem (vt dicimus) pronunciarentur, & conſequentia eſſent eadem illa mutato tamen ordine, & per contradictionem & aſſeueranter prolata. Vt ſit ab antecedenti, ſi homo eſt, animal eſt. deinde à conſequenti, ſed nullum animal eſt, ergo homo non eſt. fietq; ex duobus locis argumentatio vna. Mihi perſuaſum eſt, multo aliter ſenſiſſe Ciceronem, & voluiſſe ex antecedentibus argumẽtationẽ duci, quoties propoſita conditionali, ab eo quod per conditionem antecedens fecimus, quo ordine propoſitum erat, duceretur argumentum. vt ſi homo eſt, animal eſt: deinde ab homine quod antecedens fecit, ducit argumentationem, quam ab antecedente vocat: ſed homo eſt, ergo animal eſt. Sic cum conuerſo ordine, ab eo quod ex conditione conſequens erat, duceret argumentationem, à conſequentibus vocabat. vt, ſi homo eſt

*Quomodo intelligendus Cicero.*

animal eſt:animal hic eſt conſequens. ducitur ergo à conſequenti, ſed nullum animal eſt, ergo nullus homo eſt. Verum iſta, quomodocunq; libeat accipere, non loci ſunt, ſed formæ argumentandi. cum non rerum inueniendarū ratione, ſed certa colligendæ argumētationis lege conſtent. Repugnantia quoq; Boethius voluit eſſe contraria conſequentiū. Sed quoniam hæc etiam per tot locos ſpargi poſſunt, per quot conſequentia ſparguntur, & ad certum argumentandi modum ſicut conſequentia trahuntur, neq; ſuum poterunt propriū habere locum, & ad iudicandum potius quàm inueniendum pertinebunt. Nos ergo, antecedentia, cōſequentia, adiuncta, ita putamus accipiēda, vt temporū ea diſtinguamus ordine. hocq; ſemel in omnes accidentium locos admonitum volumus, poſſe ex quolibet eorum per tres iſtos gradus duci argumēta, & quęq; locum in quærendo hoc ordine excutiendum eſſe. Tria autem nomina iſta, quoties per ſe ponentur, poterūt quidem & ad pronunciata referri: ſed accommodatiſſime naturæ proprietatiq; contingentium accedent.

*Repugnantia.*

*Antecedentium, conſequētium, & adiunctorum vocabulis quomodo hic vtēdum.*

SCHOLIA IN CAP. XXI.

*Accidēs.*

*VT † ſit accidens id nonnunquam omne.*] *Accidens, duo potiſsimum ſignificat apud philoſophos. Principio, omne illud quod non eſt in genere ſubſtantiæ, quo intellectu accipiendum quod dicunt,*

nouem eſſe genera accidentium, quantitatem, relationē, qualitatem, actionem, paßionem, vbi, quando, ſitum eſſe, & habere. Deinde, id quod contingit eidem ineſſe, & nō ineſſe. Id hūc in modum finit Porphyrius. Συμβεβηκὸς δὲ ἐσὶν ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς. Accidens, eſt quod adeſt, & abeſt citra ſubiecti corruptionem. Horum ergo ſignificatum, neutro in præſentia vtitur Rodol. verum accidentia vocat res eas, quæ ita cōiunguntur, vt & ſeiungi rurſum poßint, & vtraq; eſſe ſine

2 altera. ¶ †Ex qua ſignificatione Seneca dit.] Seneca in Seneca.
libro vnico de diuina prouidētia: Fata (inquit) nos ducunt, & quantum cuiq; temporis reſtet, prima naſcentiū hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex cauſa, priuata ac publica longus rerum ordo trahit. Ideo fortiter omne faciendum eſt, quia non, vt putamus, incidunt cuncta, ſed eueniunt. Olim cōſtitutum eſt, quid gaudeas, quid fleas: & quāuis magna videatur varietate ſingulorū vita diſtingui, ſumma in vnū venit. Sic quidem hodie in exemplaribus legitur. Rodolphus pro illo putamus, legit putas: & pro incidunt, accidunt. Quarum lectionum vtra ſit emēdatior, eius rei iudicium ſit penes alios. Mihi illud accidunt magis arridet quàm incidunt.

3 ¶ †Et Quintilianus in corporis proiecti.] id eſt, in declamatione ea, cui titulus eſt, corporis proiecti. Porrò cum ex alijs quibuſdam, tum ex hoc etiam loco facile perſpectu eſt, Rodolphū hominem fuiſſe plurimæ lectionis: & cum hæc ſcriberet, tum aut libros ei ad manum non fuiſſe, aut alioqui fiducia quadā inſignis memoriæ, illos non conſuluiſſe. Quæ res eſſe ſolet in cauſa, vt homines alioqui longe doctißimi, vel in omnibus proprijs, vel in librorum titulis, vel alijs quibuſdam hiſce Erratum
non dißimilibus, ſoleant nonnunquam errare. Ita Cicero Ciceronis.
ab Aiace ea apud Homerum dici ait, quæ non ab illo, ſed

ab Hectore dicta eſſe animaduertit A. Gellius. Cui ſimile quiddam in eodem Cicerone deprehendit & Politianus Miſcellaneorum capite quinquageſimotertio. Quibus nõ ita diſsimile eſt, id quod hoc loco fecit Rodolphus. Siquidẽ verba Quintiliani, quæ citat, nõ in corporis proiecti, ſed in ea declamatione poſita ſunt, quæ hãc proxime præcedit, cui titulus eſt, Æger redẽptus. Ibi hũc in modũ orditur pater. Quãuis iudices in tãta malorũ cõtinuatione id poterã nihil ex accidentiũ meorum nouitate mirari, nullũq; mihi reliquerũt impatientiæ genus aduerſa &c. Huius generis & illud, quod capite vigeſimoquinto, Sp. Melij nomen ponit ꝓ Tyberij Gracchi. Id qđ facile animaduertet, quiſqs legerit orationẽ eã Ciceronis in L. Catilinã, ex qua id exẽplũ depromptũ eſt. Neq; ita lõge hinc diſsidet qđ ſecũdi libri capite decimooctauo, à Megara ea dici ait, quæ apud Senecã, nõ ab illa, ſed ab Amphitryone dicũtur. Quod genus & alia quædã lectori occurrẽt, quẽadmodũ ſuis indicabimus locis. Sanè ſi quis cẽſor accedat tam iniquus, qui eiuſmodi erratula vehemẽtius inſectanda, ac reprehẽdẽda putet, ei hoc ego ſolũ reſpõdero, homines indoctos ad iſtunc errare modum nõ ſolere. ¶ † Sic, ea 4 quæ cõtingẽtia.] Nota genus locutionis. Neq; enĩ verbũ vllũ appoſitũ eſt huic nominatiuo cõtingentia, niſi quòd ſingulis partibus ſua verba apponuntur, antecedit, & cõſequitur. Sic Virgilius quanquam diuerſo caſu.

Protinus Orſilochum, & Buten, duo maxima Teucrũm
Corpora, ſed Buten aduerſum corpore fixit
Macrobius li.6. ſaturnaliorum, ca.6. Loricam galeamq; inter, quà colla ſedentis
Inuenit, & læuo dependet parma lacerto.
Orſilochum fugiens magnumq; agitata per orbem
Eludit gyro interior &c. Simile eſt huic illud, authore Macrobio: etiãſi Seruius lõgũ ſubeſſe putat hyperbaton.

*Interea reges, ingenti mole Latinus*
*Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum* Æn ei.12
*Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt.*
*Solis aui ſpecimen bigis it Turnus in albis,*
*Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.*
*Hinc pater Æneas Romanæ ſtirpis origo*
*Sidereo flagrans clypeo, & cæleſtibus armis,*
*Et iuxtà Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ*
*Procedunt caſtris.*

5 ¶ †*Quoniã autẽ adiũctorũ, antecedentium, & conſequentiũ.*] *Principio explicemus quid ſibi velint hæ voces, ita plenius intellecturi, quorſum tẽdat Rodolphus. Antecedẽs eſt, quo poſito aliud quiddã neceſſario ſequit̃. Cõſequẽs, quod neceſſum eſt eſſe, ſi id cui conſequens eſt, præceſsiſſe cõſtiterit. Vt, quã peperiſſe cõſtat, eam neceſſe eſt cũ viro conſuetudinẽ habuiſſe. Adiuncta ſunt, quæ ita antecedũt rẽ aliquã, aut ſequunt̃, aut cũ ea cohærẽt, vt nulla tamẽ præcedẽdi, cohærẽdi ve, aut ſequẽdi, intercedat neceſsitas. Verbi cauſa. Cædẽ præcedere ſolet verborũ cõtentio. cohærere, vel vox eius q̃ cædẽ feciſſe arguit̃, vel occiſi vociferatio, aut gemitus, vel aliud quippiã hiſce nõ vſq̃; quaq; diſsimile: ſeq, fuga, timor, latebræ, trepida ac incõſtãs reſpõſio. quorũ omniũ nihil eſt, qđ neceſsitate aliqua cũ cæde iũgat̃: & tamen rarò ita quiſquã occiditur, vt nihil horũ ei cædi adiunctum ſit. Ergo quæ adiuncta alii vocant, ea (quemadmodũ diximus) Rodolphus, partim cõtingẽtia, partim applicita vocat. Antecedẽtia autẽ & cõſequẽtia, nõ putat eſſe locos diſtinctos, eo ꝙ in oĩbus propemodũ locis talia quædã inueniri queãt. Hæc rei ſũma: in qua, vt quidẽ mihi videt̃, nõ peſsime Rodolphus: etiãſi quædã obiter interſerit, quæ mihi hauddũ ſatis probant̃. quæ ſuis locis nõ diſsimulabo.*

Antecedens. Conſequens. Adiũcta.

6 ¶ †*Contingẽtia verò rectè*

illum locum, quem adiũctorum vocari Boethius putauit, intra ſe claudere videntur.] Quemadmodum negari nõ poteſt, maximam adiunctorum partem cõtineri loco contingentium: ita ne id quidem in dubium vocari debet, quædam vtiq; ex ijs pertinere ad locum applicitorum, quando hæc quoq; adiunctorum vocabulo à Cicerone cõprehenſa fuiſſe, ipſe teſtatur Rodolphus. Boethij porrò non aliam, ac Ciceronis de adiunctis fuiſſe ſententiã, id vel hinc liquet, quòd is tertio Topicorum libro, ita imitatus eſt Topica Ciceronis, vt præter exempla, nihil quicquam mutaſſe videatur. ¶ † Sed quæ antecedentia, & cõſequentia.] Duæ dialecticæ partes ſunt, vna inueniendi, altera iudicandi. Prior, inueniendi argumenti rationem, ac locos tradit: ac proinde Topice dicitur. Altera, formas quaſdam tradit argumentandi, quibus diiudicari, expendiq; inuentum iam argumentum poßit, nominaturq; κριτική, παρὰ τὸ κρίνειν, hoc eſt, à iudicando. Quæ igitur à Cicerone, Quintiliano, & Boethio, in locorum explicatione, de antecedentibus, conſequentibus, repugnantibusq; præcipiuntur, ea (inquit Rodolphus) ad poſteriorem potius dialecticæ partem, quàm ad priorem pertinẽt, quare non erant hæc referenda inter locos. Sanè Cicero ipſe paulò minus in hac videtur fuiſſe ſententia, vt putarit ea quæ ab ipſo de his tribus dicuntur, magis ad explicanda formandáq;, quàm ad inuenienda argumẽta pertinere. Verba eius ſic habent: Cum tripartite igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceßionem, repugnantiam: reperiendi locus ſimplex eſt, tractandi triplex. Hactenus Cicero. Verumenimuero, vt altius paulò hæc diſcutiamus, aſcribam huc verba ipſius Rodolphi, ex capite vigeſimoſecundo, de contingentibus: vbi inter alia multa: Nec eſt (inquit) inutile, etiamſi id natura rei

Duæ dialecticæ partes.

7.

*non cogeret, plures tamen eſſe locos, hoc eſt, aditus, & vias vnius reperiēdæ rei: vt ſi minus vnus perducat nos ad id quod quærimus, altero tamen tertio've tētantibus, aliqua parte procedat.* Hæc Rodolphi verba ſi vera ſunt, quid tandem flagitij admiſit Boethius, qui antecedētia quoq; & conſequentia vnà cum repugnantibus, inter locos inſeruit? An non hæc etiam viam aperiūt facilius inueniendi? Nónne multa ſunt, quæ hac ratione facilius inueſtigari queant, quàm ſi alia via quærantur? Et vt miſſa faciam antecedentia, & conſequentia, certe repugnantia non video cur reijciat Rodolphus, eo duntaxat intellectu, quo eſt hoc nomine vſus Boethius, vbi paulò poſt dilucidius explicabitur.

8 ¶ † *Quod ſi verū eſt, etiam animal antecedēs erit ad hominem.* ] Hoc quàm ſit verum, viderit Rodolphus. Omnes certe confirmant, hominem eſſe antecedens ad animal: nemo contrà, animal ad hominem. Neq; profecto virium quicquam habet, quod aſſertur de omni animali: quando fieri poteſt, vt idem diuerſa ratione acceptum, interim antecedens, interim conſequens eſſe dicatur. Ita homo eſt antecedens animalis: nequit enim homo eſſe, quin & animal ſit. Contrà, omne animal antecedens ad hominem, ſiquidem nullo modo fieri poteſt, vti omne animal ſit, quin ſit etiā homo.

9 ¶ † *Ad hoc, quo pacto diſtinguetur hic locus ab alijs.* ] Reſpondeat (opinor) Boethius, nō ſe ire inficias, quin antecedētia, & conſequentia ſparſa ſint per locos fermè omnes: ſed eſſe quædam, quæ facilius inueſtigari queant, cū his ſignificantur vocabulis: quàm ſi alijs eadem vocibus notarentur. atq; hanc ſibi cauſam fuiſſe, cur diſtinctū iſtis dederit locum: præſertim cum ne Rodolpho quidem diſpliceat, etiam ſi natura rei non cogat, tamen plures eſſe locos, hoc eſt, aditus, & vias vnius reperiendæ rei,

*¶ † Quod ſi aiat, haud video quòd dicetur à ſpecie ductum.[ Inuitus facio, vt in iſta inquiram ſcrupuloſius, ac velut cenſoria quadam virgula, quædam notem in viro hoc, quo neminem ego in hoc duntaxat argumenti genere, maiorem meruiſſe laudem auſim contendere. Sed quemadmodum in ſpecioſis ferè corporibus ſolent animaduerti quædam, quæ nõ diſpliceant ipſa quidem, at minus tamen placeant quàm cætera: ita haud ſcio quo modo in viris etiam quamlibet doctis, quædam tamen notari ſolent, in quibus etſi nõ alijs, tamẽ ſe ipſis inferiores eſſe videantur. Et quid ſi (quemadmodum ait ille) quandoq; bonus dormitat Homerus? Id quod hoc loco, vt ſi vſquam, Rodolpho accidiſſe mihi videtur. Nam quod ait, nõ videre ſe, quodnam argumentũ ducatur à ſpecie, ſi id quod affert, ex antecedentiũ loco ductum dicatur: hoc certe facile refellat Boethius, ſi dicat nõ eſſe abſurdum, argumẽtũ idem ex diuerſis produci locis, quod ne ipſi quidẽ Rodolpho diſplicere paulò ante docuimus. Iam quod addit à Boethio magnæ infelicitatis dãnari antecedentia, quòd exiſtimarit perfectam inde depromi argumentationem non poſſe: hac parte tantũ abeſt, vt ſubſcribam Rodolpho, vt demirer hominem alioqui longe diligentiſſimum hoc loco tam diſſimilẽ ſui eſſe potuiſſe. Certe Boethius in ea planè opinione fuit, vt crediderit ex vtriſq; tam antecedentibus, quàm cõſequẽtibus, pfectã duci argumẽtationẽ. Ex antecedẽtibus hoc mõ. Si peperit. cũ viro cõcubuit: peperit aũt, ergo cum viro concubuit. Ex conſequentibus. Si peperit, cum viro concubuit: non autem concubuit cum viro, quare nec peperit quidem. Hæc exempla ipſe ponit Boethius Topicarum differentiarum libro tertio: è quibus facile perſpectu eſt, ſententiam illius eandem planè eſſe cum ea, quam Rodolphus tribuit Ciceroni. Et, vt ſemel dicam*

quod ſentio, nihil aliud conijcere, cum ex hoc loco, tum ex alijs quibuſdam poſſum, quàm cum hæc ſcriberet Rodolphus, tum Boethij eum libros ad manum nõ habuiſſe: aut certe aliò feſtinanti, non fuiſſe tantum otij, vt illos cõſuleret. quod cum ex ijs quæ dixi, tum verò maxime ex ijs quæ continuo ſubiungam, patere poteſt. Repugnantia quoq; Boethius (inquit) voluit eſſe contraria conſequentium. Quid? vnde iſthæc Rodolphe? Boethius certe repugnantia hunc in modum non finit, ſed ordine contrario: Repugnantia (inquiens) contrariorum ſunt conſequentia. Verbi cauſa. Contraria ſunt, dormire, & vigilare: ſtertere dormientibus adiunctum eſt, quare ſtertere, & vigilare ſunt repugnantia. Rurſus, Prudentia contrarium eſt imprudentiæ: fraudibus, ac impoſturis obnoxium eſſe, imprudentiam ſequitur: quo fit vt id repugnet prudentiæ. Atque hoc intellectu cum ſumitur nomen repugnantium, non video cur diſtinctum, ac peculiarem habere locum ea non poſſint. Sed, vt finiam aliquando, hi ſi ſunt errores dicendi, non tamen id genus errores ſunt, qui inſcitiam arguant: ſed qui ex præcipiti quadam feſtinatione profecti videantur. Quanquam, & aliud quiddam hic mihi venit in mentem, de quo poſtea, capite vigeſimoſeptimo. Illud hic dicam, ſummam à me gratiam initurum, ſi quis ſecus habere iſta oſtenderit, quàm viſum eſt mihi, quando nihil mihi tam cordi eſt, quam vt in omnibus optime ſenſiſſe videatur Rodolphus, cui ego viro tribuo tantum, vt nunquam ipſe mihi credam minus, quàm quoties ab eo me diſſentire res cogit. Repugnantia.

### ¶ De contingentibus, & vario ipſorum vſu.

### CAPVT XXII.

*Contingētia cur dicta.* PRimum accidentium genus, contingentia diximus, quoniam circa rem contingant, id eſt eueniant, ea quidē conditione, vt ſiue iſta non eueniant, res exiſtere: ſiue res non exiſtat, iſta euenire poſſint. Vt pallor ante ægritudiuem. Nā poteſt quis pallere, vt nō ægrotet: & ægrotare, vt nō palluerit. Sic iurgiū ante cædē. Poteſt enim iurgatus quis eſſe, vt nō occiderit: & alius occidiſſe, qui nō ſit iurgatus. † Sic forma ad luxuriā. Nam & formoſus frugi, & deformis poteſt eſſe profuſus. *Scrupus.* ¶ Miretur forte quis, cum videat pallorē, ægritudinem, formā, luxuriam, adiacētia eſſe, & iurgiū, & cædem actus, quare ea iam contingentia faciamus: aut quid hoc loco ſit opus, ſi illo ſatis fuerit hæc explicare. *Solutio.* Non eſt ergo nobis ignorandū, locorum fines, non tam pro rerū varietate, quā ex ſeipſis accipiunt, quàm pro habitudine eorū, quibus applicātur, diſtingui. Sic candor, adiacens eſt niuis, & coloris ſpecies, & cōtingens pulchritudinis. Nec eſt inutile, etiā ſi id natura rei non cogeret, plures tamen eſſe locos, hoc eſt, aditus, & vias vnius inueniendæ rei. vt ſi minus vnus perducat nos ad id quod quærimus, altero tamen tertióve tentantibus, aliqua parte procedat. *Quo differant cōtingentia à connexis.* ¶ Differunt autem à connexis cōtingentia hoc pacto, quòd cōnexa vno ſignificātur nomine, quod cōtinuo, vt prolatum eſt, & eam

eam rem indicat, in qua eſt, & id quod extra ipſam eſt, vnde id oritur nomen. Nam cum diuitem dicis, accipis ſtatim eum qui eſt diues, & diuitias à quibus diues vocatur. ſic contrà, in diuitiarum nomine ilico, & opes ipſas, & eũ qui poſſidet agnoſcis. At in contingentibus, vel potius in omnibus accidentibus, neceſſe eſt, vt duo conferamus, quò eſſe intelligamus ea accidentia. Nam ſi aſtutiam per ſe dicas, adiacens videtur: ſi ſeruum, connexum eſt: ſi coniungas ſeruum aſtutum, contingens eſt. Et cõnexum connexo contingit, vt ſeruus diues. Et adiacens adiacenti, vt aſtutus medicus. Et in ſumma, quemadmodum prædiximus, omnia ea quæcunq; huius ſunt generis, vt alterũ ſine altero poſſit vltro citróque eſſe, & perire.

¶ Non tamen hoc ſic accipi velim, vt omnia quæcunq; ſunt rei contingentia, conferre putem ad inuentionem, aut ad hunc locum credam pertinere. Nec enim excidit nobis id quod prædiximus, non omnia probandis omnibus apta eſſe. Verum illa demum contingentia noſtri ſunt negotij, quæ velut indagine veſtigijsq; quibuſdam ad ipſam rem nos poſſunt perducere. cuiuſmodi ſunt, vel vnius efficientis facta, vel ſubiecti vnius adiacentia, vel quæ in eodem ſunt loco, vel tẽpore, vel quomodolibet aliquid commune inter ſe habent, quo de vno poſſit in aliud fieri tranſitio;

*Quæ cõtingentia huius ſint loci.*

¶ Apud† Quintilianum itaque in Mathemati 3
co, vir fortis, hoc ipſum quod fortiter fecit in
argumentum adfert futuri parricidij, quoniã
vtraq; ait opus eſſe impetus, & furoris cuiuſ-
dã, vt ambo vnius animi poſſint videri.† Te- 4
rentius quoque, Non dubium eſt (inquit) quin
vxorem nolit filius, ita timere Dauum ſenſi.
Nam quid per ſe timor Daui ad nuptias filij,
niſi id eſſet, quòd omnia communi inter ipſos
conſilio agerentur, & eadem omnia vellent,
atque nollẽt.† Huc pertinet etiam, quòd ſole- 5
bant qui accuſabant in foro quàm maxime pre
mere vitam ante actam: quod non eo modo
ſpectat, vt inuidiam reo conflarent, verũ quo-
niam videbatur animum à quo illa fuerant ꝑ-
fecta, nec à præſentis quoque ſceleris abhorre
re fide.† Huius ſunt generis, quæcũq; ſunt mõ 6
ſtra oſtẽtaq; rerum, vt defectus ſolis, lunæq;, &
ſtellæ crinitæ, quæq; alia, vel videri ſolent, vel
audiri. quibus inſigniũ populorũ, vrbiúmve
clades, auguramur. Ita in cæde vultus turba-
tior, implicati animi index, minæ, vitata collo-
quia, ſpreti cõgreſſus. In ægritudine vero, ſpõ
tanea membrorũ laſſitudo, faſtidiũ cibi, inquie
tudo peruigiliarum. quæq; reliqua huiuſcemo
di rem antecedũt. Ex adiũctis collegit.† Aſdru 7
bal apud Varum fluuiũ auctas eſſe copias Ro
manas, qm̃ ſtrigoſiores equos, & coloratiora
videret corpora. † Hãnibal etiam cũ exercitũ 8

admouiſſet vrbi,nondũ fractas eſſe res Roma-
nas,qm̃ ager in quo tum caſtra locauerat pro-
9 ſcriptꝰ ſit,& inuenerit emptorẽ.†Et Quĩtilianꝰ
nõ eſſe cæci, aut ſoliciti ꝑcuſſoris vulnus : qm̃
ſolum vnũ ſit,certioreq́ loco,quam ꝑ cæci,vel
10 trepidatione feſtinãti factum.† Cicero quoq́
Catilinã docet malũ aliquod publicum medi
tari,qm̃ anguſtia rei familiaris prematur. Sic
ex cõſequẽtibus ducitur, ſceleris aliquos agi-
taſſe conſilia , quoniam diducti non conſtite-
rint inter ſe verbis : furtum feciſſe , qm̃ res ſit
inuenta domi ipſius:cædem admiſiſſe, qm̃ fu-
11 gam,vel latebras,vel arma circũſpexerit.† Iã,
& quæ εἰκότα dicuntur,id eſt conſentanea , vel εἰκότα.
veriſimilia,huius ſunt loci,quale eſt,fortẽ eſſe,
quia lato ſit pectore:& quia pauper ſumptuo-
ſe viuat,furari, & ſi qua matrona ſola per viã
noctu pergat , mœchũ expetere. Signa quoq́
nonnulla poſſunt huc referri: vt futuræ poſtri- *Signa.*
die ſerenitatis,veſpertinus occidẽtis rubor: &
ſperatæ ſanitatis , oris exulceratio . Pleraq́ ta-
men,vel ad actus,vt viuũ eſſe,quia ſpiret:vel
ad effecta,vt ignẽ eſſe,quia ſit fumus , referun
tur.Quæ quidẽ ſi magis latiúſve pateãt quàm
ea quibus adhibentur , cõmuni nomine ſigna
vocãtur : vt quòd percuſſus ſit, quia cicatricẽ
habeat. põt enim cicatricẽ vel quia ceciderit,
vel ex vlcere habere , & grauidã eſſe , quia tu-
meſcat vterꝰ,quia vel veneno vel morbo põ-

tumeſcere. Sin vero vel minus pateāt, vt ignē eſſe quia fumus ſit. poteſt enim & ſine fumo ignis eſſe. vel item ex æquo, vt fœtā eſſe quia

τεκμήρια habeat lac, τεκμήρια, id eſt indicia vocantur. †Ea 12
Quintilianus inter argumenta non putat habēda, quia nihil poſt ſe dubii relinquāt. Quod quidem acutiſſimo viro miror potuiſſe in mētem venire. †Ergo ſibi nihil eorum, quib⁹ ma- 13
thematici inuenta ſua colligunt, argumentum eſſet, cum certis & de quibus ambigi nō poſſit rationibus omnia demonſtrent. Cumq́ id agamus argumentando, vt quàm minimū dubitandi relinquam⁹ locū, qui poteſt fieri, vt qui ad liquidū indubitatumq́ rem perduxerit, videatur non eſſe argumentatus? At nos incerta pleraq́ pro manifeſtis argumenta ſumimus, quanto melius igitur res ipſa noſtro conſuluit pudori, vt faciat ipſa per ſe fidē, ne cogatur in locū eius is qui dicit ſuo ſuccedere mendacio.

## SCHOLIA IN CAPVT XXII.

*SIc † forma ad luxuriam.* ] *Id eſt luxum, vitiū oppo-* 1
*ſitum frugalitati: ne vulgi more libidinē intelligas.*
*¶ † Nec enim excidit nobis quod diximus.* ] *Huius* 2
*libri capite ſecundo. ¶ † Quintil. in Mathematico.* ] *Ver-* 3
*ba Quintiliani eo in loco ſic habent: Virum fortē dixit, & parricidam. Vicina ſunt hæc, etiam vt diſsimilia: paria viribus, etiam vt mente diſsentiant. Quid enim me aliud notabilem fecit in bello, quàm quòd non parco cædibus, cruore non ſatior: exultans ſuper ſtratorū corporū ſtrages, palpantibus adhuc cadaueribus alacer inſiſto.*

Et paulò poſt: Crede pater, & parricidium tam facile eſt
4 quàm fortiter facere, cũ vtrunq; de fato eſt. ¶ †Terẽtius
5 quoq;.] In Andria. ¶ †Huc pertinet etiã quod ſolebant
qui accuſabant in foro.] Hunc morẽ accuſatoribus fuiſ-
ſe facile oſtendunt actiones Ciceronis in Verrẽ. Et quod
idem author pro Cælio, plus operæ ſumit in diluendis an-
teactæ vitæ criminibus, quæ in iudicium non veniebant:
6 quàm in eo, cuius gratia erat conſtituta quæſtio. ¶ †Hu
ius ſunt generis, quæcunq; ſunt mõſtra oſtentaq́; rerũ.]
Ex his Cicero argumenta ducit in Catilinã, inuectiua ter
7 tia. ¶ †Aſdrubal apud Varũ fluuiũ.] Secundi belli Pu-
nici anno duodecimo, Aſdrubal frater Hannibalis cũ in-
genti exercitu in Italiam venit: qui cum ſe fratri in Vm-
bria occurſurum literis illi ſignificaret, easq́; literas inter-
cepiſſent Romani, priuſquam ad Hannibalẽ perlatæ fuiſ-
ſent: Claudius Nero Conſul, non cunctandũ ratus tẽpo-
re tali, neq; expectandũ decretum ſenatus, cũ ſex millibus
peditum & mille equitibus noctu caſtra egreſſus, M. Li-
uio collegæ ſeſe coniunxit, vt nihil tale ſuſpicantem am-
bo iunctis viribus aggrederẽtur Aſdrubalem. Horũ ergo
coniunctionem ſubodoratus eſt Aſdrubal ex ijs ſignis,
quorum mentionẽ facit Rodolphus. Qua de re ita Liuius
eius belli libro ſeptimo: Moram (inquit) pugnæ attulit,
quòd Aſdrubal prouectus ante ſigna cum paucis equiti-
bus, ſcuta vetera hoſtium notauit, quæ antè non viderat,
& ſtrigoſiores equos: multitudo quoq; maior ſolito viſa
eſt. Suſpicatus id quod erat, receptui propere cecinit: ac
miſit ad flumen, vnde aquabantur, vbi & excipi aliqui
poſſent, & notari oculis, ſi qui forte aduſtioris coloris, vt
8 ex recenti via, eſſent &c. ¶ †Hannibal etiam cum exer-
citum admouiſſet vrbi.] Hac de re hunc in modum Li-
uius, ſecundi belli Punici libro ſexto: Minuere (inquit)

*etiam ſpem eius & aliæ paruæ magnæq; res : magna illa,*
*quòd cum ipſe ad mœnia vrbis Romæ armatus ſederet,*
*milites ſub vexillis in ſupplementũ Hiſpaniæ profectos*
*audiuit:parua autem,quòd per eos dies cũ fortè agrum*
*in quo ipſe haberet caſtra,veniſſe, nihil ob id diminuto*
*precio, cognitum ex quodã captiuo eſt.* ¶ †Et Quintilia- 9
*nus,non eſſe cæci aut ſoliciti percuſſoris vulnus.* ] Lo-
*cus eſt in declamatione ea,cui titulus eſt*, Paries palma-
*tus.* ¶ †Cicero quoq; Catilinam. ] Cicero prima oratio- 10
*ne in Catilinam meminit quidem nonnihil de difficulta-*
*te eius domeſtica: & in ſecunda enumerans genera ho-*
*minum eorum,ex quibus Catilinæ conſtabat exercitus,*
*omnes fermè illos egeſtate rei familiaris laboraſſe oſten*
*dit.Nuſquam tamen ( quod ſciam equidẽ ) anguſtiã rei*
*familiaris in argumentum aſſumit, vt oſtẽdat publicum*
*aliquod malum illum meditari.* ¶ †Iam & quæ εἰκότα di 11
εἰκότα cũtur.] Cic.in Partit.τὰ εἰκότα *veriſimilia vocat*,τὸ τεκμή- 12
τεκμήρια ριον,*propriã rei notã.* ¶ †Ea Quintil.inter argumenta. ]
*Quintilianus libro quinto,non tantum ſigna neceſſaria,*
*ſed & ea quæ neceſſaria non ſunt,eſſe argumẽta negat.*
*ſed argumentis ſanè inualidis,nã quòd ait,vbi ſint ſigna*
*indubitata, ibi quæſtionem non eſſe, id ego iudico non*
*vſquequaq; eſſe verũ tametſi enim, poſteaq̃ ipſa cognita*
*fuerint,nihil poſt ſe dubitationis relinquãt : tamen quã-*
*diu iudex nondũ de eis eſt factus certior,vtiq; quæſtio ac*
*controuerſia eſſe poteſt.Quod autẽ ſubdit,ne dubia qui-*
*dem ſigna argumenta eſſe,propterea quòd ipſa argumẽ-*
*tis indigeant,id quoque quàm ſit inualidum liquere vel*
*hinc poteſt,quòd ex pleriſq; argumẽtorũ locis eiuſmodi*
*quædã adduci ſolẽt,quæ parũ habitura ſint viriũ niſi aliũ-*
*de corroborẽtur.* ¶ †Ergo ſibi nihil eorũ. ] Rurſum ſibi 13
*dixit,vbi alius ( haud ſcio an rectius ) ei aut ipſi dixiſſet,*

*¶ Cur nomen rei (Alij interpretationem nominis vocant) retulerit inter locos externos. & de triplici eius vſu.*

## CAP. XXIII.

*Nomen rei, aliàs notatio ſiue interpretatio nominis.*

NOmen quoque rei, recte mihi inter accidentia conferri videtur. Nec enim eſt aliud nomen, quàm vox ad rem ſignificandam conſenſu hominum inſtituta, quod ſi quid aliud, vel maxime accidentium naturam habere manifeſtũ eſt. Nam & rei antequam fit, & poſtquã facta eſt nomen eſt, & aliud quoque nonnunquam
1 eiuſdem rei nomẽ eſt: vt † Romulus poſt mor-
2 tem dictus eſt Quirinus: † & apud poetas, Hippolytus, poſtquam redditus à Pallade eſt vi-
3 tæ, Virbius. † Cicero quidem ab etymologia, hoc eſt (vt ipſe dixit) verbum è verbo, à veriloquio: vt aptius & mollius putauit, à notatione: vt vulgo dicimus, ab interpretatione nominis: ſeparatum locum deſcripſit: Quod fieri poſſe non abnuo, & nonnunquam argumenta inde duci apertius eſt, quàm vt oſtenden-
4 dum ſit. † Vnde & multa in nomen Verris
5 cauillatus eſt, † & in Chryſogonum pro Sex. Roſcio. Et facete dictorum crebra ſumitur
6 occaſio, vt † Auguſtus de eo qui locum paternæ ſepulturæ arabat, hoc (inquit) eſt
7 patrem colere. † Et qui filios ex ancilla ſuſcipiebat, dictus eſt verus familiæ pater. Quòd

autem locum nomini inter ea quæ ſunt in ſub-
ſtantia fecerint, non video quam rationem ſint
ſecuti, cum rerum apud omnes gentes eadē ſit
ſubſtātia, nomina diuerſa. Quinetiam & apud
eoſdem populos, idem nomen, perſępe aliud
apud maiores, aliud apud poſteritatem ſignifi
cet, nemo neſcit. Ad hæc vt quædam interpre
tationes conueniāt, vt toga à tegendo, & dux
quia ducat, & quia regat rex: ita pleræq; aut
in aliquo non conueniunt, aut diſcrepāt omni
no. Prætoriū à prætore dici manifeſtum eſt. ta-
men & in caſtris vbi conſul tendebat, & in ci-
uitatibus item vbi ius reddebat, dicebatur
prætorium. Sic codicis & libri nomina ſi red-
dantur originibus ſuis, neutrū hodie cōgruet
ei quod ſignificat: quorū alterum à caudici-
bus, hoc eſt tabulis ductum eſt: alterum arbo-
ris ſignificat corticē: ꝙ his primum materiis ru
dis vetuſtas ad inſcribendas literas vteretur.
Quamobrem cum ex his liquere videatur, ne-
quaquā nomen inter ea quæ ſunt in ſubſtantia
numerari poſſe, non inueni quē ſibi locum pu-
tarem verius magisq́; ē natura ſua conueni-
re. ¶ Vſus eius non ſimplex eſt, † Quandoq; 8
enim ex ipſa vi aut interpretatione nominis.
Vt qui dicat, animam conſtare ex aëre, quem
inſpirādo haurimus: †quoniam anima, quòd 9
ventum ſignificat, ſit vocata. Sic pecuniam in
inſtrumento domeſtico eſſe, quia ipſa inſtrua-

10 tur domus.¶ Alius eſt vſus, cum ducimus† ex
homonymia, ideſt agnomtnatiõe, vel (vt vul-
go loquimur) ex æquiuocatione argumẽtum.
11 V t† expetendas eſſe humanitatis artes, quia
nihil tam propriũ ſit hominis, quàm ipſa hu-
12 manitas. Et peſſime facere qui† plebem cõtra
patres concitẽt, quoniam nullum in terris no-
men venerandum magts ſit quàm patrum.
13 †Et Iſocrates in Helenes laude, pulchritudinẽ
inquit admirandam maxime laudandamq́;
eſſe: eiuſq́; inter reliqua ſignum facit, q́p virtu-
tem maxime probamus, quoniam pulcherri-
ma rerum ſit omnium. Facile eſt perſpectu,
quomodo humanitatis, & patrum, & pulchri-
tudinis nomen in diuerſas ſecatur ſignificatio
nes. Quod ſi occultius fiat, aut rebus in idem
tendentibus, captioſa fit argumentatio. Sin
14 apertius, in ridiculum perſæpe euadit. V t† cer
tam eſſe progeniem Aeneæ Neronem, quo-
niam patrem Aeneas ſuſtulerit, Nero matrẽ.
Sic & in eis quæ paulò antè diximus, in qui-
bus colendi & familiæ nominum ambiguitas
(quemadmodum hic quod ſuſtuliſſe dicitur)
cauſam ridiculo præbent. ¶ Alius præterea eſt
huius loci vſus, cũ trãſlato noĩe, deinde duci-
mus ex re, nõ quã hoc in loco, ſed quã ꝓprie ſi
15 gnificat, argumẽtũ. Quale eſt† apud Ouidiũ:
Quis enim celauerit ignẽ, Lumine qui ſemper
ꝓditur ipſe ſuo? Ignẽ ꝓ amore poſuit: deinde

ex lumine argumentatur, tanquam de vero
igne loqueretur. Sic † apud Terentium Phor- 16
mio: Hiſce ego dictis illam tibi tam incenſam
dabo, vt ne extinguas lachrymis, ſi totus exti[l]
laueris. incenſam pro irata dixit, deinde reli-
qua ſubiecit: velut vere ardentẽ crederet. Er-
go propter eas quas dixi cauſas, nomen ab eis
quæ in ſubſtantia ſunt remoui, protuliq́; iudi-
cium meum, quorum diuerſa ſi quis putabit
accedere propius vero, nihil obſtabit, quo mi-
nus non me, ſed quæ credat optima, ſequatur.

## SCHOLIA IN CAP. XXIII.

*ROmulus † poſt mortem dictus eſt Quirinus.* ] *Ser* 1
*uius grammaticus Romulum ait dictũ eſſe Qui-*
*rinum, quòd haſta vti ſoleret, quæ Sabinorũ lin-*
*gua curis diceretur: vel quia Græci* κοιρανὸν *regẽ vocẽt.*
*Plutarchus in vita Romuli alias quoq; cauſas quaſdam*
*nominis huius affert. Sed longum ſit referre hic omnia.*
*Legere qui volet, ei oſtenſus eſt locus.* ¶ † *Et apud poetas* 2
*Hippolytus.* ] *Hunc ab equis diſcerptum Diana Æſcu-*
*lapij opera in vitam reſtituit, ac deinde Virbium quaſi bis*
*virum iußit vocari. Author Seruius ſuper illud ſeptimi*
*Æneidos. Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello*
*Virbius &c.* ¶ † *Cicero quidem ab etymologia.* ] *Locus* 3
*eſt apud Ciceronem in Topicis.* ¶ † *Vnde & multa in no* 4
*men Verris.* ] *Quem interim Verrẽ dici ait, quòd omnia*
*verrat: interim malum ſacerdotem vocari à Siculis, qui*
*tam nequam ſibi Verrem reliquiſſet.* ¶ † *Et in Chryſogo* 5
*num pro Sex. Roſcio.* ] *Verba Ciceronis in ea oratione*

hæc ſunt: Venio nunc ad illud nomen aureū Chryſogoni,
6 ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur. &c. ¶ † Auguſtus de eo qui locum paternæ ſepulturæ arabat. ] Hunc Vectium quendam fuiſſe author eſt Macrobius libro Saturnaliorum ſecundo, cap. de iocis ac reſponſis Auguſti
7 Cæſaris. ¶ † Et qui filios ex ancilla ſuſcipiebat. ] Hic quiſnam fuerit, hauddum legiſſe memini. Iocus eſt in nomine patris, etiamſi Rodolphus, non in patris ſed in fa-
8 miliæ nomine cauſam ridiculi ineſſe exiſtimat. ¶ † Quandoque enim ex ipſa vi nominis. ] Sic Cicero in Antoniū, ex nomine ipſo tumultus oſtendit tumultū ſine bello eſſe
9 non poſſe. ¶ † Quoniam anima quòd ventū ſignificat ſit vocata. ] Virgilius in octauo: Quātum ignes animæq; valent. Et Horatius: Impellunt animæ lintea Thraceæ. Dixit & Plautus: Ne quid emittas animæ. id eſt ne flatū ventris. Porrò Diogenes fuit, authore Ariſtotele, qui cenſe-
10 ret animam eſſe aërem. ¶ † Ex homonymia. ] Ariſtoteles Homonyma.
in categoriis, ὁμώνυμα, φησί, λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, id eſt Homonyma dicuntur, quorum ſolum nomen commune eſt, ratio autem eſſentiæ quæ ſecundum id nomen datur, diuerſa. eſt ergo (vt apertius dicam) homonymia, quoties vno nomine res diuerſas ſignificamus, vt taurus, gallus, aquila.
11 ¶ † Expetendas eſſe humanitatis artes. ] Hæ ſunt illæ Humanitas.
ipſæ, quas ingenuas liberaleſq; vocamus: Nam humanitas, interim φιλανθρωπίαν, interim eam quàm παιδείαν Græci vocant, id eſt eruditionem ac liberales diſciplinas ſignificat. Lege Gellium libro tertio cap. 16.
12 ¶ † Plebem contra patres. ] Patres qui fuerint apud Romanos explicat T. Liuius libro ab vrbe condita primo.
13 ¶ † Et Iſocrates i Helenes laude. ] Extat hodieq; hæc oratio Iſocratis de laudibus Helenæ. Fecit eā Latinā Ioānes

*Petrus Lucenſis.* ¶ † *Certam eſſe progeniem Æneæ Ne- 14
ronem.* ] *Suetonius author eſt, poſteaq̃ iuſſu Neronis occiſa eſſet Agrippina ipſius mater, tum hos in illum verſus euulgatos fuiſſe. Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronẽ? Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrẽ. Æneas patrem Anchiſen ſuſtulit, cum impoſitũ humeris ex incenſa iam vrbe exportauit. Nero autem ſuſtulit matrem,
cum occidendi eius mandatum Aniceto dedit.* ¶ † *Apud* 15
*Ouidium.* ] *In epiſtola Paridis ad Helenen.* ¶ † *Apud* 19
*Terentium.* ] *In Phormione, vbi minatur Phormio, ſe Nauſiſtratam vxorem Chremetis ita incenſurum ira, vt à marito ne lachrymis quidẽ ac fletu ea ira reſtigui poßit.*

¶ *De pronunciatis, ſeu teſtimonijs, ſiue authoritate.*

## CAPVT XXIIII.

*Inartificiales ſiue argumẽtationes ſint, quæ ab authoritate ſeu teſtimonijs dicũtur.*

Locum, qui ſumitur ex iis, quæ quiſquam de re ꝓpoſita vel dixit, vel (quod perinde eſt) ſenſit, eũ quidam à iudicio, nonnulli ab authoritate, Cicero teſtimonia vocauit, † Ariſtoteles 1
& itidem quandoque Cicero & Quintilianus ꝓbationes inartificiales dixerũt. Nos (ſi quicquam nobis poſt tantos viros licet) pronũciata appellare maluimus, quoniã reliqua nomina adductiora erant: & ab arte (quatenus ad noſtrum vtique inſtitutum pertinet) non credidimus ſemouenda. Pronunciata autem dicimus, quæ quiſquam vlla de re, vt affirmaret vel negaret, eſt elocutus. Ea quidẽ (vt modo diximus) Ariſtoteles, quiq; ipſum ſecuti ſunt Cicero & Quintilianus, remota dixerunt ab

arte, exemeruntq́; numero locorum. Quapropter ne cui negligentius videamus vel imperitius feciſſe, qui coniiciamus illa in hunc locũ, facti noſtri paucis reddenda nobis eſt ratio.

2 †Si quis igitur teſtimonia, id eſt quæcunq; aliquis ea de re de qua diſſerimus dixit, ſic accipiat, vt ĩter diſſerẽdũ tractãtur à nobis, fideiq́; parandæ ſunt inſtrumentũ: non video, quî minus iſta contineantur arte, quàm reliqua cuncta, quæ vel effecta ſunt rerũ, vel contingẽtia, è quibus argumenta ſumuntur. Cumq́; ea & quæri à dicentibus, & inueniri videamus, & alius alio melius & cõmodius eis vtatur: conſtanter ipſa & artis, & huius eſſe loci, cõtenderim. Ariſtotelem vero, quiq́; alii authores iſta tradidere, credo equidẽ ſenſiſſe arte carere teſtimonia, non quatenus à diſſerente confirmãdis adferuntur rebus: ſed vt ab eis ipſis quorũ ſunt teſtimonia, præſentem in rem dicũtur. Foro nanq; & ciuilibus attribuerũt ea certaminibus. Et teſtis ſane oratio, inquantum probatur ab ipſo res, nihil ad diſſerentis rationem pertinet: nec iam vt inueniendi argumẽti locus poteſt accipi, cũ non dicentis arte, non argumentatione, ſed etiã eo qui dixit tacente, hæc peragatur probatio. Sic tormenta, chirographa: ſic leges, ſic plebiſcita, quæ ad rem pertinent, non oratoris expectant vocem, ſed ipſi ſibi iudices oculis auribusq́; faciunt fidem. Non magis

ſunt itaque diſſerendi artis iſta, quàm ſi quis cũ multa ſe pro republica pertuliſſe dicat, idq́ probare velit, diducta veſte, ſilens demonſtraret in aduerſo pectore cicatrices, & conſpiciendum concionis oculis, id quod erat animis probaturus, oſtendat. Quando vero in orationem ſibi aſſumit iſta qui dicit, tum artis eſſe, declarat eorum, qui vel in ſcholis eruditionem tradunt, vel in publico de ciuilibus negotijs diſputant, labor, quem ſumunt, quo vel confutent eos qui diuerſa dixerunt, vel eorum qui ſecum ſenſere verba confirment. Quinetiam tradita ſunt ab authoribus præcepta teſtium interrogandorũ: & aſtruendæ teſtimonijs infirmandæq́ fidei, prout res popoſcerit, ratio mõſtrata. & teſtium quoque editæ ſeorſum interrogationes, & confutationes ipſorum, & aſſeuerationes perpetuarum orationum monumẽtis comprehenſæ. Quì poteſt ergo fieri, quod arte ſit traditum quòd præſcripto tractetur artis, vt id eſſe poſſit ab arte ſemotum? †Niſi ſine arte credimus dixiſſe Lucanũ: Quis iuſtius induat arma Scire nephas, magno ſe iudice quiſque tuetur. Victrix cauſa deis placuit, ſed victa Catoni. cum diuinum & humanum teſtimonium pariter ſit vna oratione complexus. Ad artẽ pertinent igitur (vt ſemel finiam) teſtimonia, quoties ex ipſis à dicẽte, nõ per ipſa fit à te 3

Pronũtia ſte ꝓbatio. ¶ †Sunt ergo pronũciata omnia, aut 4

diuina,aut humana. Diuina ſunt, quæcũq; dei *torũdiuer*
vel numinis voce perferũtur. vt quæ per quic *ſitas.*
tem,quæq; locis ſacris,aut viris flagrantiore di
uinorum amore afflatis, aut poſtremorũ etiã
ſcelerum nonnunquam obnoxijs territaméta
ſolent reddi,quæq; itẽ diuinarum rerũ miniſtri
ſacerdotes vatesq;, velut interpretes & cæle-
ſtiũ arcanorũ conſcij,prædicãt. Humana ſunt,
quorum prima eſt à nobis origo. Quæ vel in
ſcriptis ſunt poſita, vt chirographa, inſtrumẽ-
5 ta,epiſtolæ,libri. †vel in oratione: eaq; vel libe
ra, vt laudationes, res iudicatæ, dicta teſtiũ, pa
cta, cõuẽta:& doctorũ, clarorum, magnorum
virorũ ſententiæ,& rumor famaq; populi, vel
in oratione expreſſa:aut religiõe, vt iurata:aut
tormẽtis, vt quæſita.¶ Videtur hic locus ſimili *Obiectio.*
tudinẽ quandã habere illorũ, quæ ſuperius vo
cauimus cõnexa:quoniam ab oratione res vel
dicta vel pronunciata dici poteſt: eſtq; extra
rem oratio. Verum hoc intereſt, quòd(quẽad-
modum cum de cõnexis loqueremur dixim⁹) *Dilutio.*
neceſſe eſt,cõnexa ſi tueri nomẽ ſuum debeãt,
ſimul vtraq; eſſe:quod in pronunciatis nõ eue
nit. nam & dicimus de re aliqua, quando non
eſt ipſa: dicimus etiã veluti de re, quæ tamen
ipſa non modo non eſt,ſed ne fuit quidem vn
quã, nec vnquam eſt futura. Quo facile perſpi
citur,& poſſe rem ſine oratione, & orationẽ ſi-
ne re eſſe,& pronunciata recte inter accidentia

*Ducit p̄nūciata p̄ tres illos gradus, quorū mētionē fecit cap.21.*

*Notatio.*

numerari. Itaq; ſunt etiam & antecedentia pro
nunciata, vt prædictiones vatum, famæ expe-
ctatio. Et conſequentia, vt rumor opinioq; de
rebus ad poſteritatem diffuſa. Et adiuncta, vt
laus vituperatioq; extantium, & iacta in omnē
partē de præſentibꝰ verba. ¶ Poſſunt ēt inter p̄-
nūciata numerari q̄dā, quæ nō in oratiōe, ſed
in re ſunt poſita, qua qd dicere quis velit ſigni
ficat. †Vt qui interrogatꝰ, qualis eſſet hoīm vi 6
ta, cum parumper ſe oſtendiſſet, abſcondit:
quod ſolum in eius locum fecit, quo volebat
breuem eſſe ipſam pronunciare. †Et Tarqui- 7
nius Superbus, cum eminentiora papauerum
capita decuteret, non dixit quidem, ſed ſigno
quocunq; potuit pronunciauit, primores Ga-
biorum à Sexto filio auferri debere. Nobilitas
quoq; huius loci eſſe poterit, quandoquidem
non aliud eſſe videtur, quàm vel maior vir-
tus, vel opes, vel res geſtæ, fama hominum ce-
lebrata. †Diuerbia etiam, Ne quid nimis, Mo- 8
dus optimus, Tempori ſeruiēdum: quæq; alia
huius generis publico hominum iudicio firma
ta ſunt, & locū habent teſtimoniorum, non in-
iuria quis numerauerit in pronunciatis.

SCHOLIA IN CAPVT XXIIII.

*ARiſtoteles, †& itidē quandoq; Cicero, & Quin-* 1
*tilianus, probationes inartificiales dixerūt.*] *Lo-*
*cus Ariſtotelis eſt primo libro rhetoricorum, Cice*
*ronis in Topicis, Quintiliani inſtitutionū libro quinto.*

Porrò

Porrò non ſine cauſa ait, & itidem quandoq; Cicero. Is enim etſi in Topicis hunc locum eſſe ait expertem artis, tamen ſecundo libro rhetoricorum diuerſam eſt ſecutus ſententiam.quo in loco ſic habet: Accedunt autem ad cõiecturam ſæpe quæſtiones,teſtimonia,rumores: quæ contra omnia vterq; ſimili via præceptorum torquere ad ſuæ cauſæ commodum debebit. Nam & ex quæſtione ſuſpiciones,& ex teſtimonio & rumore aliquo, pari ratione, vt ex cauſa,aut ex perſona, & ex facto duci oportebat. Quare nobis & ij videntur errare, qui hoc genus ſuſpicionum artificij non putant indigere: & ij qui aliter hoc de genere,ac de omni coniectura præcipiendum putant.

2 ¶ †*Si quis igitur teſtimonia.*] Hoc dicit, teſtimonia ſiue pronunciata bifariã cõſiderari poſſe: primum, quatenus ab illis ipſis,quorum ſunt,in rem præſentem dicuntur:hactenus ea arte carere. Deinde, quatenus orator ea aliũde ſumpta,ſuo accõmodat propoſito: qua ratione vtiq; & iſta ſub artem cadere. Id quod & Quintilianum ſenſiſſe verba eius planè oſtendunt. Libro enim quinto,capite de exemplis,ſic habet: Nõnunquam cõtingit iudicis quoq;, aut aduerſarij,aut eius qui ex diuerſo agit,dictũ aliquod aut factum aſſumere, ad eorum quæ intendimus fidem. Propter quod fuerunt,qui exempla & has authoritates, probationum inartificialium eſſe arbitrarentur, quòd ea nõ inueniret orator,ſed acciperet. Plurimum autẽ refert. Nam teſtis,& quæſtio,& his ſimilia,de ipſa re,quæ in iudicio eſt,pronunciant. Extra petita, niſi ad aliquã præſentis diſceptationis vtilitatẽ ingenio applicantur, nihil
3 per ſe valẽt. ¶ †*Niſi ſine arte credimus dixiſſe Lucanũ: Quis iuſtius induat arma.*] Difficile iudicatu eſt (inquit Lucanus primo Pharſaliæ libro ) vter iuſtius ad gerendum ciuile bellũ arma induerit, Cæſar'ne an Pompeius:

cum magno vterq; iudice cauſam ſuam tueatur. Cæſaris enim cauſam niſi probaſſent dij ipſi, nunquam illorũ benignitate viciſſet. Contrà Pompeius, non modo approbatorem, ſed adiutorem etiã habuit cauſæ ſuæ Catonẽ. Vti cenſem, hominẽ tam integrũ prudentemq;, vt haud ſcias, huic ne an dijs ipſis credendum ſit. Simile quiddã apud Ciceronem eſt pro Q. Ligario: Principum (inquit) dignitas erat penè par, non par fortaſſe eorum qui ſequebãtur. cauſa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraq; parte, quod probari poſſet. nunc melior certe ea iudicãda eſt, quã etiã dij adiuuerũt. ¶ † Sunt ergo pronũciata omnia, 4
aut diuina, aut humana.] Vide Ciceronem in partitionibus, atq; item in Topicis, & quæ Fabius Quintilianus habet de authoritate, libro quinto. ¶ † Vel in oratione, eaq; 5
vel libera.] Liberam orationem hic eam intelligit, quæ libere, ac citra coactionem omnem profertur. Expreſſam, ad quam vi, atq; coactione quadam cõpellimur. Fitq; hæc expreßio duobus modis, religione, & tormentis. Religione, cum quis iureiurando ad dicendam veritatem adigitur. Tormentis, quoties dolore, ac cruciatu veritas exprimitur. Iuratam deniq; orationem vocat, quæ à iurato dicitur. Quæſitam, quæ per quæſtiones, ac tormẽta, elicitur. De quibus omnibus multa Fabius Quintilianus libro quinto circa principium, ¶ † Vt qui interrogatus, qualis 6
eſſet hominũ vita.] Multa apud authores paßim leguntur de fragilitate vitæ humanæ, dum alij bullam, alij fumi vmbram, alij ſomnium quoddã vmbræ eſſe hominem dicunt, alij arborum folijs, ac frondibus, comparant. Elegans ea de re præfatio eſt apud Plinium in librum ſeptimũ. Quis fuerit autẽ qui hoc modo, quem innuit Rodolphus, breuitatẽ vitæ noſtræ ſignificare voluerit, in præſentia mihi non ſuccurrit. ¶ † Et Tarquinius. Superbus.] 7

*Hiſtoria eſt apud T. Liuium, libro primo, ab vrbe cõdita.*
8 ¶ †*Diuerbia etiam.*] *Quæ & prouerbia, & adagia, & paræmias dicimus. Sed de his locupletiſsime Eraſmus.*

*¶ Quæ comparationis vtilitas, & quomodo ea ab exemplo, & ſimilitudine differat. Tum, quo ſenſu id ſit accipiendũ, quòd comparatio duo ſemper in vno tertio coniungat.* CAP. XXV.

COmparatio frequẽs eſt, & magno *Compa-*
vſui rhetoribus locus. Paratus eñ *rationis*
ferè, & ad manũ eſt. Et quoniã ex *vtilitas.*
iis ſumitur, quæ nõ alte ſunt eruenda, ſed propemodũ nota ſunt, atq; conſpicua: etiã expeditã proinde vim habet ad rudiores animos permouendos. ¶ In nomine vero non vſquequaq; cõſentit vſus. Nãq; apud poëtas cõparationem vocãt grãmatici, quã nos ſimi-
1 litudinẽ dicimus: quale eſt. †At veluti magno in populo cũ ſæpe coorta eſt Seditio: & quę ſequũtur. notus eſt enim apud Virgilium locus. At quã cõparationem nos, illi plerũq; exẽplũ dicũt: quo nomine vtitur & Ariſtoteles. Et eſt
ſane exemplũ inter cõparata, ſed nõ omnibus *Sp. Me-*
2 cõparatis conueniet hoc nomen. † Quãuis eñ *lium Q.*
illud apud Ciceronem: An vero vir ampliſſi- *Seruilius*
3 mus, P. Scipio Pontifex Maximus. †Sp. Meliũ *Hala occi-*
mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ *dit. At*
priuatus interfecit, L. vero Catilinã, orbẽ ter- *Scipio Ty-*
rarum cæde, & incendiis vaſtare cupientem, *berium*
nos COSS. perferemus? quamuis enim illud *Gracchũ*
*quare*

*Rodolphū memoria lapſum apparet.*

inquam exemplum ſit: non tamen iſtud quod ſubiiciemus dici poterit exemplū: † Ego te cō- 4
ſulem putem, cū tu me non putes conſularem?
† Et apud Quintilianum in milite Mariano: 5
Tu ſi tribunus eſſes, hoc feciſſes? Si miles, hoc tuliſſes? comparationē fieri certum eſt: probare enim vult, quia aduerſari⁹, nec ſi tribunus fuiſſet, hoc conari: nec ſi miles, hoc perpeti voluiſſet: ergo nec illum tribunum qui occiſus eſt, id debuiſſe tentare: nec militem qui occidit, perpeti. exemplum vero iſtud eſſe nemo dixerit.
† Nam illud multo apertius apud Virgilium. 6

Captiq́; dolis, lachrymisq́; coacti,
Quos neq; Tytides, nec Lariſſeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Indignitas rei comparatione, non exemplo colligitur. Hoc enim vult efficere poeta, indigniſſimum fuiſſe, † capi vnius fraude, & artib⁹ 7
eos, quos nullæ vires ſuperare potuerāt. ¶ Explicemus ergo quid differant comparatio, & exemplum. quomodo itē à cōparatione ſimilitudo diſcernatur. Comparationē vocamus, cū duo, aut plura in tertio aliquo cōferuntur, quod commune ſit eis. Vt Catoni licuit ſequi bellū ciuile, ergo Ciceroni licebit ſequi. Cōmune eſt hic ambobus, ſequi bellū ciuile. † Exem- 8
plum eſt ſpecies quædā cōparationis. Eſt em̄ vel aliquid maius, vel par, vel minus, quod ad imitandū vitandúm ve ſumitur. Eſtq́; ca

*Cōparatio quo diſtet ab exēplo, & ſimilitudine.*

*Exēplū.*

9 non ſolum huius loci,†ſed etiam à ſpecie duci-
tur:vt apud Lucanum:Omniſq; poteſtas Im-
patiens cōſortis erit.Subiicit, Nec lōge facto-
rum exēpla petantur,Fraterno primi madue-
runt ſanguine muri. Romulus enim, & Re-
mus,primi Romæ reges,oſtendunt non poſſe
10 regnum in conſortium mitti.† Et à coniugatis *Similia.*
etiam prædiximus duci.Similia ſunt, quando
iunguntur aliqua,nō in tertiò quod ſit ambo-
bus commune,quemadmodū fit in compara-
tione:ſed vtrunq; in ſingulis, quorū quemad-
modum hoc in iſto, ſic illud ſe habeat in illo.
11 †Vt ſi dicas,quemadmodum vaſcula oris an
guſti ſuperfuſam humoris reſpuunt copiā,ſen
ſim autem inſtillantibus, replentur: ſic tenera
puerorū ingenia,grandia non percipiunt, mo
dica,& viribus ſuis apta cōmodius addiſcūt.
Hinc vaſcula oris arcti,& minora puerorum
ingenia conferuntur,non in vno aliquo:ſed il
la,in eo quod eſt,non admittere ea quæ impe-
tu ſuperfunduntur:hæc,in eo, quòd difficilio-
ra ſubito nequeunt amplecti.¶ Cum dixerim *Cōpara-*
autem comparationē in vno fieri,quod ſit cō- *tio quo-*
paratis commune: nolo quenquam id fallat, *modo plu*
quòd nonnunquam eis quæ cōparantur, ſua *ra in vno*
2 ſingulis tribuuntur propria: † Vt ſi Didonem *cōiūgat.*
decet habitare Africam,decebit & Aeneā pe-
tere Italiam.Quanquam autē nō in vno pro-
ximo conferuntur iſta,non tamen argumētan-

di vis in ſingulis eſt poſita, ſed in communi quod iſta coniungit. Neque enim hoc nititur Aeneas, quod vel Dido in Africa habitet, vel ipſe Italiam petat, ſed eo quod ſubiicitur apud poetam: Et nos fas extera quærere regna: vt ſit argumentationis huius iſte velut neruus, Didonem decuit peregrina regna quærere, ergo Aeneā itidē decebit. † Sic etiā Iuno: Pallás ne 15 exurere claſſem Argiuûm potuit. & quę ſequūtur. deinde ſubiecit: Aſt ego vna cū gente tot annos Bella gero: cōmune ambobus quo Iuno nititur, eſt vlciſci inimicos: vt ſi Pallas potuit vlciſci inimicos ſuos, & Iuno poterit. Cauſa vero propter quam ſic diducuntur iſta potius, quàm cōmune in vtriſq; ponatur, non eſt negligenda nobis, quanquam in nonnullis ad eloquēdi magis, quàm inueniendi rationem pertineat: in pleriſque tamen præcipua eſt, & acris in iſtis inuentio. Primū, quòd latius & minus dialecticæ, hoc eſt perplexe ſpinoſeq; dicuntur iſta: & latitudine, atq; diuerſitate decorem quendā accipiunt. quod ſolū ferè ſectatꝰ videtur Virgilius in exēplo, quod priore poſuimus loco. Deinde, ꝙ ea quæ poterant alioqui paria fortaſſe videri, explicatione quid in ſingulis interſit, ingens plerunq; in alterā partem capiunt incrementū. Vt in ſecundo exemplo, cum poſuiſſet primū Pallada, nihil adiecit Iuno, quo minorē illā monſtraret, quaſi turpe

putaret, quærere maiorem ſe alterius deæ conuicio fieri. At cũ ad perſonã ſuã veniſſet, nõ ſolũ oppoſuit ſe Palladi, vt diceret: Aſt ego, ſed adiecit, quæ diuûm incedo regina. Nec id ſatis putauit: addidit etiã, Iouis ſoror & cõiunx, vt vel ex hac magnitudine ſua admoneret, minoris numinis, & velut priuatã deã eſſe Pallada. Poſtea ſubiecit: Pallada exurere potuiſſe, hoc eſt funditus euertere claſſem Argiuorũ, qđ́ꝗ plus ſit, id vnius ſolũ Aiacis iniuria permotã feciſſe, deq́ꝫ ipſo grauiſſimas ſumpſiſſe pœnas: ſe vero non vnũ odiſſe, ſed gentẽ. neq́ꝫ tamen euertere potuiſſe, aut pœnas ſumere: ſed etiam bellũ cũ contumacibꝰ gerere, & quidẽ tot annos. Sic in exẽplo Ciceronis quod diximus, cũ ſimpliciter diceretur, P. Scipio recte ſeditioſũ ciuẽ interfecit, ergo nos recte interficiemus: paria propemodũ hoc pacto fiebãt. Diduxit ergo, & ſingula ſuo apparatu inſtruxit.

14 † P. ergo Scipio cũ Spuriũ Meliũ mediocriter labefactãtẽ ſtatũ reipublicę priuatꝰ interfecerit, qđ nos? Catilinã, nõ ſtatũ reipublicæ, ſed orbẽ terrarũ: nõ labefactãtẽ, ſed vaſtare cupiẽtẽ: nõ mediocriter, ſed cæde, & incẽdiis eũ nos, nõ priuati, vt Scipio: ſed COSS. non interficiemus, ſed perferemus? Si tamẽ hæc acrius intueamur, ſatius fuerit dicere, duplicatis ẽ locis conſtare has argumentationes. Vt ſint hinc ductæ à minoribus: Pallas potuit, ergo Iuno poterit.

*Iam antẽ monuimus, ab Scipione non Sp. Melium, ſed T. Gracchũ occiſum fuiſſe.*

Scipioni priuato licuit, ergo COSS. licebit. Hinc vero ducantur à maioribus: potuit ob noxam vnius euertere claſſem Argiuûm, ergo indignum erit mihi tot annos vna cum gẽte fruſtra contendere: &, potuit occidere Spurium Melium minus obnoxium, ergo poterimus Catilinam ſceleratiſſimum.

## SCHOLIA IN CAP. XXV.

*AT † veluti magno in populo.*] Ex primo libro 1
*Æneidos.* ¶ † *Quamuis enim illud apud Cice-* 2
*ronẽ.*] *In Catilinã, inuectiua prima.* ¶ *Sp.* † *Me-* 3
*lium.*] *Haud dubie legendum eſt, non Sp. Melium, ſed
Tyberium Gracchũ. Hunc enim occidit P. Scipio, quem-
admodum refert Plutarchus in vita C. & Tyberij Grac-
chorum. Sp. autem Melium, nõ à Scipione, ſed à Q. Ser-
uilio Hala interemptũ fuiſſe, author eſt T. Liuius libro
quarto ab vrbe condita. Rodolpho vt nomen pro nomine
poneret, illud nimirum fuit in cauſa, quòd Cicero eodem
in loco vtriuſq; cædis mẽtionem facit. Neq; enim opinor
tam dementem fore quenquam, qui eiuſmodi errata velit
aſsignare librariis, quando eiuſmodi eſſe non ſolent erro-
res hominum indoctorum. Cui etiam accedit illud, quòd
quemadmodum hoc loco, ita etiã pòſt, ſemel atq; iterum
nomen Sp. Melij, pro Tyberij Gracchi poſitũ eſt, in erra-
tis autem librariorum ſumma ineſſe ſolet inconſtantia.*
¶ † *Ego te conſulem putem, cum tu me non putes conſu-* 4
*larem?*] *Verba ſunt magni illius oratoris L. Craſsi, cui
cum Philippus conſul manum inijci iuberet, ille reiecto
lictore, nõ es (inquit) mihi Philippe conſul, quia nec ego
tibi ſenator ſum. Author Valerius Maximus lib. 6. de li-
bere dictis, aut factis. & Cicero tertio libro de oratore.*

*Non es mihi conſul Philippe &c.*

D.Hieronymus ad Nepotianũ, de vita clericorũ eandem propemodũ ſententiã tribuit oratori Domitio, Scitum eſt (inquiens) illud oratoris Domitij, Cur ego te habeam vt principẽ, cum tu me nõ habeas vt ſenatorem? Et Fabius lib, octauo: Ego te cõſulem putẽ, cũ tu me nõ putes eſſe ſenatorem? Alludit eodem Cicero in ſecũda Philippica, non tractabo (inquiens) vt cõſulem, ne ille me quidem vt cõ-
5 ſularem. ¶ † Et apud Quintilianũ in Milite Mariano,] Quo tẽpore C.Marius bellũ gerebat aduerſus Cimbros, eo tẽpore tribunus quidã militũ, propinquus eius imperatoris, pudicitiã militi cuidã volẽs eripere, interfectus ab illo eſt. Atq; hunc militẽ (vt Ciceronis verbis dicã) ille vir ſummus, ſcelere ſolutũ, periculo liberauit. Hinc ortũ argumentũ declamatoribus, pro reo illo dicendi, quod fecit & Quintilianus. Vnde & declamatio ipſa, Miles Marianus
6 inſcribitur. ¶ † Nã illud multo apertius apud Virgiliũ.]
7 Secũdo Æneidos. ¶ † Capi vnius fraude, & artibus eos.]
8 Vnius, nempe Simonis. Eos, Troianos. ¶ † Exẽplum, eſt ſpecies quædã cõparationis. De hoc rurſum libro ſecũdo,
9 capite decimoquarto. ¶ † Sed etiã à ſpecie ducitur.] Hic meminiſſe oportet illud, qđ dictũ eſt prius, capite ſexto: nẽpe quod attinet ad rationẽ inueniẽdi, indiuidua quoq; ſpecies dici poſſe: quãdo eadẽ planẽ ratio eſt indiuidui ad ſpeciẽ, quæ ſpeciei ad genus. Alioqui nõ facile intelligi potuerit, quo modo hæc argumentatio dicatur ducta à ſpecie: Romulus Remũ fratrẽ imperij conſortem ferre nõ potuit: ergo nemo in ſummo imperio cõſtitutus, patiens conſortis erit. Verba Lucani primo Pharſaliæ libro hæc ſunt:

Nulla fides regni ſocijs, omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longe factorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

*¶ †Et à coniugatis etiam prædiximus duci.* ] *Supra ca-* 10
*pite decimo.* ¶ †*Vt ſi dicas, quẽadmodũ vaſcula oris an* 11
*guſti.* ] Ex Quintiliano, *libro oratoriarum inſtitutio-*
*num primo, capite tertio.vt quidem hodie libri eius viri*
*in capita diſtincti ſunt.* ¶ †*Vt ſi* Didonẽ *decet habitare* 12
*Africam.* ] *Æneas* Didoni *apud* Virgiliũ *quarto Ænei-*
*dos, inter cætera reſpondet in hunc modum:*

*Si te Carthaginis arces*
*Phœniſſam, Tyriæq; aſpectus detinet vrbis:*
*Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terra*
*Inuidia eſt?*

¶ †*Sic etiã Iuno.* ] *Primo Æneidos.* ¶ †.*P. ergo Scipio* 13
*eũ Sp. Meliũ.* ] *Hac de re paulò ante in hoc ipſo capite.* 14

*¶ Similitudo ad quid maiorem habeat vim, quo-*
*modo inueſtiganda. Diſsimilitudo quid ſit, vnde*
*comparata ſimiliaq; ſumantur.*

## CAP. XXVI.

*Similitudinem ad docendũ, atq; alliciendũ potius, q̃ ad cõuincẽdum eſſe accommodatam.*

OMNIVM locorum è quibus du cuntur argumenta, nulli ferè min⁹ eſt viriũ contra renitentẽ auditorẽ, quàm ſimilitudini: ad eũ vero qui ſponte ſequitur, docendum'q; ſe præbet, accõmodatior nullus eſt. Aperit enim rem, ſi recte adhibeatur, & quandã eius imaginem ſubiicit animo: vt cum aſſentiendi neceſſitatem nõ afferat, afferat tacitũ diſſentiendi pudorẽ. Quapropter ad probandum non ita crebro, ad explanandum illuſtrãdum'q; ſæpe ab oratorib⁹, à poetis ſæpius adhibetur. Habet tamen perſæpe probantis ſpeciem ſimilitudo, eo ipſo,

1 quòd rem qualis ſit indicat. † Itaq; cum legis Quintiliani illud, vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiã reſpuunt, ſenſim autẽ influentibus, vel ſtillantibus etiã replentur: non conficitur vtique, debere propter hoc tenera puerorũ ingenia pro modo viriũ ſuarũ doceri: ſed tamen cõcipiẽdo quiſq; rem apud animum ſuũ ſub hac imagiue, perſuadet ſibi, ali-
2 ter fieri nõ poſſe. † Apud Lucanũ egregia videtur ſimilitudo pro argumento poſita:

Cæſaris an curſus veſtræ ſentire putatis
Damnũ poſſe fugæ? veluti ſi cuncta minentur
Flumĩa (quos miſcẽt) pelago ſubducere fõtes,
Non magis ablatis vnq̃ decreuerit æquor
Quàm nunc creſcit aquis.

Planum eſt videre, ſi quis ſic argumentetur: flumina ſubducta mari nõ minuẽt ipſum, ergo nec vos deſcrentes Cæſarem, retinebitis curſum rerũ ſuarũ, frigidũ eſſe & plane enerue argumentum. Quando vero ſumitur, nõ ad peruincendã rem, ſed docendã, rapitq; mentes ad ſe ſimilitudo: non iam quiſquis hæc audit, cogitat de Cæſare vel militibus id quod ſunt: ſed in ſpecie maris, Cæſarem: in fluminũ, milites capit: quodq; in propriis Cæſaris militumq; perſonis incredibile fuiſſet, abrepto iã transformatoq; in alienam imaginem animo, velut perſpectum in ſimilitudine accipit, prorſusq; ſic eſſe ſibiipſi perſuadet. ¶ Quid

ſit ſimilitudo, & quemadmodum diſtinguatur à comparatione, ſuperius diximus. Quia vero tota extra rem eſt, difficilior videtur inuentu. Quod nãq; confertur, extra rem eſſe certum eſt: vt mare extra Cæſarem. Id etiã in quo fit collatio, extra eſt, cũ (vt prediximus) nõ in vno aliquo conferantur. nanq; incrementa & decrementa maris in Cæſarem cadere non poſſunt, tametſi de vtroque fortaſſe in propoſita ſimilitudine creſcere dici poſſet & decreſcere, non tamen vna in vtriſque eſt ratio iſtorũ: ſed eadẽ nomina erunt, res liquet prorſus eſſe diuerſas. ¶ Demus ergo ſi poſſumus viã aliquã, quo paratius iſta inueniri queant. Primum videamus in re propoſita, cui ſimilitudinem quærimus, quid ſit id quod exprimere ſimilitudine volum⁹, idq; quale ſit, & quid efficiat, diligẽter intueamur. Deinde rẽ quampiam quæramus, quæ habeat in ſe aliquid, cui ſit ſimilis in ipſa vis, qualis eſt in propoſito noſtro eius, quod cupimus imitari. Neque ſi primo nõ occurrat, deſiſtamus: ſed ſubinde alias res excutiamus & alias. nõ erit quiſquam tam infelicis conatus, vt quamuis ſemel iterumve nõ ſuccedat, tertio tamen aut quarto nõ eruat aliquid. ¶ Aperiam⁹ primũ hac via ſimilitudinem, quam nobis in exẽplum ex Lucano deſumpſimus. Cæſar repreſſurus militũ ſeditionẽ, quid eos ſimilitudine docere voluit? nẽpe

*Quomodo inueſtiganda ſimilitudo.*

amplitudinem rerum ſuarum ex illis non pendere. In re quidem ſunt Cæſar & milites Cæſari deſeruientes. docendum autẽ eſt, nõ eſſe milites, quib⁹ magnitudo Cæſaris ſit innixa. Ante omnia ergo quęrẽdũ habuit Cæſar aliquid, cui numerus quidam rerũ deſeruiret, quemadmodũ laborabant milites, quod nõ creſcat earum rerum miniſterio. Id fuit mare, cui quidem ſe, fluminibus vero milites cõtulit. ¶ Circunſpiciamus aliud. Forte tam omni ex parte accommodatũ non inueniemus. Tenuis enim eſſet ingenii laus, ſi paſſim poſſet ex obuio ſumi. Inueniemus tamen aliquid. Fingamus, vt dicant homines, admittere ſe nolle ſolẽ, ſed lucis occluſis receptaculis omnib⁹, excluſuros ipſum. Sic enim quanquam veneratio ſolis quæ ex hominum vſu tribuitur, ſibi peritura ſit: lumini tamen reuera maieſtatiꝗ ſuæ nihil decreſcet. ſic ne Cæſari quidem quicquam de ſua peribit amplitudine, licet deſerant ipſum milites ſui. Sed protinus à prioris ſimilitudinis vi deſciſcimus: ꝙ quẽadmodũ ibi flumina aliquid mari inferunt, ita hic nihil eſt quod homines afferant ſoli: niſi velimus dignationem in eius locũ accipere & admirationẽ hominũ. ¶ Quęramus aliud in hoc ipſo ꝓpoſito. Quid agũt milites ſeditione? vt cõcutiendo ſtatũ rerum Cæſaris, etiã ipſum atterant Cæſarẽ. Scrutemur aliquid, quod ſine damno concutitur.

Scopuli quibus fluctus perpetuo illiduntur. Sed ſegnius illud, hoc viuidius. ignem cõcuti vẽtis, & nõ decreſcere, ſed ali videmus. ¶ Rurſum milites quid præſtant Cæſari? Ornãt quidem augentq́ decus rerum Cæſaris: ex illo tamen opes ſunt ipſis, & dignitas, & ſingulorũ magnitudo. Quæramus quod ornetur alio, & idipſum ſuſtineat & tueatur. Terra viret herbis, gratiamq́ ab ipſis habet: ex ipſa vero herbæ recipiũt vigorẽ. Itaq; in ſimilitudinẽ tranſferemus. quemadmodũ iſtas non ſine periculo ſuo reuelli transferriq́ poſſe: terrã vero ſua fœcũditate facile alias ſibiipſi herbas reddituram: ſic Cæſaris militũ defectionẽ ipſis periculo fore, Cæſari ex opibus ſuis alios milites facile redituros. Sic etiã qui fœcundũ agrum ignauia deſerant, ſibi quidẽ imminere egeſtatem, agrũ celeriter allecturũ ſua vbertate qui colãt. Facile eſt videre has omnes ſimilitudines eò ducere, quod initio ſumpſimus, nihil militum defectione Cæſari periturũ de ſua magnitudine. quæ eò latius diximus, vt vel ipſa copia oſtenderemus quomodocunq; aliquam ſimilitudinis inueniendę viam. Multũ autem profuerit in hac re intueri, quæ de eo cui ſimilitudinem quærimus per tropũ (quam tranſlationem vocamus) efferuntur. Dabit nãq; ſimilitudinẽ nobis ſine cũctatione id, in quo trãſlata illa propria ſunt vel natiua. Vt ſi amorẽ quòd

malus ſit, ſimilitudine quæras effingere: vide
quæ de amore trãſlatione ſoleant dici. Vulgo
itaq; iam vſurpatur, ardere quem amore. Pa-
ratam nobis continuo ſimilitudinẽ videmus
ab igne, in quo verus eſt ardor. Et quoniã ar-
dere in bonã etiã dici partẽ poteſt, licebit etiam
ignis ſimilitudine ipſum laudare. Vt vel vitu
perãdo dicamus, quemadmodũ omnia conſu
mit ignis, atq; deſtruit quæcũq; complectitur,
ſic amorẽ mentium noſtrarum robur viresq́;
omnes cõſumere, & velut in cinerẽ redactas
diſſipare. Vel laudãdo, vt quẽadmodũ ignis
rebus immiſtus, calorẽ ipſis vitæq́; præbet vi-
gorẽ, ſic amorẽ nobis induſtriã ſtrenueq́; agen
di ſtimulos ſubiicere, nec quẽquã rem vllam
recte ſine operis amore conari. Sic etiã quia di
cuntur homines premi amore, ſimilitudo ab
oneribus duci poteſt. Iam aſtrictos etiã amore
dicimus, ſimilitudo à vinculis & cõpedibus
ſumetur. Ita ſi inſanire dicãtur, furẽtibus: ſi cõ
ſumi, in ignẽ impoſitis: ſi languere, ægrotanti-
bus aſſimilabimus. Cõtrà vero ſi laudare inſti
tuimus, ſimilitudinẽ ab eis quæ in laudẽ dicun
tur trahemus, vt tenacẽ eſſe amorẽ, ſolidũ, non
fractũ, dulcẽ dicimus. Poterit ergo ex eis, qui-
bus horũ vnũquodq; reuera ineſt, ſimilitudo
depromi. Delectus adhibendus eſt, vt pro rei
qualitate ipſam adaptemus. Vt ſi docere volu
mus, aperta ſit ſimilitudo: ſi laudare, ſplẽdida:

ſi vituperare, pudẽda: ſi rẽ tollere, magnifica.
Liquidius nãq; oportebit rẽ quancq; talẽ videri, qualem imagine ſua volumus aliã eſſe mõſtrare.

*Dißimilia.* ¶ Diſſimiliũ nõ ita creber eſt vſus. Quid ſint autẽ, facile eſt deprehendere ex ſimilibus. Non enim aliud eſt diſſimilitudo, quàm cõtraria eius, quod oſtẽdere volumus, ſimilitudo. Itaq; & idem eſt eorũ cũ ſimilitudine locus. cõiunxit vtrũq; Quintilianus: † Non enim vox 3
(inquit) illa præceptoris, vt cœna, minus pluribus ſufficit: ſed vt ſol, vniuerſis idem lucis caloriſq; largitur.

*Loci huius vſus.* ¶ Tractatur varie hic locus: & vberius & aſtrictius pro iudicio dicẽtis effertur. Poetarũ itaq; nõnunquam fabulæ, & illæ quas vocãt Aeſopicas, latiꝰ nonnũquam narrantur, nõnunquam cõtrà breuiter colligũtur ſimilitudines. Vt in Quintiliani illis exemplis.
† Sic & Æſchines, qui cũ Demoſthenẽ diceret 4
omnẽ in oratione fiduciã habere, tibiis aſſimilauit eum, quibus ſi collũ dematur, reliquũ corpus inutile eſt. † Et ille cõtra Æſchinem trutinę 5
ſimilẽ: quæ à quacũq; parte infunditur, eò inclinat.

*Tres gradus per quos dixit duci poſſe oia accidentia.* ¶ Sumuntur autẽ vtraq;, & cõparata & ſimilia, ex antecedentibus, conſequentibus, & adiunctis. Ex antecedentibus: An vir clariſſimus P. Scipio. & quæ ſequuntur. Et, Palláſne exurere claſſem? † Ex conſequentibus: Vt Iuue 6
nalis: Tantũ igitur muros intra toga cõtulit illi Nominis ac tituli. Notus eſt locus. Comparat enim

enim Ciceronis rebus Auguſti bella. Ex adiun
ctis. Si te Carthaginis arces Phœniſſam Liby-
cæq; aſpectus detinet vrbis. Antecedẽtia vero
ſimilia ſunt, † vt apud Ciceronẽ pro lege Ma-
nilia, Medeæ quæ membra fratris diſcerpſit,
quo colligẽdis illis perſequentem moraretur
patrem, aſſimilatur Luculli exercitus, opibus
Mithridatis à perſequendo ipſo Mithridate
8 diſtentus. † Adiuncta ſunt, Vt pro Roſcio, an-
ſeres & canes qui in Capitolio alebantur, vt fu
res detegerent. quibus accuſatores ſimiles di-
xit orator, vt nocentes in R. P. ad pœnas ſcele-
9 rum dandas in ius vocarent. † Ex conſequen-
tibus Lucanus ſumpſit, cum perturbationem
ciuitatis explicaret, cõfuſione ea quæ ſit in fine
10 mundi rerumq; omniũ futura. ¶ † Copioſi ſunt *Horũ locorũ vbertas,*
hi duo loci, & vulgi opinioni ſenſibuſq; aptiſ-
ſimi. Nam vt comparatis facile peruincuntur
rudiores animi (non enim facilius quiſq̃ cre-
dit, quàm quod iam in alio videtur probaſſe)
ſic ſimilitudo ad explanandum eſt iiſdem ma-
xime accommodata. Hebetes enim mentes, &
quæ in ipſas res penetrare nequeunt, vt quale
ſit quicq; poſſint perſpicere, nõ alia re aptius,
quàm imagine & figura notiorum aliarum re-
rum, in id quod oſtendere volumus ducũtur.
Acriora ingenia, velut qui vident, oculos ſe-
quuntur. contrà hebetes, tanquam cæci, tactu
explorent iter oportet.

## SCHOLIA IN CAP. XXVI.

I +Taq; cum legis Quintilian illud.] Libro 1. cap. 3. 1
¶ +Apud Lucanum.] Verba ſunt Cæſaris ad milites 2
Pharſaliæ lib. 5. ¶ +Non enim vox illa præceptoris.] 3
Verba ſunt Quintiliani, loco quem indicaui. ¶ +Sic & 4
Æſchynes.] Æſchynis in Demoſthenem verba interprete Leonardo Aretino, ſic habent: At cum vir totus ex verbis compactus atq; his vehementibus & ſuperflue laboratis, ſimplicitatem ſimulet, quis ferat? Cuius gulam ſi quis auferat inſtar fiſtularum nihil reliquum erit. ¶ +Et ille cōtra Æſchynem trutinæ ſimilem.] Equidem 5
dem vbi Demoſthenes dixerit Æſchynem eſſe ſimilem trutinæ, nondum vſquam legiſſe memini. In oratione pro Cteſiphonte, nominat eum (interprete Aretino) fabulam ac trituram fori, & viliſſimum ſcribam. Item paulò poſt, tragicam ſimiam, ruſticum Oenomaum, oratorem abſurdum. Quòd ſi quis ipſius Demoſthenis verba hæc de re malit, ea quoq; aſcripſimus: εἰ γὰρ αἰακὸς, (inquit) ἢ ῥαδάμανθος, ἢ μίνως ἦν κατηγορῶν, ἀλλὰ μὴ σπερμολόγος, περίτριμμα ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεὺς, οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι τοιαῦτ' εἰπεῖν, οὐδ' ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους πορίσασθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, ὦ γῆ, καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα. Et pòſt in eadem oratione: πονηρὸν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ, καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. τοῦτο δὲ καὶ φύσει κίναδος τὸ ἀνθρώπιόν ἐστιν, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς ὑγιὲς πεποιηκὸς, οὐδ' ἐλεύθερον, αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ &c. ¶ +Ex conſequentibus, vt Iuuenalis.] Apud 6
hunc poëtam Satyra octaua de Cicerone ſic legis:

Quid Catilina tuis natalibus atq; Cethegi
Inuenit quiſquam ſublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus templiſq; paraſtis.

*Vt Braccatorum pueri, Senonumq́; minores:*
*Auſi quod liceat tunica punire moleſta.*
*Sed vigilat conſul, vexillaq́; veſtra coercet*
*Hic nouus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ*
*Municipalis eques, galeatum ponit vbiq;*
*Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.*
*Tantum igitur muros intra, toga contulit illi*
*Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum*
*Theſſaliæ campis Octauius abſtulit, vdo*
*Cædibus aßiduis gladio. ſed Roma parentem*
*Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

7 ¶ † *Vt apud Ciceronem pro lege Manilia.] In ea oratione Cicero oſtenſurus, cur adhuc periculoſum ac magnum eſſet bellum Mithridaticum, rege fugato atq; expulſo, Primum (inquit) ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam prædicāt in fuga fratris ſui membra in his locis quà ſe parens perſequeretur, diſsipauiſſe: vt eorum collectio diſperſa, mœrorq́; patrius, celeritatem perſequendi retardaret. ſic Mithridates fugiens, maximam vim auri atq; argenti, pulcherrimarumq́; rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas, in ſuum regnum congeſſerat, in ponto omnem reliquit. Hæc dum noſtri colligunt diligentius, rex ipſe è manibus effugit.*

8 ¶ † *Adiuncta ſunt, vt pro Roſcio.] In oratione Ciceronis pro Sex. Roſcio Amerino, vbi miris ſalibus defricatur accuſator Erutius, hæc quoq; præter alia multa aduerſus præpoſteros accuſatores dicuntur. Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in capitolio, vt ſignificent ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen, ſi qui noctu in capitolium venerint.*

*Et quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ eſt cautior. Quòd ſi luce quoq; canes latrent cum deos ſalutatum aliqui venerint, opinor iis crura ſuffringantur, quòd acres ſint etiã tum, cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alij veſtrum anſeres ſunt, qui tãtummodo clamãt, nocere non poſſunt. alij canes, qui & latrare & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi videmus, vos autem maxime debetis in eos impetum facere qui merentur: hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde ſi voletis, etiam tum, cum veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote: id quoq; concedi poteſt. ſin autem ſic agetis, vt arguatis aliquem patrem occidiſſe, neq; dicere poſſitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis, crura quidẽ vobis nemo ſuffringet: ſed ſi ego hos bene noui, literam illam, cui vos vſq; eò inimici eſtis, vt etiã eas oẽs oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem aliũ niſi veſtras fortunas accuſare poſſitis.* ¶ † Ex 9
*conſequentibus Lucanus.* ] Libro *Pharſaliæ primo, non ita longe à principio. Reliquos vel Ciceronis vel Vergilij locos iam antè indicauimus.* ¶ † Copioſi ſunt hi duo 10
*loci.* ] *Nempe comparatorũ & ſimilium. Et certe nulli argumentorum loci crebrius inter dicendũ incidunt, quos circa vt plenius à iuuentute intelligãtur, & facilius vſui quotidiano accommodari poſſint, operæpreciuim mihi facturus videor, ſi paucis eos illuſtrem exemplis. Cumq; cõparatorum locus ſit triplex, à pari, à maiori, & à minori: ideo & per hos gradus argumenta ducemus.*

A PARI.

*Cicero in Verrem: ſi finem edicto prætoris afferunt Calendæ Ianuarij, cur non initium quoq; naſcitur à Calendis Ianuarijs?*

*Idem primo rhetoricorum: Nam ſi Rhodiis turpe nõ eſt, portorium locare: nec Hermacreonti conducere.*

*Et pro Rabirio: O dii immortales, hæc eſt illa exoptata iudiciorum ſeueritas? Corruptores noſtri cauſam dicunt, nos qui corrupti ſumus non dicimus?*

*Quintilianus libro quinto: Qui ob rem iudicandam pecuniã accipit, & ob dicendũ falſum teſtimoniũ accipiet.*

*Idem: Quæ pœna aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus matris.*

*Iphicrates ille Athenienſis, cũ ab Ariſtophonte proditionis accuſaretur, percontatus ab illo eſt, ecquid ipſe accepta pecunia proditurus eſſet rempublicam. quod cũ negaſſet ille, quid igitur? quod tu (inquit) facturus non ſis, id ego feci?*

A MAIORI.

*Cicero epiſtola quadam ad Metellũ: Tu tuas inimicitias vt reip. donares, te viciſti: alienas vt contra remp. cõfirmes adduceris? Quanquam hoc & à pugnantibus dictum videri poßit.*

*Idem pro Milone: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cũ aliquorũ querela? Quem iure, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tẽpore, periculo capitis non dubitauit? ſ. occidere.*

*Eiuſmodi eſt illud Medeæ apud Ouidium: Seruare potui: perdere an poßim rogas? Et Æneæ apud Virgil.*

*Vos & Scillæam rabiem, penituſq; ſonantes.*
*Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa*
*Experti, reuocate animos, mœſtumq; timorem*
*Mittite, forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

*Vult enim his verbis planum facere Æneas, nõ debere ſocios ſuos frangi rebus præſentibus, qui maiora grauiorâq; iam pertuliſſent.*

A MINORI.

*Hiſtrio quid deceat quærit, & nõ idem faciat orator?* Ex Cicerone de oratore.

*Quòd ſi in ipſo etiã corpore multa voluptati præponẽda ſunt, vt vires, velocitas, valetudo, pulchritudo: quid ni idem in animis fiat, in quibus doctiſſimi illi veteres cæleſte ac diuinum quiddam ineſſe putarunt?* Ex eodem, ſecundo libro de finibus.

*Demoſthenes à cane quomodo ꝗ̃ litera exprimenda eſſet diſcere nõ erubuit: & nos pudebit, ſi homines homine præceptore vtamur?* Ex hieronymo aduerſus Rufinũ.

*Quid? an nõ vehementer abſurdum illud, aſſueſacere pueros, vt dextra cibum capiant, & ſi læuã forte manum extendant increpare: at interim non prouidere illud, vt honeſta ſuæq́; ætati congruentia audiant?* Ex Plutarcho de educatione liberorum.

*Serui (inquit Memmius tribunus Pl. apud Salluſtiũ) ære parati, iniuſta imperia dominorũ non perferunt: vos Quirites in imperio nati, æquo animo ſeruitutẽ toleratis?*

Sed horum plena ſunt omnia. Illud notandum, quod & Rodolphus monet capite vigeſimoquinto, quædã argumenta eſſe, quæ diuerſa ratione, interim à maiori, interim à minori duci videantur. Cauſa verbi. Cicero in ſecunda philippica: *Quid indignius, quàm viuere eum, qui impoſuit diadema: cum omnes fateantur iure interfectũ eſſe, qui abiecerit?*

Hic ſi committas Cæſarem & Antonium, ducta fuerit argumentatio à maiori. Neq; enim aliud demonſtrare vult Cicero, quàm iure occidi potuiſſe Antoniũ, eo quòd Cæſarem illo maiorem iure occiſum eſſe omnes faterentur. At ſi cauſas occidendi cõpares inuicem, iam cõtrario modo habebit. Eſt enim hæc vis argumentationis. Minor

cauſa fuit occidendi Cæſaris, qui diadema ſibi impoſitum reiecit: quàm Antonii, qui illud impoſuit: quare ſi illũ oĉs iure occiſum eſſe fatẽtur, quid indignius ꝙ viuere Antonium illo lõge ſceleſtiorẽ? Hieronymus aduerſus Iouinianum: Si altiſſima illa ſublimitas cecidit, quis cadere non poſſit? Si in cœlo ruinæ, quãto magis in terra? Hic confer angelicã illã creaturã è cœlo lapſam cũ genere humano, & à maiori ducta erit argumẽtatio. Rurſum, voca id maius, more Ariſtotelico, quod eſt veriſimilius: minus, quod vero eſt diſſimilius: iã cõtrà à minori ducta erit. ſiquidẽ minus erat vero cõſonũ, altiſſimã illã ſublimitatẽ cadere poſſe, quàm hominẽ: quocirca ſi illa cecidit, quidni cadere poſſit & homo? Atq; hoc poſteriori intellectu ferè hiſce nominibus vtunt. ꝙ hodie dialectica docet. Alij cõtrà, priori. Ego, vtris potius accedẽdũ ſit, dubito. Placet certe mihi hac quidẽ parte vtriq;: neq; ita magni referre puto, hinc an illinc ducta argumenta dicantur, modo inuenire ea diſcat iuuentus.

EXEMPLA SIMILIVM.

Quemadmodum dicere ſolebat Philoxenus, carnium ſuauiſſimas eſſe eas, quæ carnes non ſint, & piſciũ quoq; eos qui non ſint piſces: ſic in Philoſophia, ea cum primis ducunt, ac alliciunt animos iuuenum, quæ neq; philoſophice nimis, neque accurate nimium tractantur. Author Plutarchus.

Philoxenus Erixidis filius, & Gnato Siculus, gulæ proceres, imò verò extremi perditiq; gulones, conuiuijs adhibiti, emungere ſe in puluinijs ſoliti erant, vt abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerentur. Ita hodie quidam, ſtudia liberalium artium docere, aut ſcribere ingreſſi, vocabulis ſordidis, & ex intima plebeij ſermonis ferè acceptis, fœdãt ac cõtaminant oĩa: vt bonis mẽtibus,

& præclaris ingenijs inde auerſis, ſoli ipſi rerum potiantur, ac citra æmulum regnent. Ex Hermolao Barbaro.

Fuit quidam tempore Alexandri Magni, qui eam longo vſu tenebat artem, vt ex certo interuallo, grana ciceris, ſine fruſtratione in foramen acus insereret: qua re cũ conſideret ſe placiturum regi, ac magnum aliquid ab illo reportaturum: modio eius leguminis donatus eſt, digno me hercules tali artifice præmio. Ita qui diſſerendi artem profeſsi, ſecula iam aliquot, aliud nihil quàm nugaciſſima quædam, & per manus tradita in ſcholis decantant ſophiſmata, non ne digni ſunt, qui, nõ dico modio vno, aut altero, ſed plauſtris aliquot ſophiſmatum, ſenes iam onerentur? Errani, honorentur dicere erat in animo. Ex Quintiliano.

Vt in vrbe defendenda nihil prodeſt, cæteras quidem portas omnis eſſe clauſas, modo vna aliqua pateat per quam hoſtes recipiantur in vrbem: ita parum profuerit iuueni, ſi à cæteris voluptatibus ſeſe abſtineat, dũ ab vna quapiam in profundum vitiorum præceps agatur. Ex Plutarcho de audiendis poëmatis.

Quomodo in vitibus Pampini, & palmites eſſe ſolent in cauſa, cur botri ſubinde occulãtur, obũbratiq; lateant: ita in dictione poëtica, propter circunfuſas vndiq; fabulas, multa non animaduertuntur à iuuentute, alioqui futura, vel vtiliſſima. Indidem.

Tanquam ille qui gallos infeliciter pinxerat, puero mandauit, vt veros gallos quamlongiſſime à tabula abigeret: ſic adulator nihil æque timet, atq; veri cuiuſpiam amici acceſſum. Ex eodem de dignoſcendo adulatore, & amico.

Cicero familiarium epiſtolarum, libro quinto: In ludis gymnicis, inquit, mos erat præcones quoq; ipſos corona

*ante ludorum miſsionem donari. verum hi, cum cæteris coronas impoſuiſſent victoribus, eorumq́; nomina magna voce pronunciaſſent, ſibi tamen alium adhibebant præconem, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe pronunciarẽt. Hoc modo & nos, aliorum quidem virtutes pleno ore laudabimus, noſtras conſq; in occulto ſinemus, dum alius quiſquam exiſtat, qui eas ab interitu vindicet, poſteriſq; commendet.*

*Idem poſt reditum ab exilio: Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt eis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægroto corpore fuerunt: ſic patria cæteráq; fortunæ bona, deſiderata magis quàm quotidie percepta delectant.*

*Diſsimile eſt apud eundem Philippica tertia: Certus autem dies, non vt ſacrificij, ſic conſilij expectari ſolet.*

*Verum hæc quis non malit petere ex Eraſmo? Illud non indignum fortaſsis obſeruatione, in quibuſdam cõparatis difficulter admodum aſsignari poſſe aliquid vtriſq; commune, & in ſimilibus interim facillime. Comparatio eſt illa apud Salluſtium: Maiores veſtri parandi iuris, & cõſtituendæ maieſtatis gratia, per ſeceſsionem, armati bis Auentinũ montem occupauere, vos pro libertate, quam ab illis accepiſtis, non'ne ſumma ope nitemini? atq; eo vehemẽtius, qđ maius dedecus eſt, parta amittere, quàm omnino non parauiſſe. Similitudo apud Quintilianum: Quomodo vulnus infligi citius poteſt quàm ſanari, ita reum facilius accuſare eſt quàm defendere. Et apud Ciceronem in Antonium: Vt Helena Troianis, ſic iſte reipub. cauſa peſtis, atq; exitij fuit. Hic ſi quis vnũ aliquid commune quærat, non'ne in exemplo Quintiliani commune fuerit vtriſq;, facilius eſſe lædere quàm mederi? & in Ciceronis, vtrũq; exitij fuiſſe cauſam ijs, quibuſcũ degeret?*

Contrà, in comparatione illa Salluſtiana non ita facile. Sed de his pro ſuo quiſq; arbitratu vt volet ſtatuat. Ego dicere hoc auſim, in quibuſdam nihil intereſſe inter ſimilitudinem & comparationẽ, niſi tractandi rationẽ diuerſam, & diuerſum genus elocutionis. Cõparatio eſt, quam modo ex Salluſtio adduximus. Tractetur paulò aliter, & ſimilitudo erit. nempe ad hunc modum. Sanè quẽadmodum maiores veſtri Quirites, parandi iuris, & conſtituẽ dæ maieſtatis gratia, per ſeceſſionem armati bis Auentinum montem occupauere: ſic vos etiã pro libertate, quam ab illis accepiſtis, ſumma ope niti debetis. Diſſimilitudo eſt apud Liuium ſecundi belli punici libro octauo. Quàm compar (inquit Fabius Maximus ad Scipionem) conſilium tuũ parentis tui conſilio ſit, reputa. Ille C O S. profectus in Hiſpaniam, vt Hannibali ab Alpibus deſcendẽti occurreret, in Italiam de prouincia rediịt: tu, cũ Hannibal in Italia ſit, relinquere Italiã paras: non quia reip. id vtile, ſed quia tibi id amplum, & glorioſum cenſes eſſe. Quid porrò negocij fuerit, hinc efficere comparationem, ſi mutatis paucis hunc in modũ hæc efferantur? Quid? Pater tuus C O S. profectus in Hiſpaniam, vt Hannibali ab Alpibus deſcendenti occurreret, in Italiam de prouincia rediịt: & tu, cum ſit Hannibal in Italia, illam relinquas? Hæc ideo aſcripſi, vt diligenter expendat lector, ecquid ſemper ea ratione diſtent ſimilia à comparatis, qua diſtare ea ait Rodolphus.

¶ Quid repugnãtia, & quomodo ea diuidatur. Hinc oppoſita quæ dicantur, & quod horum ſint ſpecies. Tum differentia quæ ſint, & quæ horũ diuiſio. Poſtremo, quæ ducantur hinc argumenta, & duarum obiectionum diſſolutiones.

## CAP. XXVII.

NON debet cuiquam mirũ videri, ſi repugnantia (cum ſuperius non putauerimus ex Boethii, vel Ciceronis potius ſentẽtia inter locos ponenda) nunc ipſi, velut obliti noſtri, inter locos numeremus. Equidem non id tunc egi, vt do- *Superius dicta quo modo accipienda.*
1 cerem repugnantia locũ non eſſe: ſed oſtẽdere volui, in eã conditionẽ, quomodo Boethio viſum eſt, vt eſſet repugnans, quicquid cõtrarium eſſet conſequentis, non poſſe hoc pacto certũ eis, & ſeiunctũ ab aliis locũ attribui. ¶ Repugnantiã autẽ in præſentia definimus, vt ſit rerũ per ſe diſſidens habitudo, qua fit, vt alterum dici id eſſe quod alterũ non poſſit. Quod autem (per ſe) addimus definitioni, id eò pertinet, vt oſtendamus, non quicquid de altero negatur, repugnans eſſe. Nec enim etſi dicam Ciceronem nõ eſſe infantem, ideo infantẽ eſſe repugnans eſt Ciceroni: nec ſi dico Catonẽ nõ auarum fuiſſe, repugnat idcirco auarũ eſſe Catoni. Non enim per ſe iſta, hoc eſt, Cicero quatenus Cicero eſt, & Cato quatenus Cato, tales negantur eſſe: ſed quia Cicero eloquens eſt, cui repugnat eſſe infantem: & Cato vir bonus, cui repugnat item auarũ eſſe. At homo & irrationale repugnant: quoniam rationale quod repugnat irrationali, in ſubſtantia eſt hominis. ergo homo per ſe, hoc eſt per ſubſtantiam ſuã, ab irrationali diſſidet. Sic homo & virtus *Repugnantia.*

repugnãt,quoniã homo per ſe exiſtentiũ generis eſt,virtus vero inhærẽtiũ. neq; em̃ dici poteſt,homo eſt virt⁹. †Adeoq; lõge magis repugnant,quantũ ad ſe,id eſt ad ſubſtãtiã ſuã, homo & virt⁹,quàm homo & irrationale. Iſta em̃ in proximo,& ſub eodẽ genere poſita,diſtant. vtrũq; em̃ intra animalis eſt cõplexũ. at illa toto rerũ ordine,hoc eſt,prædicamentis ſunt diducta. 2

*Cauilli exclusio.* †Quod autẽ vulgo dicimus,non repugnare homini virtutem,aut vitium,id in eam ſententiã dicitur,non vt alterum dici poſſit id eſſe quod alterum,ſed quia nihil obſtet,quo minus ineſſe alterũ alteri poſſit. 3

*Diuiſio repugnãtium.* ¶ Repugnãt autem,aut vnum vni,aut vni plura. Illa oppoſita,hæc differẽtia vocamus. †Et,quæ nos oppoſita,Cicero contraria dixit. Boethius cõmodius oppoſita putauit dici,quoniam ea quæ τὰ ἐναντία Græci vocant,aptius contraria dicerentur: quæ Cicero quidem dixit aduerſa. Vtcũq; vocẽtur,haud multum intererit. nos Boethiũ, quando vſus magis in hunc morem triuit ea nomina,ſequamur. 4

*Oppoſita.* ¶ †Oppoſita ſunt,quæ repugnant vnum vni,ſic,vt neq; alterum de altero,neque ambo de tertio dici poſſint. 5

*Oppoſitorum diuiſio.* ¶ †Ea Ariſtoteles iis ferme verbis diuidit. Alterum, inquit, alteri opponi dicitur quadrupliciter, velut quæ ſunt ad aliquid, vel vt contraria, vel vt priuatio,& habitio, vel vt affirmatio, & negatio. Vt ad aliquid opponuntur, ſicut 6

duplum dimidio. Vt contraria, ſicut malũ bo-
no. Vt ſecũdum priuationem, & habitionem,
ſicut cæcitas, & viſus. Vt affirmatio; & nega-
tio, ſicut ſedet non ſedet. Vtq; paucis dicam⁹,
omnia aut relata ſunt, aut contraria, aut priua-
tiua, aut contradicentia. At aliquid (quæ & re- *Ad aliqd.*
lata dicuntur) ſunt ea, quæ ſecundũ hoc ipſum
quod ſunt, aliorum dicũtur, Vt ſeruus, domi-
ni dicitur ſeruus: & dominus, ſerui dominus.
ſic pater, filii pater dicitur: & filius, patris fili⁹.
& totum, dicitur partis totum: & partes totius
7 eſſe partes dicuntur. †Poteſt autem dubitatio- *Scrupulus.*
ne dignum videri, cum tantum vnum vni di-
xerimus opponi, quomodo id conſtare poſſit
in relatis, cum vnius domini multos videam⁹
ſeruos, vnius patris multos filios eſſe. Certum
eſt enim, hũc patrem, & hos filios relata eſſe, ſi-
militer hunc dominũ, & hos ſeruos. Sunt qui *Solutio.*
credant filios referri ad patrẽ, & ſeruos ad do-
minum, multos ad vnum, non quatenus mul
ti ſunt, vel hi ſinguli, ſed quatenus communis
ratio eſt, vnaq; in omnibus, & filiorum, & ſer-
uorum, quemadmodum in iſtis, patris & do-
mini. Scotus omnium qui philoſophiã tracta-
uerunt, diſputator multorum conſenſu acerri-
mus, voluit in patre qui multos haberet filios,
multa proinde nomina reſpectusq; eſſe patris.
8 †quemadmodum & iuriſperiti, patri ſuam in
quenque filium deſcriberent patriã poteſtatẽ:

& domino in quencꝫ ſeruum, propriũ diſcre-
tumꝗ ius mancipij. Sed recõditiora ſunt hæc,
†necꝫ noſtræ (quod aiunt) farraginis. ergo re- 9
liqua proſequamur. † Contraria ſunt * repu- 10
gnantia, quorum vtrũcꝫ poteſt ſimul exiſtere,
& alterum ſine altero eſſe. Vt calidum & frigi-
dum contraria ſunt, exiſtuntꝗ vtracꝫ ſimul.
Quod quidem in contradictione fieri nõ po-
teſt, nec in priuatione: quorum ſi eſt alterũ, nõ
poteſt alterum eſſe. In relatis vero non poteſt
alterum ſine altero eſſe. nõ enim poteſt eſſe do
minus, vt nõ ſit ſeruus: nec ediuerſo ſeruus, vt
non ſit dominus. At calidum nihil repugnaret
eſſe, vt non eſſet frigidum: nec nigrum vt non
eſſet album. Priuatio, eſt defectus alicuius, in
eo, quod id natũ eſt habere. Vt cæcitas eſt de-
fectus viſus, non in quouis, nec enim lapis cæ-
cus dicitur, ſed in eo quod natum eſt videre.
Sic mutum eſſe, non cuiuſcꝫ eſt, ſed eius, quod
natum eſt loqui: & demens, eius quod ſapere:
& mortuũ, eius quod viuum eſſe poſſet. Con-
tradicentia ſunt, quorũ negatur vno id ipſum,
quod eſt altero affirmatum. Vt ſedere non ſe-
dere: currere non currere. Quod dicimus autẽ
negari vno id ipſum, quod eſt affirmatũ alte-
ro, hoc eò pertinet: nam ſi dicas hominem ali-
quem currere, & aliquem hominem non cur-
rere, non contradicunt iſta: poteſt enim vtrũcꝫ
eſſe verum: nam poteſt aliquis homo currere,

*Contraria.* — * *oppoſita.* — *Priuatio.* — *Cõtradicentia.*

vt Cicero: & ſimul aliquis non currere, vt Ca-
to. verum non negatur vno, quod erat affir-
matum altero. Quare vt contradicant, neceſſe
eſt idipſum neges quod affirmaſti: vt quoniã
dixiſti aliquem hominem currere, neges cur-
rere aliquem, hoc eſt, nullũ dicas currere. Eſtq́;
ea perpetua, & immota cõtradicentium lex, vt
de omni re neceſſe ſit vere alterũ contradicen-
tium dici, vtraq; de nulla. ¶ Differentia ſunt, *Differentia quæ ſint.*
quæ ſic repugnant, vt non certo ductu vnum
contra vnũ dirigatur, ſed ſatis eſt ſubſtãtiis in-
ter ſe eſſe dimota. Vt Cicero, & Cato differũt,
quoniam nõ eſt Cicero quod Cato. nõ tamen
ſic differunt, vt calidum, & frigidum: calido
enim nihil opponi poteſt aliud, quod eodem
modo cum ipſo quo frigidum pugnet. at quẽ-
admodum Cato à Cicerone diſtat, ſic etiã Sci-
pio, ſic Lęlius, ſic quemcũq; alium hominẽ ſu-
11 mas diſtabit.† Quapropter neq; colores quos
medios vocant, contrarij inter ſe erunt. Quem
admodum enim flauus cęruleo, ſic etiam indi-
cus, & ruber, & viridis diſtat: & poteſt ex quo-
libet colore in quẽuis, & per quẽlibet ex albo
in nigrũ fieri tranſitus. Similiter ſaporum etiã
diuerſæ ſpecies contrariæ non ſunt, ſed verius
differentes. Sic quæcunq; aliæ ſunt multæ ſpe-
cies, ſub vno genere comprehenſæ: non ma-
gis cenſendæ ſunt contrariæ, quàm iuſtitia, tẽ-
perantia, fortitudo, reliquæq́; ſpecies virtutũ.

*Differentium diuiſio.*

¶ †Differũt autem omnia, aut ſolum vt ſingu- 12
la: vt ſinguli inter ſe homines, ſinguli equi, & quæcunq; indiuidua ſub vna cõtinentur ſpecie: vt quæcunq; indiuidua ſub diuerſis ſunt ſpeciebus, vel ipſæ inter ſe ſpecies diuerſæ, vt hic homo & hic equus, & homo & equus. Aut genere: vt quæ vel diuerſorum ſunt generũ, vt vitis & equus, quorũ hic animalis eſt ſpecies, illa plantæ. & ipſa quoq; genera diuerſa, vt animal & planta. Poſſumus addere iſtis ea,
†quæ prædicamentis differũt, vt homo & cã- 13
dor, quorum homo ſubſtantia, cãdor eſt qualitas. Quæcũq; ergo prædicamentis differunt, genere differunt: & quæ genere, etiã & ſpecie: & quæ ſpecie, ſingulatim differũt. Cõtrà, quæcunq; ſingula ſunt eadem: hoc eſt, quæ numero vna dicuntur, etiã ſpecie ſunt eadem: & quę ſpecie ea genere: & quæ genere, prædicamẽto quoq; ſunt eadem. Quo fit, vt maxima differentia, & minima vnitas ſit in prædicamento: contrà, minima differentia, maxima vnitas ſit in ſingularibus. Quorũcunq; autem duorum, alterum de altero negatur, ea vt minimum ſingulatim, hoc eſt, numero oportebit differre. Nolim autẽ quenquã fefellerit nominis huius ambiguitas, qua dicimus aliqua ſingulatim, vel numero eadem eſſe, vel differre. Quãdoq; enim aliqua numero eadem vocamus, quantum ad ſubſtantiã ſuã pertinet, vt idẽ numero

*Dupliciter aliqua dici idem numero.*

dicimus

dicimus hominem, & animal rationale, quoniam eadem eſt vtriuſq; ſubſtantia: & Ciceronem vnũ numero dicimus, quoniam nulla eſt ipſius ad ſeipſum differentia. Quandoq; vero denominatione dicimus eadem: vt idem numero dicimus Ciceronem & eloquentem: nõ quòd idem ſit Ciceronis & eloquentiæ ſubſtantia, ſed quod inſit Ciceroni eloquentia, atq; ob id, idem & Cicero & eloquens vocetur. Verũ in præſentia de eis ſolum dicimus, quę ſubſtãtiis eadem ſunt, atq; differunt, quoniam denominatione idem differens à ſe dici poteſt: vt Cicero vir, à Cicerone puero, non ſubſtantia, ſed ætate differt: & contrà, quæ maxime differunt, eadem dicuntur: vt idem & homo, & muſicus, & pater dicitur, cum ſubſtantiis hęc tria, prædicamento differant. ¶ Sanè omnia argumenta huiuſmodi, In foro eſt, ergo nõ eſt ruri, Et illo tempore factũ eſt, ergo non eſt hoc tempore factũ, Et mea res eſt, ergo non eſt tua, Et huius eſt filius, ergo non illius, ad hunc locum redigũtur. Quoniam enim ea natura eſt rerũ, vt tantum vnum aliquod iſtorum de re dici poſſit, (nec enim poteſt aliquid niſi in vno loco eſſe, nec niſi in vno tẽpore factũ eſſe, quæq; reliqua ſimilis ſunt conditionis:) ergo cum vnũ aliqd de re affirmaueris: reliqua omnia, quæ ab eo in eodem genere differunt, negabũtur de eadẽ. ¶ †Erit fortaſſe, cui videatur, neq; *Vſus horum loco rum.* *Obiectio prior.*

14

repugnātia ab aliis locis, neq; ipſa quidem in-
ter ſe oppoſita, & differentia, ſatis diligenter
eſſe diſcreta. Nam vt prius de hoc dicamus,
quod poſterius ſumpſimus , pater & filius,
quæ relata ſunt, & calidū & frigidū, quæ con-
traria, nemo eſt qui dixerit iſta non eſſe diffe-
*Obiectio altera.* rentia. Deinde priuantia quoq;, & contradi-
centia, cū eadem eſſe nō poſſint, differāt neceſ-
ſe eſt. Iam quod ad reliquos locos pertinet, ca-
lidū & frigidū † in adiacentib⁹ diximus, & pa 15
trem & filiū numerauimus † inter cōnexa, † & 16
partium & totius ſui ſunt loci: † ita etiam homo 17
& equus ſpecies ſunt, & † animatū, & inanima 18
tum propria: vt videatur († id quod antea in 19
Boëtbio annotauimus) repugnātia per omnes 20
*Solutio obiectionis prioris.* ductum iri locos. ¶ Non negauerim vera eſſe
quæ contrà dicuntur, Verum non ob id effici-
tur, vt perturbentur loci. quod facile videbit,
† qui meminerit eius quod diximus etiā antè. 21
locorum diſcrimen, nō tam ab rerum naturis,
quas habent per ſe quæq;, accipi: quàm ab ha-
bitudine, quam ſumunt inter ſe comparatæ.
Quod itaq; ad oppoſita & differentia attinet,
certū eſt contraria ſpecie inter ſe differre: & re-
lata quidem quomodo differāt, haud temere
affirmauerim. Verū vtcunq; ſit, cū certa inter
ſe lege differant vt vni tantū vnū opponatur,
oppoſita dicimus ea, propter certā & deſtina-
tam ex natura ſua repugnantiā, qua velut ſin-

gula è regione alterum cõtra alterũ certo ſunt ſtructu locata. Pater itaqꝫ & fili⁹, oppoſita ſunt inter ſe cõparata: cõparatus autem quantũ ad ſubſtantiam ſuam, pater domino, filius ſeruo, non opponi dicentur iſta, ſed differre. Sic calidum & frigidũ inter ſe contraria ſunt: calidum & dulce, frigidũ & humidum differentia. Relata ergo & cõtraria (vt dicimus) quanq̃ inter ſe comparata opponi proprie dicantur, differunt tamen etiã: ſed oppoſita potius dicuntur, quod certioris eſt & acrioris repugnantiæ nomen. Contradicentia autem & priuantia, differentiæ nomen nõ accipiunt. Cum ſit enim differre dictum, quaſi in diuerſum ferre, non poteſt id niſi inter rem & rem fieri: at contradicẽtia & priuantia, vna quidem parte res ſunt, vt viſus & ſedens: alia parte tantum negationem rei ſignificant, vt cæcitas & non ſedens. Non magis ergo poſſunt iſta inter ſe differre, quàm (quod dici ſolet) viui cũ mortuis bellum gerere. Haud abſimile iis, quæ dicta ſunt, fuerit, quod reſponderi poſſit ad eam partem, qua dicebatur, repugnantia per alios ſparſa locos eſſe. Poſſunt enim ea quæ repugnantia dicuntur, nonnunquàm accipi ſeorſum quodlibet, vel ſaltem ſic, vt non componantur inter ſe, & vel alterum de altero dicantur, vel ambo de tertio aliquo. hoc enim modo ſuis quæqꝫ redduntur locis. At cum vel in tertium

*Poſterioris obiectionis dilutio.*

aliquod incidunt,vel alterũ de altero dicitur, repugnantia ſunt,huiusq́ loci propria fiũt. Totum itaq; & pars ,pater & filius , niſi de altero dicatur alterũ,aut ambo de tertio aliquo nequaquam repugnant: quippe quorũ alterum altero conſtat,neque ſine altero vel fieri poſſit vel eſſe. cũ vero quis dicat,exempli cauſa,iraſcibile in anima partẽ eſſe ipſius , alius diſcretã per ſe diſtinctamq́ eſſe animã:certum eſt repugnare iſta,quòd idem totũ eſſe faciãt & partẽ. Sic album & nigrũ quibus inſunt comparata, non contraria ſunt ſed adiacentia. Sic currere non currere,non cõtradicunt:ſic quieſcere & moueri,non priuatiue repugnant:ſi de homine illa,iſta de lapide dicãtur. Illud tamen prætereundũ nõ eſt,contradicentiũ priuatorumq́ partes eas,quæ negant,non poſſe in aliũ cõferri locum. Cũ enim negatio,non ſignificari,non intelligi ſine affirmatione poſſit:ſemper repugnantiã eius quod negat, præ ſe ferat neceſſe eſt. Nõ currere nanq; ſine curſu,nec cæcitas ſine viſu,intellectu cõprehendi nequit. Cumq́ negationem ſignificent,ſemper in eis & negatio & curſus viſusq; intelligitur: habentq́ velut innatã quandã in ſe repugnãtiam ad id,cui contradicunt,aut cui priuatiue repugnant. Habent autem hi loci propriũ hoc, quòd non poteſt ex ipſis quicquam confirmari directe, ſed e diuerſo: vt ſi in vno neges,in altero affirmã-

*Notatiũcula.*

*Quid ſit his locis propriũ.*

dum eſt:contraq́ alterius affirmatione negandum eſt alterũ. vt ſi dicas, iſte pater eſt: ſequitur non eſſe filiũ:& filius eſt,certũ eſt patrẽ non eſſe.ſic,cæcus eſt,ergo nõ videt:contrà quoq;,
22 videt,igitur cæcus non eſt. † Cõplectimur tamen nõnunquã hincinde repugnantia,atq; di recte probamus. Vt ſi lucrũ eſt habere,damnũ eſt pdere,Si vtile eſt poſſidere,inutile eſt amit
23 tere.†Illud vero argumẽtandi genus, An perdere poſſim quæris:ſeruare potui.&, Cui totũ dederã,illi negarẽ partẽ:non ex repugnantib9 eſt,ſed à maiori.neq; enim vt repugnantia hic ſumuntur,ſed conſentanea ad id, quod inſtituis confirmare:& vt ſit alterũ altero maius & difficilius effectu.Neq; enim quia ſeruare repugnat ei quod eſt perdere, probatũ à ſe putat Medea, perditum ire ſe poſſe Iaſonem:ſed quia difficilius maiorisq́; negotii eſt, ſeruare, quàm perdere.Sic etiam, quia maius eſt totũ donare quàm partem,probabit nõ ſe cunctaturum in parte,cum dederit totum. *Altera notatiuncula.*

SCHOLIA IN CAPVT XXVII.

1 *S† Ed oſtendere volui,in eam conditionem, quo modo Boëthio viſum eſt &c.] Aliam eſſe ſententiam Boëthij quàm refert Rodolphus,ſupra oſtenſum eſt. Non enim dit vir ille,repugnans eſſe, quicquid contrarium eſſet conſequentis,ſed quod eſſet conſequens cõtra-*
2 *rij. Sed de hoc prius.* ¶ *† Adeóq; lõge magis repugnat.] Maior,inquit,pugnãtia eſt inter hominem & virtutem, quàm inter hominem & irrationale.propterea quòd ho-*

*mo & rationale ſub eodem genere, nempe animali, conti-
nentur: homo autem & virtus, diſcreta diuerſáq; genere
ſūt: ſiquidē homo ſubſtātia eſt, virtus qualitas.* ¶ † Quod 3
autē vulgo dicimus.] *Vulgo, inquit, dicimus homini nō
repugnare virtutē, nō hoc intellectu, quaſi homo id eſſe
poßit quod virtus: ſed quòd virtus homini poßit ineſſe.
Iam aliud eſt, poſſe homini ineſſe: aliud, poſſe eſſe homi-
nem.* ¶ † Et quæ nos oppoſita, Cicero contraria dixit.] 4

Contrariorum diuiſio apud ciceronē.

*Cicero in topicis ita diuidit contraria, vt partim aduerſa,
partim priuātia, partim collata cū aliquo, partim deniq;
negantia dicantur. Boëthius quarto cōmentariorū libro
quos ſcripſit in topica Ciceronis: Sed M. Tullius (in-
quit) non tam proprijs nominibus quàm notioribus vti-
tur. Ait enim contrariorum alia eſſe quæ aduerſa vo-
centur, alia quæ priuantia, alia quæ in comparatione
ſint, alia quæ aientia & negantia nuncupentur. Sed
quæ contraria nominat, oppoſita verius dicerentur:
quæ aduerſa dicuntur, contrariorum melius ſuſciperent
nomen: quæ in collatione nominat, ea relatiua vel ad ali-
quid certius vocarentur. Sed vtatur nominibus vt vo-
let, dum res ipſæ certa proprietatis ſuæ ratione ſignen-
tur.* ¶ † Oppoſita ſunt quæ repugnant vnum vni.] 5

Obiectio cum ſua dilutiōe.

*Quomodo vnum vni, cum ex ſententia Ariſtotelis, ma-
lo non tantum bonum, ſed & aliud malum contrarium
ſit? cū vni timiditati, non modo repugnet fortitudo, ſed
& temeritas? Quanquā Ariſtoteles hac parte ſatis eſt va-
rius, vt qui in libris de cælo, vnum vni aiat eſſe cōtrariū:
in categorijs, vni interim plura.* Diuus Thomas *Aqui-
nas, in ijs cōmentarijs quos ſcripſit in libros de cælo, hunc
nodum hiſce verbis diſſoluit:* Eidem, *inquit, ſecundum
idem eſt vnū tantum contrarium: nihil tamen prohibet,
quin vni ſecundum diuerſa ſint plura contraria: ſicut ſi-*

*ſit idem ſubiectum dulce & album, contraria ei videntur nigrum & amarum. Sic igitur illiberalitati contrariatur virtus liberalitatis, ſicut ordinatum inordinato, prodigalitas autem, ſicut ſuperabundantia defectui. Hactenus recenſuimus verba illius. A Boëthio oppoſita finiũtur hoc modo: Oppoſita ſunt, quæ in eodem, ſecundũ idẽ, in eodem tempore, circa vnam eandemq́; rem, ſimul eſſe* Oppoſita quo modo finierit Boëthius.
6 *non poſſunt.* ¶ † *Ea Ariſtoteles ijs fermè verbis.* ] *Græca ſi quis forte requirat, ſic habent:* λέγεται δὲ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς. ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς στέρησις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις *In ſumma hoc dicit. quatuor eſſe genera oppoſitorum, relatiua, con-*
7 *traria, priuantia, & contradicentia.* ¶ † *Poteſt autem dubitatione dignum videri.* ] *Non video equidem quid ſit cur obiectio hæc magnopere moueat aliquem. Nam cum dicitur, vnum vni opponi, id de ſpeciali, non de numerali vnitate accipiendum eſt. Ergo vt quis centum habeat filios, tamen quatenus pater eſt, vni tãtum (de ſpeciei vnitate loquor) opponitur, nempe filio: ſiquidem omnes illi ſpecie idem ſunt, & in communi filij ratione conueniunt. Secus fuerit, ſi dicas patrem ea ratione qua pater dicitur, referri ad filium & vxorem. hic enim vnum op-*
8 *poneretur duobus ſpecie diuerſis.* ¶ † *Quemadmodum & iuriſperiti, patri ſuam in quenque filium deſcriberent patriam poteſtatem: & domini in quenque filiũ, & ſeruum, proprium diſcretumq́; ius mancipij:* ] *De his lege inſtitutionum imperialium librum primum, capite, de in ſeruũ. his qui ſui aut alieni ſunt iuris. Et. ff. eodem titulo. Item C. de patria poteſtate. Atque fuit ſanè olim patri in liberos vitæ necisq́; poteſtas. cui deinde poteſtati adeo derogatum eſt, vt ne libertatem quidem, nedum vitã liberis* Poteſtas patris in

auferre patri liceret. l. libertati. C. de patria poteſtate. Quocirca ſupra etiam monuimus, cautius accipiendum eſſe id quod ait Rodolphus, patrem adoptiuum, vitæ neciſq; poteſtatem in eum quem adoptarit, accipere. De dominorum poteſtate in ſeruos, Caij iureconſulti verba ſic habent: Igitur in poteſtate ſunt ſerui dominorũ, quæ quidem poteſtas iuris gentium eſt. Nã apud omnes peræque gentes animaduertere poſſumus, dominis in ſeruos vitæ neciſq; poteſtatem fuiſſe: & quodcunq; per ſeruum acquiritur, id domino acquiritur. Sed hoc tẽpore nullis hominibus, qui ſub imperio Romano ſunt, licet ſupra modũ & ſine cauſa legibus cognita, in ſeruos ſuos ſæuire &c. l. prima. ff. eo quem diximus titulo. ¶ † Neque noſtræ, 9 quod aiunt, farraginis. ] Materiæ, propoſiti, inſtituti.

Contraria. ¶ † Contraria ſunt. ] Contraria, inquit, ſunt repugnantia ea, quæ in diuerſis ſubiectis vno eodemq; tẽpore ineſſe 10 poſſunt: & alterũ ſubſiſtere in rerum natura poteſt, etiã ſi non ſit reliquum. Diſtant ergo contraria à relatiuis, quòd ea eodem tempore, aut eſſe ambo, aut nõ eſſe neceſſum eſt. Diſtant etiam à priuantibus & contradicentibus, quòd contraria eodem tempore eſſe in diuerſis poſſunt, contradicentia & priuantia non poſſunt. Nam in eodem ea ſubiecto ſimul ineſſe nequire, id planum eſt. at cum diuerſis ſubiectis accommodantur, iam deſinũt eſſe contradicentia & priuãtia. Neq; enim philoſophari & non philoſophari contradicunt, ſi ad Platonem vnũ, alterum ad Demoſthenem referatur, Et cæcitas illa Democriti, non fuit priuatio viſus in Lynceo. Secus habet in cõtrarijs. Nam ea nomen retinent ſuum, etiam cum in diuerſis reperiuntur ſubiectis. Vt dulcor & amaror, & ſi alterum in melle, alterum in felle ſit, dicuntur nihilo minus eſſe contraria. At enim quo (inquies) pacto ait con-

Obiectio.

traria alterum ſine altero eſſe poſſe, cum Ariſtoteles ſecundo libro de cælo confirmet, terram non poſſe eſſe ſine igni, eo quòd neceſſarium ſit, contrariorum aut vtrunq; eſſe aut neutrum? Sanè quæ Ariſtoteles eo in loco dicit, Dilutio. ea in ſolis elementis locum habere vel hinc liquet, quòd idem ait in categorijs, poſſe alterum ex contrarijs eſſe vt non ſit reliquum. Et quid vetat ſanitatem ſine ægritudine eſſe? quid ſine nigro album? quid fortitudinem ſine timiditate? Cicero in rhetoricis cõtrarium finit hoc modo: Cõtrarium eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eo cui cõtrarium eſſe dicitur, plurimum diſtat, vt frigus calori, vitæ mors. Hodie vulgus ea ſic finit: Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum à ſe inuicem diſtant, & eidem ſubiecto quod modo eorũ ſit capax, viciſsim inſunt, à quo ſe mutuo expellũt, niſi alterum eorum inſit à natura.

¶ †Quapropter neque colores quos medios vocant.] Obiectio. Recte illud, colores medios non eſſe inter ſeſe contrarios. Verum illud interim male habet animum meum, quòd non video, quo modo his non conueniat cõtrariorũ finitio. Contraria (inquit Rodolphus) ſunt repugnantia, quorum vtrunq; poteſt ſimul exiſtere, & alterum ſine altero eſſe. Iam repugnare inter ſe medios colores, verbi cauſa rubrum & viride, eſt manifeſtum, cum ita inter ſeſe diſsideant, vt neutrum poſsit dici id ipſum eſſe quod alterum. neq; eſt cur negemus poſſe ea ſimul & ſeparatim eſſe, quo fit, vt coloribus medijs tota conueniat contrariorum finitio: quod ſi demus, iam ne contrarios quidem eos eſſe inficiari poterimus. Et (vt obiter quædam addamus his etiam abſurdiora) quis non videat, omnibus propemodum differẽtibus accommodari poſſe diffinitionem contrariorum quam ponit Rodolphus? an non repugnantia ſunt Cato & Cicero? non'ne eodem tẽpore

*ambo fuerunt? nónne rurſum ſolus Cicero fuit, Catone iam mortuo? Quid? ſcientia & virtus, nónne ita per ſe diſsident, vt non poſsit alterum dici id ipſum eſſe quod alterum, ac proinde repugnantia ſunt? Sunt profectò. neq; negari poteſt, & ſimul iſta & ſeparatim eſſe poſſe: quamobrē hæc quoq; iam nobis iuxta Rodolphi finitionem dicenda erunt contraria. quo quid dici queat abſurdius? Quod ad me attinet, mallem ego hac parte alterius audire ſententiam, quàm quid ſentiam ipſe, temere effutire. Et quidem ante omnia non puto vllo modo eſſe faciendū mihi, vt ſine cauſa videar ſuggillare voluiſſe Rodolphum, hominem longe aliter meritum de ſtudioſis omnibus: cuius etiam nomen mihi venerādum quiddam præ ſe ferre videtur. certe quoties nominatur à me, honoris gratia nominatur. ac proinde vellem equidē, id quod iam dixi, digniorem ſe patronum contigiſſe homini longe doctiſsimo, qui tueri ſic poſſet hanc eius finitionem, vt oſtenderet, quomodo ſalua illa, ea quæ differentia ab Rodolpho ipſo dicuntur, ſubmoueri queant ex albo contrariorum. Ego tametſi quanto licuit ſtudio id egi, vt mihi vel archetypum ipſum, vel alioqui emendatum aliquod compararem exemplar: hactenus tamen ſpe ea fruſtratus ſum: neq; vllum aliud contigit, quàm quod excuſum Louanij, infinitis propemodum mendis contaminatum eſt. quorum vt pars maxima reijci in typographos poteſt: vt quod in capite de partibus orationis, toties cū totius ſententiæ iactura, pro enumeratione legitur enunciatio, & ibidem in exemplo Quintiliani pro gladio gaudium, aliáq; id genus propè innumera: ita quædā rurſus, quēadmodum partim iam indicauimus, partim ſuis locis indicaturi ſumus, non illorum vel inſcitia vel negligentia irrepſiſſe, ſed initio parum emendate ſcripta fuiſſe mihi*

videntur. Apparetq́; exemplari illos vſos eſſe, quod aut ſcripſerit aut dictarit Rodolphus ipſe, verum non in hoc tamen dictarit aut ſcripſerit, vt ſic prodiret in lucem: ſed vt poſt menſem vnum aut alterũ, ſub incudem reuocatũ, emendaretur diligentius: & ſi quæ adhuc labeculæ (ita vt ſolet) occurrerẽt, eæ quàm exactiſſima cura eluerẽtur. Ergo vt tandem aliquando veniamus ad id, quod in præſentia agitur, non negauerim ego, ab Rodolpho ſcriptum ſic eſſe vt exemplaria habent: ſed & illud econtrario auſim contendere, nihil minus illũ ſcribere voluiſſe, quàm id quod ſcripſit: vt iam calami lapſus verius dici poßit quàm hominis. Diuiſerat ſuperius repugnantia in oppoſita & differentia, feceratq́; vnũ genus oppoſitorũ contraria. Itaq; cõtraria ipſa definiturus, mirũ ni genus proximum, id eſt oppoſita, in illorum ponere finitione decreuerat. quod ſi feciſſet, nihil prorſus eſſet admiſſum flagitij. Nunc cum vtrunque nomen, tam repugnantium quàm oppoſitorum, recenti adhuc memoria hæreret, alterum (vt fit) pro altero incurrit in calamum. Nos ergo non tam id quod calami error expreßit, quàm quod author ipſe proculdubio ſcribere voluit, in contrariorũ finitione ponamus, legamusq́; hoc pacto: Contraria ſunt oppoſita, quorũ vtrunq; poteſt ſimul exiſtere, & alterum ſine altero eſſe. Id ſi faciemus, cõtinuo excluſa erunt oĩa ea, quorũ mentionẽ iã fecimus, quãdo nihil horũ omnium eſt, in quod cõpetat nomen oppoſitorũ, eo dũtaxat intellectu, quo oppoſita definit Rodolphus. Et in præſẽtia quidẽ hæc ſola ratio tollẽdi ſcrupi huius mihi occurrit: quæ ſi cui minus probabitur, is meliorẽ afferat, & nos minime pertinaces erimus in ſententia noſtra. Porrò quod meminit de ſpeciebus colorũ & ſaporũ, de his multa Ariſtotel. in libro de ſenſu & ſenſili. Et de coloribus rurſum Aulus

Eadẽ & Gellius libri ſecundi capite 26. ¶ † Differunt autẽ oĩa. ] 12
diuerſa. Dicit id quod hodie lõge decantatiſsimum eſt apud oẽs,
nempe trifariã aliqua eadem aut differentia ſiue diuerſa
Genere. dici, genere, ſpecie, & numero. Genere eadẽ ſunt, quæ ſub
eodem genere continentur. vt temperantia & fortitudo,
quorum genus eſt virtus. Diuerſa genere dicuntur, quæ
Specie. ſub vnũ genus non cadũt. vt equus, velocitas. Specie ea-
dem ſunt, quæ eadẽ ſpecie continentur. vt Virgilius, Ci-
cero. Diuerſa, quæ eadem ſpecie non continentur. vt hæc
Numero. vulpes, hic leo. Numero eadẽ dici ſolent, quorũ inter nu-
merandum alia ab alijs nõ diſcernuntur. Atq; id rurſum
quatuor fit modis, nomine, finitione, proprio, & acciden-
te. Sed cũ horũ plena ſint omnia, nos eis miſsis, pergamus
ad alia. ¶ † Quæ prædicamentis differũt. ] Nimis quàm 13
ridicule illi, qui ſomniãt intereſſe neſcio quid inter diffe-
rentia & diuerſa: quaſi diuerſa ea ſola dicantur, quæ in
diuerſis inſunt categorijs: reliqua differentia. Cuius fari-
næ eſt & illud, quod apud Petrũ illum ſuũ Hiſpaniẽſem,
aliud eſſe aiũt præſentare, aliud repræſentare. Præſentat
(inquiunt) vox ſeipſam, repræſentat rem ſignificatam.
¶ † Erit fortaſſe cui videatur. ] Duas affert obiectiones 14
aduerſus ea quæ hoc capite dicta ſunt. Earũ prior hæc eſt.
Obiectio Oppoſita omnia etiã ſunt differentia: ergo nõ fuit facien-
prior. dum Rodolpho, vt locũ hunc repugnantium in oppoſita
Dilutio. differentiaq; diduceret. Cui obiectioni hunc in modũ oc-
currit ipſe. Contradicẽtia, inquit, & priuatiua nullo mo
do differentia dici queunt, propterea quòd ea tantũ dif-
ferre dicuntur, quæ vtraq; ſunt: contradicentiũ verò &
priuatiuorũ alterũ ſemper non eſt. Contraria autẽ & re-
latiua, ſi nõ cũ ſuis quæq; oppoſitis, ſed cũ alijs quibuſdã
conferantur, nihil vtiq; vetet dici illa & differentia. vt
ſi patrẽ nepoti, album rubro, maritum ſocero aut ſocrui

12 compares. Quoties autem cũ ſuis committuntur oppoſi-
tis, vt cũ nigro albũ, pater cũ filio, cum vxore maritus: iã
etſi poſſent fortaſſe differentiũ vtcunq; appellationẽ re-
cipere eo quòd vel genere vel ſpecie differãt: aptius tamẽ
oppoſita dicũtur, propterea quòd non quoquo modo, ſed
certa quadã lege alterũ ita contra alterũ dirigitur, vt op-
ponatur vnum vni: quod non ſit ita in differẽtibus. Itaq;
in ſumma hoc dicit: Si differentiũ vocabulo intelligeren- Summa
tur oĩa ea, quæ quomodocunq; ita inter ſe pugnãt, vti neu ſolutio-
trum queat dici eſſe id ipſum quod alterũ: dari poſſet, & nis.
contraria quoq; & relatiua differẽtia eſſe. Atqui nunc ea
ſola hoc nomine donamus, quæ nullo certo ductu inter ſe
pugnant, ſed ſubſtãtijs modo dimota ſunt, poſſuntq; plu
13 ra repugnare vni: cuiuſmodi haudquaquã ſunt cõtraria
relatiua, quoties ad ſua ea referũtur oppoſita. ¶ At enim Obiectio
repugnantia (inquies) ſparſa ſunt diffuſáq; per locos altera.
omneis, quocirca parũ cõſiderate Rodolphus, qui ſuũ illis
locũ deſcripſit. Hãc quoq; cauillatiũculã ita refellit Rodo.
vt dicat repugnãtia bifariã cõſiderari poſſe: principio, ita
vt ipſa inter ſe conferantur, atq; hac ratione per alios ea
14 locos diffuſa non eſſe. deinde, vt ſpectentur ſingula ſeor-
ſum, ac ſi certe, vt ne ipſorũ inter ſe fiat cõparatio: quo pa
cto repugnantiũ ea nomen amittere, & per omnes locos
diffundi. Verbi cauſa. Dulcedo ſi conferatur cum amari-
tudine, ad ſolũ hunc oppoſitorũ pertinuerit locum. Con-
fer eandem ſapori, iam ſpecies erit: confer cum dulcedine
hac aut illa, & genus dicetur. eadem collata melli eſt adia
15 cens, albo contingens &c. ¶ †In adiacentibus.] De his
16 ſupra capite vndecimo. ¶ †Inter connexa.] Quorũ na-
17 tura explicata eſt capite vigeſimo. ¶ †Et partium & to-
tius ſui ſunt loci.] Quemadmodum dictum eſt ſupra ca
18 pite nono. ¶ †Ita homo & equus ſpecies ſunt.] Porrò

*quid ſpecies & quid genus, id explicatum eſt libri huius*
*cap. quinto & ſexto.* ¶ †*Animatum & inanimatũ pro-* 19
*pria.] De quibus eſt caput octauum.* ¶ †*Id quod antè in* 20
*Boëthio annotauimus.] Capite vigeſimoprimo, in quo*
*de accidentibus agitur.* ¶ †*Qui meminerit eius quod di-* 21
*ximus etiam antè.] Capite vigeſimoſecundo.* ¶ † *Com-* 22
*plectimur tamen nonnunquam hinc inde repugnantia.]*
*Creberrimum eſt hoc genus argumentandi apud authores, vt mirum mihi videatur, eos qui vulgo dialectica in gymnaſijs docent, nihil aliud in ore habere quàm illa Hiſpaniẽſis, albus eſt, ergo niger non eſt: cæcus eſt, ergo non videt: homo eſt, & non ſanus, proinde æger. Quam argumentandi formam vt non improbo, ita illam alterã ſcio apud authores omnes longe eſſe frequẽtiorem: cuius aliquot ſubijciemus exempla.*

*Si ſummum malum eſt viuere cum doloribus, conſentaneum eſt, ſummum eſſe bonum viuere cum voluptate. Ex Cicerone primo libro de finibus.*

*Bonum liberi, miſera orbitas: bonum patria, miſerum exilium: bona valetudo, miſerũ morbus: bonũ integritas corporis, miſera debilitas: bonum incolumis acies, miſera cæcitas. Ex eiuſdem operis libro quarto.*

*Quintilianus libro duodecimo: Age non ad perferendos ſtudiorum labores neceſſaria frugalitas? quid ergo ex luxuria ſpei?*

*Idem libro quinto: Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum cauſa bellum eſt, erit emẽdatio pax. Si veniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium, qui imprudens profuit.*

*Si iſtæc quæ calidiora ſunt, difficilius gelu coguntur: congruens eſt, vt quæ frigidiora ſunt, facile cogantur. Ex noctibus Gellianis lib. decimiſeptimi cap, 8.*

*Si ſtultitiam fugimus,ſapientiam ſequamur:& bonitatem,ſi malitiam.Sic in topicis Cicero.*

*Si anima quæ peccat,ea morietur: ergo quæ non peccat,ea viuet,*Ex *Hieronymo.*

*Si euangelium eſt virtus dei in ſalutem omni credenti,ergo in perditionem omni non credenti.*Ex *epiſtola ad* Romanos.

*Quia deus gratia mouetur,ergo & iraſcitur.* Ex *Lactantij libro de ira dei.*

*Nam ſi deus non iraſcitur impijs, atq; iniuſtis, nec pios vtiq; iuſtoſq; diligit.*Ex *eodem.*

*Si eius qui male facere cupiat,non facta ſolum,ſed & propoſitum odiſſe vlciſciq; oportet: gratia econtrario habenda eſt benefaciendi cupido,etiam ſi nequierit id quod velit perficere.*Ex *libello Plutarchi, de diſcernēdo amico, & adulatore.*

*Cicero in quadam Philippica: Cuius ſingularem prudentiam admiramur,eius ſtultitiam timemus,Quãquam hic magis ſimplex illud argumētandi genus ſubeſſe apparet.ac ſi dicat hoc modo:In Cæſare Octauio ſingularis ineſt prudentia,ergo ſtultitia in eo nō eſt. Cui non diſsimile eſt illud Fabij Quintiliani: Qui ſapiens eſt,ſtultus non eſt.*

23 ¶ † *Illud verò argumentandi genus, An perdere poſſum quæris? ſeruare potui.*] *Verba ſunt Medeæ apud Ouidium,qua de re ita Quintilianus libro octauo: Nam cum ſit rectū:nocere facile eſt,prodeſſe difficile: vehementius apud Ouidium Medea dicit,Seruare potui, perdere an poſsim rogas?*

*¶ Quid diſcriminit ſit inter locos ſuos,& aliorum.*
CAPVT. XXVIII,

*Quid interſit inter locos Rodolphi & aliorum.*

PRæter hos autem quos hactenus
executi ſumus locos, alij quidem
alios quàm nos quoſdam fecerũt,
& quoſdam traditos à nobis præ-
terierunt: neq;, vel eiſdem nominibus omnes,
vel eodẽ diſpoſuerũt ordine. Cicero quidẽ an-
tecedentia, conſequentia, repugnantia poſuit,
quæ ſi ita capiantur, quẽadmodũ ille voluit ea
accipi, †oſtẽdimus inter locos nequaquã poſſe 1
poni. At ea quæ nos propria, quæ finẽ, quę de-
ſtinata, quæq; etiã in tres diuiſa locos applicita
diximus, in nullum Ciceronis locũ poterũt in-
cludi. Quod quidem de fine, & deſtinatis per
omnes eunti locos facile eſt videre. ſed ꝓprij
locus inter antecedentia ponetur fortaſſe: †ſed 2
eo pacto, quo contendimus omnes ferè locos
inter antecedẽtia poſſe numerari, & quo ante-
cedentia non eſſe locum docuimus. Applicita
autem, vt locum & tẽpus, voluit Cicero vt in-
ter adiuncta ponerentur. Sed Boëthius ex iis
credidit probabile ſolũ duci argumentũ: at ex
loco & tempore ſæpe neceſſariũ ducitur. †Vt, 3
quod nõ violauerit Clodius ſacra Bonæ deæ
Romæ, cum ſacrorũ tempore, non Romę fue-
rit, ſed Interamnæ. Simul hic ex loco & tẽpore
ductum eſt, & quidem neceſſarium argumen-
tum. Non poteſt culpa male conſultorum ante
Phocenſe bellum in Demoſthenem conferri,
nondũ enim rempublicã attigerat. ex tempore
eſt.

5 eſt.† Non poſſunt ſidera ali humore, nullus enim humor eò peruenire poteſt.ex loco ſumitur.Ita ex connexis: non es imperator meus, quoniã nõ ſum miles tuus. Quæ omnia argumenta còhærent recte,& neceſſario conficiunt. Ergo fortaſſe iam dicemus ea ex antecedentibus eſſe ducta: quodq; ineptiſſimũ eſt, cũ locũ ex quo inuenire debeas cognitũ antè eſſe oportear,quàm inuenire ex ipſo queas:nos contrà, cũ inuenerimus cõſtituerimusq;, neceſſariũ ſit an probabile argumentũ,tum demum ex quo ductum ſit loco cognoſcemus.Adiacẽtia etiã, actus,& ſubiecta,itidem in adiũctis eſſe cenſebũtur:ſimiliter & cõtingentia,ſex loci in vnũ, hoc eſt,quàm ampla facultas in quãtas coacta anguſtias?Themiſtius forte hos inter cõmuniter accidentia poſuerit:niſi tamen ſubiecta ad materiam maluerit referre . Ego iſtos locos exactiſſime diſtinguẽdos arbitror,auſimq; cõſtanter affirmare, nullos omniũ crebrius, aut expeditius vſu venire. Quod non ſolum qui poëtas oratoresq; reuoluet, verũ eſſe ſciet : ſed & qui philoſophos eos excutiet, qui intimã & in abdito poſitã ſcrutãtur rerũ naturã, nedum qui mores hominũ tractãt, quorum omnis ex profeſſo circa iſta verſatur labor. Nanq; ex eis qui in ſubſtãtia ſunt, atq; ex cauſis, vt certiſſima & indubitata eruuntur argumẽta, ita raræ felicitatis eſt,vt ſit eorum nobis copia parata.

Cum ſint enim arctiſſime coniuncta rebus, ple runq; perinde ſunt ac res ipſæ, aut cognita no bis, aut ignorata. Locum quem ex partiũ enu meratione Cicero, & Themiſtius ex diuiſione vocauit, nõ putaui ponendum. Nam ſi partes omnes cum collegero, ad totũ deinde progre diar: paries, tectũ, fundamenta, quæq; reliqua ſunt mea ſunt, tota ergo domus mea eſt: aper tum eſt id argumentũ e loco qui à partibus di citur duci. Si ſic dicã, habet iuſtitiam, fortitudi nem, modeſtiam, prudentiã, ergo omnes vir tutes habet: à ſpecie eſt. Sin dixero, eſt virtus, & non prudentia, iuſtitia, tẽperantia, ergo for titudo: ſic etiã, eſt pars domus, & non tectum, paries, tabulatũ, ergo fundamentũ: à differen tibus ducta erũt hæc argumenta. Cumq; nõ ſit alius diuiſionis & partiũ enumerationis apud authores vllos vſus, mihi haudquaquam ne ceſſarius videtur locus, qui ex iſtis deſcriptus eſt: cum proprie & aptiſſime ad illorum quos dixi locorum naturã accõmodentur. Tum lo cus qui Themiſtij eſt de generantibus, ab effi cientibus nobis erit. non eſt enim aliud gene rare rem, quàm efficere. Corrũpentia vero pri uatiua ſunt. corrũpere nanq; nihil eſt efficere, ſed ſolũ id quod eſt vt non ſit eniti. Vſum etiã inter locos poſuit, cum recte dicemus à fine. quantũ enim ad vtentẽ pertinet, idem eſt finis rei qui vſus. Deſcriptionem quam inter locos

quiin ſubſtantia ſunt ille numerauit,ego,quia hocſolum definiendi genus relictũ nobis puto,à definitione nõ diſcreui. quod cũ de definitione dicerem,plenius ſum proſecutus.Prȩterea quem locũ Cicero à notatione, Themiſtius ab interpretatiõe,ego à nomine rei malui
6 dicere.† Quoniã (vt docuimus) non ſolũ ex interpretatione argumentũ nobis præbet nomen,ſed in plures patet vſus. Quæ vero ſimilia Cicero,quæq; Themiſtius ſimilia itidem dixit,& eſſe in qualitate,& quantitate, & maiora etiam eſſe & minora, ea cõparata dixi, quemadmodum Cicero. Nanq; quem locũ Cicero ſimiliũ fecit, is in eum qui eſt inter cõparata à paribus recidit. At quæ nos ſimilia dicimus, Cicero ea nõ habet, Themiſtius vocauit à pro-
7 portione.† Quam formã autem dixit Cicero, cũ ſpeciem maluiſſet, niſi quia ſpecierũ & ſpeciebus credidit latine non poſſe dici, cum nũc locũ omnes recte an ſecus ſpeciem appellant.
8 †Iam contraria maluiſſem dicere (vt Cicero) ea quæ oppoſita vocant omnes,niſi omnes ita vocarent. Caſus autem quoniam tenuiſſimo à coniugatis diſcrimine ſecernuntur, eſtq; ſimilis & rarus proinde vſus ipſorum, quoniam Cicero in coniugatis incluſerit, ego ſecludenda non putaui. Tranſſumptionẽ,vel (vt nos) trãſlationem,in rei nomine ad quod pertinet, rectius poſuiſſe videmur,quàm vt proprium

illi daremus locum. ¶ Ordo quoq; non idē eſt apud Ciceronē locorum, qui apud Themiſtiū: ne ego quidem ſum vtrumuis horum ſecutus. Vtq; paucis rationē ordinis mei reddam, ita iudicaui primum quenq; locorū ponendum, vt eſſet arctiſſime quiſq; cum re coniunctus. & proinde vt longius defluxit à ſubſtātia rei, poſteriorem poſui. quo factum eſt, vt repugnantia vltima fierent, quoniā non modo non arcte cum re cohæreant, ſed diſſidentia etiam infeſtaq; tollant ipſam, atq; ſubuertant. Quo facilius autem ſit omnia videre, diſponam ordine velut in tabula, Ciceronis, Themiſtii, noſtrosq; locos: erit præſcriptus omnibus numerus, quē in ſuo ordine habent. Deinde ſubiiciētur alii numeri qui indicent, ad quē cuiuſq; locū aliorū conferri vnūquenq; oportebit. At ſi quis apud quempiā ſit locus qui non ſit apud alios, numerus proinde in aliorū ordine apud quos non eſt, nō ſit aſcriptus, ſi qui loci etiam in plures aliorum conueniant locos, plures numeros ſuſcriptos habebunt.

SEQVITVR TABVLA, QVA LOCOS CICERONIS ET THEMISTII CVM SVIS, ET SVOS RVRSVM CVM ILLORVM LOCIS CONFERT.

## LOCI

| RODOL. | CICER. | THEM. | CICERON. | | THEMISTII. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Definitio | 1 | 1 | 2 Genus | 5 | 4 |
| 3 Species | 6 | 1 | 4 Proprium | | |
| 5 Totum | 1 | 5 | 6 Partes | 2 | 7.9.11 |
| 7 Coniugata | 4 | 20.21 | 8 Adiacentia | 10 | |
| 9 Actus | | | 10 Subiecta | | |
| 11 Efficiens | 14 | 8 | 12 Finis | | 10.13 |
| 13 Effecta | 15 | | 14 Deſtinata | | |
| 15 Locus | 10 | | 16 Tempus | 10 | |
| 17 Connexa | | | 18 Contingentia | 10 | 15 |
| 19 Nomen | 3 | 3 | 20 Pronunciata | 27 | 16 |
| 21 Comparata | 7.16 | 17.18 | 22 Similia | | 18 |
| 23 Oppoſita | 9 | 19 | 24 Differentia | 8 | |

| CICER. | THEM. | RODOL. | | THEMISTII | RODOL. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Totum | 1. 5. | 1. 5 | 2 Partes | 7 | 6 |
| 3 Notatio | 3 | 19 | 4 Coniugata | 20.21 | 7 |
| 5 Genus | 4 | 2 | 6 Forma | 6 | 3 |
| 7 Simile | | 21 | 8 Differentia | | 24 |
| 9 Cõtraria | 19 | 23 | 10 Adiuncta | 15.8.10.16.18. | |
| 11 Antecedentia | | | 12 Conſequentia | | |
| 13 Repugnantia | | | 14 Efficiens | 8 | 11 |
| 15 Effectum | | 15 | 16 Comparatio | 17.18 | 21 |
| 17 Iudicium | 15 | 20 | | | |

| THEM. | CICER. | RODOL. | | CICERONIS. | RODOL. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Definitio | 1 | 1 | 2 Deſcriptio | | |
| 3 Interpretatio | 3 | 19 | 4 Genus | 5 | 2 |
| 5 Integrum | 1 | 5 | 6 Species | 6 | 3 |
| 7 Pars | 2 | 6 | 8 Efficiens | 14 | 11 |
| 9 Materia | 2 | 6 | 10 Finis | | 12 |
| 11 Forma | 2 | 6 | 12 Generatio | | 9 |

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | Corruptio | 9 | 23 | 14 | Vſus | | 12 |
| 15 | Cõmuniter accidẽs | 10 | 8 | 16 | Indicium | 17 | 20 |
| 17 | Simile | 16 | 21 | 18 | Proportio | 16 | 21 |
| 19 | Oppoſita | 9 | 23 | 20 | Caſus | 4 | 7 |
| 21 | Coniugata | 4 | 7 | 22 | Diuiſio | | |

## SCHOLIA IN CAPVT XXVIII.

O † Stendimus inter locos nequaquã poſſe poni. ] 1
Id diſcuſſum eſt ſupra, capite vigeſimoprimo.
¶ † Sed eo pacto, quo contendimus omnes ferè 2
locos inter antecedentia poſſe numerari. ] Eo ipſo capi-
te, quod iam nunc indicauimus. ¶ † Vt quod non violaue- 3
rit Clodius ſacra Bonæ deæ Romæ. ] Huius rei mentio-
nem fecimus ſuperius, capite decimooctauo. ¶ † Non po- 4
teſt culpa male conſultorum ante Phocenſe bellũ. ] Hoc argumento vtitur Demoſthenes ipſe in oratione ea quæ περὶ τοῦ στεφάνου, ſiue pro Cteſiphõte inſcribitur. Verba eius ſi quis requirat, ſic habent: τοῦ γὰρ φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ δι᾽ ἐμέ, οὐ γὰρ δὴ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πω τότε, πρῶτον μὲν ὑμεῖς οὕτω διέκεισθε, ὥστε, φωκέας μὲν βούλεσθαι σωθῆναι, καίπερ οὐ δίκαια ποιοῦντας, ὁρῶντες, θηβαίοις δ᾽ ὁτιοῦν ἂν ἐφησθῆναι παθοῦσιν, οὐκ ἀλόγως οὐδ᾽ ἀδίκως αὐτοῖς ὀργιζόμενοι. Ea verba hunc in modum Latina fecit Leonardus Aretinus: Phocenſibus aduerſus Thebanos bellum gerentibus, non me quidem authore, nondum enim tunc in republica verſabar, vos Athenienſes ſi eratis armati, vt Phocenſium quidem rebus quanquam iniuſte pugnantium, ſtuderetis: Thebanorum autem quibuſcunque aduerſis lætaremini. Nec vos immerito id facere videbamini. Et quæ ſequuntur. ¶ † Non poſſunt ſidera ali humore. ] 5
Fuere, haud ſcio an Pythagorici, quibus vſum fuit, ſtel-
las humore ali. Quorum ſententiam hoc argumento re-

*fellit Ariſtoteles, vt dicat humorem eum planè conſumptum iri, priuſquam ad aſtra poßit pertingere. Meminit rei eiuſdem (niſi tamen memoria me fallit) & Macrob.*
6 ¶ † *Quoniam, vt docuimus, non ſolum ex interpretatione argumentum nobis præbet nomen.* ] *Lege caput huius libri vigeſimumtertium.* ¶ † *Quam formam autem dixit Cicero, cum ſpeciem maluiſſet.* ] *Verba Ciceronis*
8 *de re iſta recenſuimus, capite nono.* ¶ † *Iam contraria maluiſſem dicere, vt Cicero.* ] *De his, capite proximo, hoc eſt vigeſimoſeptimo.*

¶ *Epilogus dictorum.*

HOC pacto ſint loci nobis deſcripti, & proprietas cuiuſq; naturaq; explicata: intra quorum complexū quicqd vlla de re dici cogitarive *Epilogus libri primi.*
1 poteſt, venire mihi videtur: † ſiue argumente-
2 mur, & aperta directaq; fronte certemus: † ſiue turbemus affectibus audientem, & medium inter argumentationem expoſitionemq; curſum quendam ſequamur orationis. Quin etiā ſuos habebit expoſitio locos, quando probabilius aliud alio atque veriſimilius exponi certum eſt, quod niſi locis non fieri, quando ex ipſis omnis ducitur fides, nemo (quod arbi-
3 tror equidem) negabit. † Eſt autem (vt initio diximus) neceſſe, quicquid ad faciēdam vlla de re fidem aſſumitur, aliqua parte ad ipſam pertinere, nec enim ex eo quod nihil attinet, *Repetitē ſuperius facta locorū diuiſio.*
4 doceri quicquā poteſt. † Quæ attinēt autē, aut

intra rem ſunt omnia,aut extra:vnde primam
locorũ duximus differentiã,vt alios internos,
externos alios vocaremus. Et generalia loco-
rum velut capita ſex fecimus. Duo internorũ,
ea quæ in ſubſtãtia ſunt,& ea quæ circa ſubſtã-
tiam. Externorũ quatuor, cognata, applicita,
accidentia, repugnantia. In ſubſtantia ſeptem
fecimus, definitionem, genus, ſpeciem, pro-
prium, totum, partes, coniugata. Tres circa
ſubſtantiam,adiacentia,actus,ſubiecta. Exter-
nos cognatorum quatuor, efficiens, finem,
effecta, deſtinata. Applicitorum tres, locum,
tempus, connexa. Quinq; accidentium, con-
tingentia,nomen rei, pronũciata, comparata,
ſimilia. Repugnantiũ duos: oppoſita,& diffe-
rentia. Fiuntq; iſti in ſumma loci vigintiqua-
tuor,quibus in omnem rem quacunq; erutum
inuentumq; ratione ducitur argumentũ. †Idq; 5
qua via quoq; modo faciendum,proximo di-
cetur libro: quoniam iuſto maior huius volu-
*Maximæ an locis addēdę.*
minis modus excreuit. Finisq; fit, ſi illud addi
derimus: Boëthium,quiq; poſt eum ſcripſerũt
de locis,ſingulis locis addidiſſe quandam (vt
vulgo loquimur) maximã,id eſt pronunciatũ
quoddã,vna ſententia multa cõplexũ, cui in-
dubitata ſit fides. Vt, de quocũq; definitio di-
citur,de eo definitũ. De quocũq; ſpecies,de eo
genus. Quod non faciendum mihi, non ideo
† quia id Ariſtoteles, & Cicero non feciſſent, 6

7 putaui:† ſed quia in nullum id vſum fieri arbi trabar. Primum, quòd vt poſſint iſtæ maximæ fingi illis in locis, qui neceſſarium præbent argumentum: tamen in eis qui probabile faciũt, parum cõueniet, quorum maior ſanè pars eſt. Deinde, quòd multi ſunt loci, in quibus in nullam certam & ſatis cõuenientem formam concludi hæ maximæ poſſint. Itaq; videas Boëthium, dum cuilibet loco maximam ſuam reddere cupit, in anguſtias quaſdã detrudi: vt cũ locus latiſſime ſit fuſus, maxima in arctũ prorſus agatur. Et ne per omnes locos ſequamur, cum de efficiẽtibus dixiſſet, ſubiecit maximã: quorũ efficientia naturalia ſunt, eorum effecta ſunt naturalia. Sic de materia, cuius materia deeſt, & id quod ex ea efficitur deeſt. Et ſic de fine, cuius finis bonus eſt, ipſum eſt bonum. Et de forma, tantũ quenq; agere poſſe, quantum naturalis forma permiſerit. Quaſi vero hi loci quorũ ampliſſimus eſt ambitus, intra hos con cluſi ſint terminos, vt pertineant omnia argumenta ex efficientibus ad eſſe naturale, vel nõ naturale: & ex materia, ad deeſſe, vel ſuppetere: & ex fine, ad bonũ, vel malum: & ex forma, ad agere, vel non agere. Adde, quòd ſi quis exacte & penitus cognitam habuerit locorum naturã, nihil erũt ei opus hæ maximæ, quoniã vltro ferè in animũ incurrũt, & apertiores ſunt
8 quàm vt ſint diſcẽdæ.† Aut ſi quis tã prorſus

*Prima cauſa cur nõ ſint locis addende maximæ,*

*Secunda.*

*Tertia.*

expers ingenii ſit, tamq́ à communi ſenſu re-
rum abhorrēs, vt apertiſſima illa, & propemo
dum per ſe nota docendus ſit, illi ego nihilo
magis quæ de locis præcipiũtur profutura cre
diderim, † quàm Cimmeriis (quos perpetua 9
nebularum caligine opertos tradunt poetæ)
ea quæ de poſitione ſiderum, deq́ ipſorum fi-
guris motuq́ traduntur.

## SCHOLIA IN EPILOGVM.

*S†Iue argumẽtemur.* ] *Quid interſit inter argumen* 1
*tationem, & expoſitionem, de ea re dictum eſt non-*
*nihil, primo capite libri huius, & pleniſsime expli-*
*cabitur libri ſequentis capite duodecimo, ac deinceps*
*per compluſcula capita.* ¶ *† Siue turbemus affectibus au-* 2
*dientem, & medium inter argumentationem expoſitio-*
*nemq́; curſum quendam ſequamur.* ] *An in mouendis*
*affectibus etiã ſit argumentandũ, de eo diſſeretur libri ſe-*
*cundi capite quarto.* ¶ *† Eſt autem, vt initio diximus.* ] 3
*Lege huius libri caput ſecundũ.* ¶ *† Quæ attinent autẽ.* ] 4
*Repetit paucis enumerationẽ locorũ, quam fecit libri hu-*
*ius capite quarto.* ¶ *† Idq́; qua via quoq́; modo faciendũ,* 5
*proximo dicetur libro.* ] *Faceſſant ergo, qui totum hunc*
*locum in tertium reiecerant librũ, qua de re poſt quoque*
*ſemel iterumq́; dicemus.* ¶ *† Quia id Ariſtoteles & Ci-* 6
*cero non feciſſent.* ] *Ciceronẽ nõ addidiſſe iſtas (vt vo-*
*cant) maximas certũ eſt. Quod autẽ eas ne ab Ariſtotele*
*quidẽ additas ait, id quam ſit verũ, ſecũ expendat diligẽs*
*lector. Ego hoc ſcio, ſi non omnibus, at quibuſdã certe lo-*
*cis ab Ariſtotele eas adiectas eſſe, licet nunquã maximæ*

7 *ſit vſus vocabulo.* ¶ † *Sed quia in nullũ id vſum fieri arbitrabar.* ] *Quòd ſi quis locis ſingulis ſuas quaſdam maximas velit adijcere, atque his ita aſtringere locos, quaſi aliter tractari non poßint, ſtultum ſanè id foret, & perniciosum magis quàm vtile, quando incertæ interim maximæ illæ ſunt, atq; loci ferè multo latius patent, quàm quæ ſubiectæ eis ſunt maximæ. Nõ video tamẽ, cur ſit improbãdum, ſi in hunc vſum addat pronũciatũ ſeu axioma vnũ aut alterũ, vti ijs, qui harũ rerũ adhuc rudes imperitiq; ſunt, via qualiſcunq; tractandi loci cuiuſq; aperiatur: quâ initio ingreßi, plures deinde vias rationeſq; tractandorum locorum ſuo ipſi marte inueniant. Cæterũ hodie in gymnaſijs ita inſtituitur iuuentus, vt nihil præter maximas eas, quas in ſuo Petro Hiſpano ſcriptas inuenit, putet quærendum: credatq; nullum aliũ eſſe locorum vſum, quàm qui ijs maximis exprimitur. qua docendi ratione equidem haud ſcio an quid poßit eſſe in ſtudijs peſtilentius. Atque hoc nimirum illud eſt, cur in nullum vſum maximas iſtas Hiſpanienſes adijci locis, aiat*

8 *Rodolphus.* ¶ † *Aut ſi quis tam prorſus expers ingenij ſit.* ] *Hoc ipſum primo inſtitutionum his verbis docet Quintilianus: Illud tamen in primis teſtandum eſt, nihil præcepta atque artes valere, niſi adiuuante natura, quapropter ei cui deerit ingenium, non magis hæc ſcripta ſunt, quàm de agrorum cultu ſterilibus terris.*

9 ¶ † *Quàm Cimmerijs.* ] *Horum mentionẽ facit Homerus Odyſſeæ libro vndecimo, cuius verba hunc in modũ latinitate donauit Eraſmus.*

*Aſt ille oceani peruenit ſumma profundi,*
*Illic ſunt populiq; & mœnia Cimmeriorum.*
*Nubibus & cæca aßidue caligine tecta.*
*Illos haud vnquam radijs ſol aſpicit ardens,*

*Nec quando aſtriferum curru petit arduus axem,*
*Nec rurſum ad terras magno deuectus Olympo.*
*Sed nox incumbit miſeris mortalibus atra.*

*Meminit de iiſdem* Herodotus, Cicero, *Lactantius,* Hieronymus, *Strabo. Vide* Eraſmi *Chiliadas.*

FINIS LIBRI PRIMI.

# RODOLphi Agricolæ PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA LIBER II.

*De locorum vſu.*

## ARGVMENTVM LIBRI TOTIVS.

*Summa eorũ quæ hoc libro explicantur.*

QVatuor *ſunt in ſumma, quæ toto hoc libro docet* Rodolphus. *Principio, quid dialectice,* & *qui ipſius ſit finis. Deinde materiã eius eſſe quæſtionem, quidq́; ea* & *quàm multiplex ſit, quomodo in materia quauis poßit inueniri,* & *in plures quæſtiones diduci. Tertio; inſtrumentum dialectici eſſe orationem: cui ſubijciuntur omnia ea, quæ de expoſitione argumentationeq́;* & *partibus orationis dicuntur. Poſtremo, quo modo ex locis ſuperiori libro deſcriptis, parari poßit facultas ac copia diſſerendi.*

¶ *Quàm præpoſteri dialectici ætatis noſtræ: ac iã deinceps de locorum vſu, deq́; paranda ex eis copia, eſſe agendum.*

CAPVT I.

1 PRINCEPS Græcæ facũdiæ vir Demoſthenes, cum ad bellũ cõtra Philippum, Macedonum regẽ, maiori apparatu atq; cura gerendum, populũ hortaretur Athenienſem:
2 doceretq́; quicqd incremẽti magnitudinisq́ Philippi rebus acceſſiſſet, non tam illius eſſe viribus, quàm deſidia & inanibus Athenienſiũ concionibus effectũ: in hanc inter cætera ſententiam locutus eſt. ſolere reliquos homines, cum cõſuluiſſẽt, agere: cõtrà vero Athenieſes, vbi res actas acciperent, tũ demũ cõſulere. Quorſum hæc: inques.
*Quàm præpoſteri dialectici ætatis noſtræ.*
3 Nõ video equidẽ mihi magis apta, ppinquaq́ imagine, q̃ iſta ipſa, poſſe
4 noſtrorũ tẽporũ dialecticos figurare. Cum ſit enĩ ſolũ iſtud, ppriumq; dialectices mun⁹, poſſe de qualibet re probabiliter, quãtũ ipſius na-
5 tura patitur argumẽtari: qđ totũ (vt prædixi) duab⁹ cõprehẽſum eſt partib⁹: quarũ vna excogitãdi argumenti viã docet, quam inueniẽdi vocãt, cui parti oĩs de locis deſtinatur diſputatio: altera cũ inuẽtũ eſt argumentũ formã
*Duæ dialecticæ partes.*

quandã argumentandi,hoc eſt,certã explorã-di argumẽti tradit regulã,qua veluti nũmi moneta ſolẽt, probum'ne ſit an nequaquam, fal-laxq́;, dignoſcatur : ea dicitur iudicandi pars. cumq́; prior illa conſilij teneat vicẽ, & delibe-ret quid ſit de re quaq; dicendũ: altera quod aſſumere ad probandã rem placuit,in argumẽtationẽ tanquã in expeditionẽ & ad conficiendam fidẽ audienti deducat: noſter dialecticus cõtrà, cũ oblatã temere, & vndecũq; dederit caſus,effectã iam & formatã habuerit argumẽtationẽ,tum ſi forte addubitet aduerſarius,dicatq́; vel nõ cohærere eam,vel res ſeſe nõ conſequi,tum ad id quod cõſilij erat, poſt rem factã reuertitur, & inueniendi partẽ tranſfert ad iudicandũ,† conaturq́; oſtẽdere,bene ſe argu- 6
mentatũ eſſe,quoniã ſit argumẽtũ vel à maiori,vel ſimili,genere ſpecieve deductũ.Nec intelligũt doctiſſimi viri (ſic enim modeſtiſſimũ mihi eſt ipſos vocare) nullã argumentationẽ, quia à ſpecie,vel genere,vel quouis aliorũ locorum ducatur,neceſſario cohærere:† quoniã 7
ex omnibus iſtis ineptæ & minime cohærentes duci queant.ſed tum demũ cohærere argumẽtationem,cũ eſt ea rerũ inter ſe cõditio,vt poſſint coniici in ſyllogiſmi vel aliam quampiam formã argumentandi probatã, per quã cohærentes inter ſe res, & neceſſario connexas eſſe colligatur. Scio vero quid à nonnullis mihi

*Omnium ſtudiorũ contaminatio atq; colluuies.*

poſſit reſponderi.Minus hãc dialectices iactu-
8 ram indigne ferendã,† in tanta omniũ ſtudio-
rum colluuie:cũ cuncta,velut feræ caueis effra
ctis,in proximorum ius & fines irruerint, nec
quicquã ferme diſcatur hoc tẽpore ſuo loco.
Sic iuriſconſulti,perplexa & inuoluta diſputã-
di præcepta balbutiunt. Sic medicinæ ſtudia
magna ex parte redacta ſunt ad ſuperuacuas
inſtituto ſuo phyſices quæſtiones. Sic phyſice
mathematicas arripuit. Inde verboſa illa eſt
9 †de maximo & minimo,†& de calculandi (vt
10 aiunt) ratione iactatio. Nã mathematice ipſa,
veluti quæ minime ad inanes faciat cõtentio-
11 nes † circulorũ,neq; clamorum ſit capax,†ſed
12 puluere & radio contenta,† mutã potius ocu-
13 lorum, quàm loquacem aurium ſequatur fi-
dem,deſerta eſt: & idcirco etiam tanquã non
acceſſa prophanis myſteria, minime contami-
nata.De theologia vero quid dicere oportet?
cui ſi methaphyſicen,ſi phyſicen,ſi dialecticen
hodie demas:nudã porrò & deſtitutã, & quæ
nomen ſuum tueri nequeat,reddas.Ergo cum
docendus erit populus,& ad religionem,iuſti
tiam,continentiam adhortandus, ex illis arti-
bus inextricabilis aliqua eruitur diſputatio,
quæ tempus extrahat,& inani ſtrepitu audien
tium feriat aures.Docent itaq;,quemadmodũ
pueri ſolent in ænigmate proponere, quæ ne
tum quidem quum docuerint,vel ipſimet qui

docent, vel illi qui didicerint, ſciant. Has ego
perſæpe querelas audiui grauiſſimorū doctiſſi
morumq; hominū, quos vel grādior ætas, vel
acrior ingenij vis, meliorū admonebat: qui fe-
rebant grauiter pulcherrimarū artiū ordinem
turbari, mēbra cōfundi. quæ vera eſſe quēad-
modū affirmare non audeam, ſic eſſe falſa vel
maxime optauerim. Mihi vtiq; cōmittendum
non eſt, vt cū videar velle aliorū ſtudiorū cri-
mini culpā dialecticorū cōdonare, prouocem
grauiorem viribus meis aduerſariū. Quin agi
perpulchre mecū putabo, ſi † cum quo contu 14
li pedem, contingat ſine periculo mihi luctari.
*Doctores artium.* † Si quem ergo eorū quos doctores artiū vo- 15
cant, arripias, rogesq; † dic quæſo vir doctiſſi 16
me de dialectice (quando illā vel ſolā vel ma-
xime omnium artiū, quas vos numeratis libe-
rales, videris præ te ferre) cui vſui diſcendam
putas? Cum enim de genere nō ſit principum
artium, & quæ idcirco tantū ſunt diſcendæ vt
ſciātur, neceſſe eſt vt miniſterio & vſibus alia-
rum ſit addicta. Iſtā vero miſerā & cauilloſam
loquendi ſolicitudinē, quā tu doces, certū eſt,
nō modo reliquis artibus diſcendis non pro-
deſſe, ſed etiā obeſſe plurimum. Primū, quòd
diſputādi morē ad illas tuas leges exigēti, nō
loquēdū modo ſolicite, ſed plane eſt obmute-
ſcēdū. Deinde, quòd omnis artiū vſus, omnis
loquendi ratio, pleriſq; illorū quę doces repu-
gnat,

gnat. Poſtremo, quòd cũ ſemel fuerit extenua-
tus ad iſta, & cõfractus auditoris animus, nũ-
quam deinde tollere ſe, & ſicut pes ſpinis con-
fixus, nullũ libere veſtigium ponere audebit.
Hoc ergo pacto ſi quem interroges, dicat for-
taſſe, vt pleraq; quę in ipſa dialectice prȩcipiũ-
tur, vel non proſint ad percipiendas reliquas
artes: vel ita præcipiantur vt non proſint: hoc
tamen iuuãt, quòd agitatione quadã & verſa-
tione mentem exacuant, & flexibilẽ præbeant,
quò facilius reliquis ſe poſſit accommodare.
Alius qui liberius volet verũ fateri, dicet, prȩ-
terquã quę de ſyllogiſmis præcipiuntur, cæte-
ra nõ magni ſanè momẽti eſſe: ſed ideo docere
illa quenq;, quia quiſq; didicerit, & quia do-
ceant omnes. Sic fit, vt dux illa directrixq;
omniũ artiũ dialectice, velut latiſſima poſſeſ-
ſione excluſa, ſoli ſibi diſcatur: & ne ſibi quidẽ
(ſi verũ dicere libeat,) quandoquidẽ ſi modo
diſceretur, nõ ſibi, ſed omnibus ipſam ſtudiis
prodeſſe oportebat. ¶ Sed de illa parte quæ ad
iudicandum pertinet, poſt Ariſtotelem plena
ſunt omnia. quæ longe minus negocij habet,
cũ certis quibuſdã neq; illis ita difficilibus nu-
meroſiſq; legibus cõſtet. Inueniendi rationẽ,
poſt Boëthiũ, qui legi ſit dignus, nemo (quod
equidẽ ſciã) tradidit literis. Priores illo (qui in
manibus ſunt) Quintilianus, & ante eum Ci-
cero, princepsq; omniũ Ariſtoteles, hanc rem

*Quare vſumetiã locorum tradere inſtituerit.*

cōplexi ſunt.Sed illi omnes locorū explicuere
naturam varie,& ſuo quiſq; modo.Quod au-
tem maximū in re quaq; eſt,rationem tractādi
ipſos, vnus † Quintilianus conatus eſt expli- 17
care:& oſtendere,quomodo inueniendū ſit ex
ipſis.Et quemadmodū in re militari ſolet,non
ſatis putauit arma dare,ſed docendum quoq;
credidit,quo modo ipſis eſſet vtēdum, & mi-
litem in procinctum aciemq; ducendū. † Nūc 18
autem quotuſquiſq; Quintilianū attingit eo-
rum,qui philoſophię ſibi nomen aſſerunt? De-
inde,quæ tradita ſunt ab illo, quoniā ad ciui-
les quæſtiones aſtricta ſunt, nō facile poteſt ea
quiſquā inde ſibi diuellere, rebuſq; ſuis in di-
uerſo quæſtionū genere aptare. Iam ſi quis eſt
altius iſta ſcrutatus,† quiq; omnes iuſtæ erudi- 19
tionis numeros impleuerit, (vt ſunt pleriq; ho
die docti diſertiq; viri ) ille † ſibi fere iſta mu- 20
ſiſq; (vt dicitur ) diſcit:prophanum certe vul-
gus quamlongiſſime ſacrario ſuo putat arcen-
dum. Fuit patrū noſtrorū memoria † Raimū- 21
Ars Lulli. dus quidā,cognomēto Lullus, Hiſpanus,vel
(quod propriū eſt)†Balearis : qui artem quā- 22
dā,quā ex nomine illius Lulli vocant, extulit:
acuti quod equidē nō negauerim & nō ſegnis
ingenij indiciū:ſed quoniā,quod vltro quoq;
ſtudioſi ipſius ſolent eius nomine gloriari, nō
literas ſciebat,non vllam aliam dignam docti
viri nomine perceperat doctrinā:hoc& ipſum

quod inuenerat, quale eſſet perſpicere: & ſi for
te perſpexit, eloquendo aperire, & vt perſpe-
xiſſe videretur, cōſequi nequibat. Obſcuritas
ergo ingens eſt in diſſerendo, & horror incul-
tus, qui etiā eos qui didicerint vbiq; ſequitur,
niſi alioqui eruditione ipſum ingeniiq; boni-
tate vincant. Copiam ſane, cuius ſola eſt ipſis
cura, ſuppeditat, ſed talem, qualis in omnibus
23 rebus eſſe ſolet, eorum, † qui numerant, nō iu-
dicant. Quod autem non eſt difficile videre,
loci ſunt nonnulli ex his, quos tradidimus. ve-
rum nō ſatis diligēter expliciti, quibus omnis
artis eius materia cōtinetur. Vſus deinde illo-
rum tam perplexe obſcureq; traditus, vt hæc
ars, quæ reliquis aperiendis parata debebat
eſſe, maioribus quàm vlla circunfuſa tenebris
ſit, penitioribusq; latebris eruenda. vt auſim
cōtendere, niſi quis maiori mentis vi ſuperet
difficultates, non modo non iuuari ab ipſa, ſed
etiā ingenij aciem, niſi ſit acerrima, retūdi. Do-
nādus tamen ſic quoq; vir ille ingenij præſtā-
tis teſtimonio, nec merita honeſtiſſimi ꝓpoſiti
laude fraudādus: qui cū plurimū ſtudiis con-
ferre cuperet contulit certe qđ potuit, quodq;
recte factis ſatis eſt. Si quid animo ſuo parum
reſpōderit, voluntatem quidem laudes, igno- *Cōnexio*
ſcas ingenio. Nobis vero ſtatutū eſt, quando *libri hu-*
ſuperiore libro locorū proprietatem & diffe- *ius cū ſu-*
rentiā enarrauimus pro viribus, nunc quis ſit *periore.*

vſus ipſorum,& quomodo diſſerendi parãda facultas ex ipſis,quàm maxime poſſumus ſub oculos ponere: & protrahere in mediũ, quæcunq; vtilia inſtituto noſtro arbitramur: quæ vel legendo vel obſeruando, vel vndecunq; eruendo potuimus afferre, contingetq; mihi, ſi minus iuuare ſtudia, at certe (quod magis cupio) doctiorũ ingenia curamq́;, ad tradẽda rectius iſta permouere, ſecurusq; huius operæ meæ, æquo ipſam animo perdam: dummodo prodeſſe, quod mea conor, vberius aliena conſequar induſtria. Optanda enim eſt iactura, quæcunq; lucro maiore penſatur.

## SCHOLIA IN CAP. I.

*P† Rinceps Græcæ facundiæ vir Demoſthenes.* ] *Monui lib. ſuperiori me coniectura quadam adduci, vt credã exemplar illud quo ſunt vſi chalcographi Louanienſes, ſcriptũ quidẽ aut dictatũ certe fuiſſe ab Rodol. ipſo, at non in hoc ſcriptũ dictatum've, vt ſic ederetur: quin potius, vt premeretur adhuc, & poſt menſes aliquot exactiori cura recognoſceretur, cui rei etiã hic locus eſſe argumẽto poteſt. Habebat Louanienſe illud, quo nos ſolo hactenus vſi ſumus, exẽplar: Principẽ Græcæ facundiæ virũ Demoſthenem &c. Quod vt ab Rodolpho ipſo ita ſcriptũ fuiſſe credã, principio illud mihi in cauſa eſt, quòd nullã hic video deprauandi occaſionem fuiſſe librarijs. Deinde, quòd numeroſius quoq; ac ſonãtius neſcio quo pacto eſſe mihi videtur, ſi locũ hunc accuſandi, quàm ſi nominãdi caſu legamus. Sed quid facias, cũ huic lectioni planè repugnet paulò poſt additũ verbum? Quis*

ita loquitur, principem græcæ facūdiæ virū in hanc inter cætera ſententiā locutus eſt? Imò vero quis manifeſtum ſubeſſe ſolœciſmum non videt? Atq; ſolet quidē hoc interim contingere viris etiā multo erudītiſsimis, vt cū longius excurrit orationis periodus, tum nonnunquam velut priorum obliti, verbū aliquod parū conſentaneum ijs quæ præcedunt, apponant, id quod Rodolpho etiā hoc loco, ſiue lapſus ille memoriæ, ſiue præceps quædā feſtinatio fuit, accidiſſe, res ipſa clamat. Itaq; aut ſic legas oportet: Principē græcæ facundiæ virū Demoſthenem &c. in hanc inter cætera ſententiā locutū ferunt, aiunt, ſcribūt, aut ſimile aliquid. Aut certe accuſandi caſus, ita vti nos fecimus, cōmutandus in caſum rectū: quod vt mallē, hanc ſum rationē ſecutus. Video hunc morē eſſe ſcriptoribus, vt quoties quid de homine quopiā, aliorū monumētis fuiſſe memoriæ proditum ſignificare volūt: aut ſe vtiq;, non apud illos ipſos, à quibus dicta facta've eſſe dicuntur, ſed in aliorū libris legiſſe: tum ferè ita loquātur, Hoc dixiſſe aiunt Periclem, Id Socratē perhibēt crebro in ore habuiſſe. Catonē dicere ſolitū aiunt, Ferunt Ciceronem interrogatum ſic reſpondiſſe, Quemadmodū Craſſus apud Ciceronem docet, Quemadmodum apud Ouidium ait Pythagoras. Contrà, cum quid apud eos ipſos quorum id factum dictum've eſt, legêre: tum mutato genere orationis, hunc in modū loqui conſueuerunt, ita inter cætera locutus eſt, ita ſcripſit, ita dixit, ita ſcriptū reliquit. Quanquam ſolet etiam non infrequens eſſe illud, vt poſteriore hac forma lōquendi, in priorem etiā ſenſum illū vtantur: at vbi contrà priore illa dicēdi ratione vſi fuerint ad intellectum hunc poſteriorem, id ego nondū vſquam legiſſe memini. Id ea quæ hic ex Demoſthene citat Rodolphus, leguntur apud Demoſthenem ipſum, in prima oratione.

quam is dixit aduerſus Philippum regem Macedonum: neq; video, vnde Rodolphus ea niſi ex illa ipſa Demoſthenis oratione ſcire potuerit. Quocirca tolerabilius fore exiſtimaui, cum omnino aliquid mutari oportet, ſi mutaſſem accuſatiuum caſum in rectum, quàm ſi illud locutus eſt, in locutũ ferunt. ¶ † Doceretq́; quicquid incremẽti magnitudinisq́; Philippi rebus acceſsiſſet. ] Locus eſt, quemadmodum dixi, apud Demoſthenem prima oratione contra Philippum. Quo in loco præter alia multa & hæc dicit: τέθνηκε φίλιππος; οὐ μὰ Δί'. ἀλλ' ἀσθενεῖ; τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον φίλιππον ποιήσετε, ἄνπερ οὕτω προσέχητε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν. οὐδὲ γὰρ οὗτος παρὰ τὴν αὐτοῦ ῥώμην τοσοῦτον ἐπηύξηται, ὅσον παρὰ τὴν ὑμετέραν ἀμέλειαν. Hoc eſt: exceſsit è vita Philippus? non per Iouem. At ægrotat? quid hoc ad vos? Etenim ſi huic forte quid accidat, vos cito alterum vobis Philippum feceritis, ſiquidem hoc modo curam geſſeritis rerum veſtrarum: præſertim, cum ne hic quidem tantundem creuerit viribus ſuis, quantum incuria & indiligentia veſtra. Rurſus in eadem oratione: ἃ μὲν ἡμεῖς ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτά ἐστιν. ἐπειδὰν ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ, χειροτονήσατε, ἵνα μὴ μόνον τοῖς ψηφίσμασι καὶ τοῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. Id eſt: Quæ quidem nos ò viri Athenienſes inuenire potuimus, ea hæc ſunt. vos autem cum per ſuffragia ſtatuetis, quæ potiſsimum vobis ſit ſequenda ſententia, tum quæ placebunt vobis, ea ſuffragijs veſtris decernitote: vt ne ſemper decretis modo & epiſtolis, ſed & manu aliquando bellum aduerſus Philippum geratis. Iterum, cum oſtendiſſet cæteras res quaſdam, quæ minoris eſſent momenti, accurate ac diligenter agi ſolere ab Athenienſibus, deinde hæc verba ſubiecit: ἐν δὲ τοῖς

περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῆς τούτου παρασκευῆς, ἄτακτα, ἀόριςα, ἀδι-
όρθωτα, ἅπαντα. τοιγαροῦν ἅμα ἀκηκόαμέν τι, καὶ τριηράρχους
καθίςαμεν. Et rurſum interpoſitis verbis paucis: τὸν γὰρ τοῦ
πράττειν χρόνον εἰς τὸ παρασκευάζεσθαι ἀναλίσκομεν. οἱ δὲ
τῶν πραγμάτων καιροὶ οὐ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα
καὶ εἰρωνείαν. Ea verba hunc (ni fallor) in modum
reddi Latine poßunt. At quæ ad bellum eiuſq; appara-
tum pertinent, ea omnia ſine ordine, atque indefinita
ſunt, neque vlla certa lege diriguntur. Proinde ſimul, &
audimus aliquid, & præfectos triremium conſtitui-
mus. Agendi tempus ad apparandum traducimus, ve-
rum interim rerum gerendarum occaſio, noſtras haud-
quaquam moras, atque dißimulationem expectat. Po-
tuiſſent & alia in hanc ipſam ſententiam ex eadem ora-
tione adduci, ſed verebar, ne & hæc quoque lectori deli-
3 cato multa nimium viderentur. ¶ † Non videor equidem Dialecti-
mihi magis apta &c. ] Proxime, inquit, ad ſtultitiam eorum no
iſtam Athenienſium accedunt dialectici temporis no- ſtri tēpo-
ſtri. Nam vt illi tum demum conſultabant, cum iam ris ſtulti-
eſſet agendum: ita iſti, eam dialecticæ partem, quæ con- tia.
ſilij eſt, ad actionem traducunt: & vnde erat petenda
argumentorum inuentio, inde petunt rationem dijudi-
4 candi. ¶ † Cum ſit enim ſolum iſtud propriumq; dia-
lectices munus. ] De hoc locupletius libri huius capi-
5 te ſecundo, & tertio. ¶ † Quod totum, vt prædixi,
duabus comprehenſum eſt partibus. ] Quæ ſint hæ
duæ partes, explicatum eſt libri ſuperioris capite ſe-
6 cundo. ¶ † Conaturq; oſtendere, bene ſe argumen-
tatum eſſe, quoniam ſit argumentum, vel à maio-
ri, vel ſimili. ] Quis enim iſtorum hodie in ore
iſta non habet? Conſequentia tenet per locum à maiori,

per locum à coniugatis, à ſimili, à contrarijs, à diſparatis, quæq́; cætera eius farinæ ſunt. ¶ † Quoniã ex omnibus 7 iſtis ineptæ & minime cohærentes duci queant.] Dubitari non poteſt, quin ſit id quod dicit longe veriſsimum, nempe ex locis omnibus ineptas duci poſſe argumentationes, ac proinde nõ eſſe dijudicandũ inde, cohærean'tne argumentationes an non cohæreant. Sanè quibuſcunq; argumentis authores in re quauis confirmanda refellenda've vtuntur, eorum nullum eſt, quin ex aliquo deprõptum ſit loco. at non omnia apta eſſe, & ad rem qua de agitur probandã idonea, id conſtare vel hinc poteſt, quòd iidem alij aliorum inuicem argumẽta diluunt ac refellũt. Quo fit, vt iudiciũ argumentorũ petendum ſit, nõ ex locis, ſed ex ea dialectices parte, quæ tradit formas ſyllogiſmorum. ¶ †In tanta ſtudiorum omnium colluuie.] Tale 8 quiddam & Quintilianus queritur de grãmaticis, libro oratoriarum inſtitutionum ſecundo. ¶ † De maximo, & 9 minimo.] Docent enim, res naturales determinatas eſſe ad maximũ, & minimum: Item, in ſectione continui ad minimũ deueniri nõ poſſe. ¶ † Et de calculandi, vt aiunt 10 ratione.] De arte ac ratione computandi, quandoquidẽ calculus, & pro ratione computationeq́; accipitur. Quanquam, vt ingenue dicam, mihi hauddum ſatis liquet, vbi hac de re agant phyſici. ¶ † Circulorum.] Coronarum, 11 hominum circunquaq; aſtantium. ¶ † Sed puluere & ra- 12 dio contenta. [ Solebant enim mathematici in puluere lineas ducere, ac figuras illas ſuas deſcribere. Quo autem inſtrumento id faciebant, radius dicebatur. Vnde illud Virgilianum: Deſcripſit radio totum qui gentibus orbẽ, Tẽpora quæ meſſor, quæ curuus arator haberet. ¶ † Mu- 13 tam potius oculorum, quàm loquacem aurium ſequatur fidem.] Probant enim ſua mathematici, nõ tam oratione:

Mathematicorum conſuetudo.

*& verbis, quàm ijs quas vocāt γραμμικὰς ἀποδείξεις, hoc eſt, lineares demonſtrationes: lineis ſcilicet ac formis deſcriptis in puluere, quibus planum faciunt id, quod oſtendere volunt. Hinc eſt quod aiunt regiam Dionyſij, cum is præſente Platone mathematica amplecti videretur, areis ex puluere & arena factis plenam fuiſſe. Et Archimedē illum Syracuſanum, quo tempore Syracuſas cepit Marcellus, adeò formis quas in puluere deſcripſerat intentū fuiſſe, quidam (authore Liuio) tradidere, vt non prius patriam à Romanis captam ſenſerit, quàm à milite ignaro quis eſſet, occiſus eſt.* ¶ † Cum quo contuli pedem.]
14 *Cum quo congreſſus ſum, cum quo in certamen deſcendi, cum quo manum conſerui.* ¶ † Si quem ergo eorū quos
15 doctores artium vocant.] *Vere doctores, ſiquidem doctor dicendus eſt, cuicunq; quouis modo doctoris cōtigere inſignia, quem in modum & ſimia interim rex aut regina dici poteſt: & aſinus ille apud Cumanos, cum leonis induiſſet exuuium, ſibi etiam ipſe aliquandiu viſus eſt leo. Equidem ita exiſtimo, non eſſe aſpernādas iſtas quas vocamus promotiones: modo is qualiſcunq; honor ſolis cōtingat eis, qui ſtudio, ac induſtria ſua eo dignos ſe reddidere: non etiam hominibus ignauiſſimis, quibus animos aſpirandi huc facit, non eruditio, non vlla morū integritas, ſed quæ ſola hodie omnibus in rebus dominatur pecunia. In confeſſo eſt apud omnes, eruditionis teſtimonium eſſe debere promotiones. At ſi vere dictū putamus illud, ſcientiam non loculorum, ſed laboris & induſtriæ comitem eſſe: hic autem doctoratus, quo vſqueadeo nobis placemus quidam, in pleriſq; certe loculos magis quàm laborem, aut induſtriam ſequitur: planum profecto eſt, eruditionis eum teſtimoniū eſſe non poſſe. Deſino plura, quòd veriſſime ſcio dictum eſſe à Comico: Obſequium amicos,*

veritas odium parit. ¶ †Dic quæſo vir doctiſſime de dia 16
lectice: quando hanc, vel ſolam, vel maxime omnium ar-
tium, quas vos numeratis liberales, videris præ te ferre:
cui vſui diſcendam putas? ] Audio ego hunc morem eſſe
quibuſdam ludimagiſtris, vt in ſuis illis phrontiſteriis,
ante oculos puerorum, quos docent, hæc verba maiuſcu-
lis literis ſoleant depingere, DIC QVARE HIC.
quibus admonitam volunt rudem adhuc ætatem illam,
vt ſubinde ſecum cogitent expendantq́;, cur quotidie lu-
dum adeant, cur illuc à parentibus mißitentur. Vellem
equidem hanc eandem conſuetudinem hactenus eſſe & 
dialecticis noſtris, vt non illi quidem eiuſmodi nugamē-
tis oblinerent parietes, ſed vt iis, quos inſtituendos ſua
diſciplina ſuſceperint, illud ante omnia explicarent,
quemnam in finem diſcenda dialectica ſint, & qui inde
ſperandus fructus. Nam vt ingenue id quod ſentio di-
cam, quemadmodum gallus ille apud Æſopum, reper-
tam à ſe gemmam idcirco abiiciendam eſſe arbitrabatur,
quòd quæ virtus, & qui vſus eius gemmæ eſſet, ipſe ne-
ſciret: ita & dialecticæ vnum hoc mea quidem ſententia
aduerſatur, quò minus hodie in precio ſit apud multos,
quòd vt nomen eius apud omnes longe eſt vulgatiſſimū,
ita pauci, quæ vis, quiq́; vſus ipſius artis ſit, ſatis norunt.
Multi perſuaſum habent, ciuilibus eam cauſis accommo-
dari non poſſe, tantum diſci in hoc, vt in vmbra ac ſcho-
la, perinde vt auiculæ ſolent, totam ætatem garriendo
teramus. Atque ſunt certe, qui tantum non omnem cul-
pam hanc reiiciant in præceptores, eo quòd ii, etſi norunt
quidem ipſi, alium quendam quàm nugas iſtas eſſe dia-
lecticæ finem: neque veriſimile videatur, tam perfrictæ
poſſe eſſe frontis hominem quenquam, vt doctor eſſe ſu-
ſtineat artis eius, cuius ipſe præter indecoros iſtos gar-

Vſus dialecticæ.

*ritus vſum alium neſciat: ita tamen ſecula iam aliquot dialectica docent, vt de germano interim ac genuino illorum vſu non audiatur apud eos vel verbum. Qui docent (inquiunt illi) artem gladiatoriam, ij non ſat habent verbis modo præſcribere, qua ratione, vel aduerſarium ferias, vel ictus ab illo intentatos eludas. Primum ipſi arrepto telo in ludicrum certamen illud deſcendunt: vt iam non ſolum auditor, ſed ſpectator etiam artis ſuæ fiatis, qui ſe illis in diſciplinam tradiderit. At ne id quidem ſatis. Tradunt deinde arma diſcipulo, docent aptare manus, docent gradus componere: docent quo pacto, nunc fugere antagoniſtam, nunc inſequi debeat: quando fidendum viribus, quando arte vtendum. Quid? ij qui pueris præcepta tradunt grammaticorum, nónne primum ipſi exemplo vno, aut altero id præceptum quod ſit explicandum illuſtrant? nónne deinde, authoribus enarrandis, traditas iam antè præceptiones illorum ſcriptis accommodant, oſtenduntq́;, quis quo modo hoc, aut illo præcepto ſit vſus, quis neglexerit, quis obſeruarit? Atque ita demum ipſos etiam pueros iubent conari aliquid, iubent carmina meditari, iubent componere epiſtolas. Neq; vero id, quemadmodum in prouerbio eſt, ſine cortice. Adſunt ipſi, vitia indicant, emendari ea quo pacto queant demonſtrant: ſuas quoque interim epiſtolas, aut carmina illis imitanda proponunt: idq; annum vnum, aut alterum, quouſq; tandem aliquando ſuis illi alis fidere tutò poßint. Ita fit, vt iam inde vſque à pueris, non ſola diſcant præcepta, ſed & vſum quoque aliquem eorum nouerint præceptorum. Quam docendi rationem putant obſeruandam eſſe etiã in dialecticis: quorum ſi quis alius ſit vſus præter iſtos gymnaſiorum conflictus, hunc aiunt indicari*

*oportere eis qui doceantur: neq; tam referre illorum, vt aduerſus præceptum quodq; plauſtra aliquot conuehas obiectionum: quàm vt commodis in ſingulorum explicatione vtare exemplis, demõſtresq́;, quo pacto alij hac aut illa præceptione ſint vſi, quo modo ipſis vtendum. Hoc, vt dilucidius fiat, ſic explicant. Aiunt dialecticen de earum eſſe numero artium, quæ velut miniſtræ quædã ſint artium cæterarum, quasq́; vſus modo cauſa diſcẽdas eſſe omnes confirment. Itaq; enitendum nobis huc eſſe, principio, vt quæcunq; in ea, etiamſi argute quidem & cũ maxima quadam ſubtilitate dicuntur, tamen nihil aut minimum vtiq; conducũt ad vſum: ea omnia aut in totũ ſubmoueantur, aut certe non oneretur hiſce rebus iuuentus: quod genus magna ex parte eſſe, quæ ſola hodie docent ſcholæ: necnon multa etiam ex ijs, quæ tot libris complexus eſt Ariſtoteles. Deinde, vt quæ ad vſum facere videãtur, ea tradantur ſic iuuentuti, vt quinam is illorum ſit vſus intelligat. Atq; id tribus rebus fieri poſſe. Primum. ſi (quemadmodum dixi) in tradendis præceptis nõ tam agamus illud, vt aduerſus ſingula quæq;, myriades aliquot cogamus argumentorum, quàm vt commodis vnũquodq; declaremus exemplis, ſiue ea cõminiſcamur ipſi, ſiue ex authore quopiam afferamus. Ea autem exempla, familiaria quidem eſſe oportere: non tamẽ otioſa atque inepta. Nam vt grammatici paulo diligentiores ſuarum eſſe partium cenſent, non qualibuſcunq; vti exemplis in explanatione præceptorum ſuorum: ſed quæ præterquã quòd præcepta illuſtrant, vtilem etiam aliquam complectuntur ſententiam: ita & dialecticis illud curæ eſſe debere, vt quæcunq; explicandis præceptis ſuis, vel effingant ipſi, vel aliunde ſumpta adducant, ea ſemper eiuſmodi ſint, vt ad ciuilem vſum communemq́; hominum vi*

*tam accommodari queant: & vel ad virtutem hortentur, vel à vitijs deterreant, vel alioqui ad formandos mores, ac vitæ inſtitutionem pertinere videantur. Ita fore, vt & poſtea ſcholam egreßi, ſciamus quid in ludo egerimus quoque pacto in rebus eiuſmodi, ijs præceptis vti debeamus. Deinde, ſi in enarrandis authoribus, ſiue ſacris illis, ſiue prophanis, nam ad hoc vtrunq; inſtitutum nihil refferre, omne artificium dialecticum, velut digito indicemus. Nam, vt in hiſce explanandis partes ſint grammaticorum, & rhetorum, vt quàm emendate, quàm eleganter vnumquicque dictum ſit quærãt: ita pertinere ad dialecticos, vt quàm credibili quiſq; oratione ſit vſus oſtendant. Qua in re duplicem ineſſe errorem hoc ſeculo: vnũ eorum, qui vt primum audiunt explicari poetam, enarrari hiſtoriographos, prælegi epiſtolas doctorum virorum, continuo vociferari ſolent, aliud nihil quàm doceri grãmatica. Eorum alterum, qui poſteaquam totũ ſeſquiennem ſem impenderunt audiendis libris grammaticorum, ſtatim ad authores quoſuis enodandos proſiliunt, perinde quaſi nihil ibi præter fabularum vocularumq; explicationem quærendum ſit. Tertium, quod ad tradendũ vſum neceßarium putant, eſt, vt præter ea quæ iam diximus, quotidie ciuilia quædam themata in gymnaſijs proponãtur: & in ijs ipſe præceptor primas (vt ſic dixerim) ducat lineas, oſtendatq; qua ratione, qua via, ea themata in hanc aut illam partem declamari poßint: quæ exordiendi ratio, quo pacto narrandum, quo tractanda ordine argumentatio, quo modo concludẽdum. Hac demum ratione fieri poſſe, vt in vmbra adhuc degens iuuentus, luci tamen aſſueſcat, atq; vſum aliquem eorum quæ diſcit intelligat. Hæc illi cum alijs multis, à quibus recenſendis ea de cauſa mihi ſuperſedendum putaui, quòd haud ſcirem,*

an omnibus perinde eſſent futura grata. ¶ † Vnus Quin 17
tilianus conatus eſt explicare.] Libro inſtitutionũ quin-
to. Quanquam multum intereſt inter præceptiones Fabij
& Rodolphi. Ille docet, quo ordine, quáve ratione vten-
dum ſit argumentis poſteaquã inuenta ſunt. Rodolphus,
quemadmodum ea inueniri eruiq́; ex locis poßint. Quo
autem ordine ſit vtẽdum inuentis, id explicat libri tertij
capite decimotertio, & decimoquarto. ¶ † Nunc autem 18
quotuſquiſq; Quintilianum attingit eorum, qui philoſo-
phiæ ſibi nomen aſſerunt.] Ferri poterat, ſi non attingãt
ipſi: niſi alios etiam, mirum quibus artibus, non à ſolo
Quintiliano, ſed ab omni politiore literatura auerterent,
planéq; facerẽt id quod aiunt in præſepio canem, qui nec
ipſe hordeum edit, nec ferre poteſt, vt accedãt eò equi, aut
boues. ¶ † Quiq́; omnes iuſtæ literaturæ numeros imple 19
uerit.] Qui ad culmen & quaſi apicẽ melioris literatu-
ræ peruenerit. ¶ † Sibi ferè iſta muſiſq́;, vt dicit, diſcit.] 20
Diſcit idcirco, vt ſciat ipſe, nõ vt alijs ea quæ nouit cõmu-
nicet. Ita tibicen Antigenidas ad diſcipulum quendam
ſuum, doctum illum quidem, ſed frigentem ſanè ad popu-
lum, mihi (inquit) cane & Muſis. ¶ † Raimundus quiſ- 21
dam cognomento Lullus.] Fit & hodie nonnunquam
mentio à quibuſdam de arte iſta Lulli: cæterum libros
quibus ea ars continetur, mihi nondum videre contigit.
¶ † Balearis.] Ex altera Balearium inſularũ, nam duæ 22
ſunt hoc nomine in Hiſpania. ¶ † Qui numerant, nõ iu- 23
dicant.] Sic & Plinius in epiſtola quadam conqueritur,
numerari ſententias, non ponderari.

Cicero de claris oratoribus.

¶ Quo ordine tractanda ea ſint, quæ hoc libro
ſunt explicanda. Et quid dialectice.

## CAPVT. II.

*De ordine dicendorum.*

STatutum eſt igitur nobis hoc libro vſum tradere locorum, hoc eſt (vt idem apertiorib⁹ dicamus verbis) explicare, quo pacto paranda ſit diſſerendi facultas illa, quã dialecticen vocãt. Id cõmodiſſime facturi videmur, ſi oſtenderimus, quæ ſit materia eius, quod inſtrumẽtum, quis rerum tractatus. Materiam dico rem, de qua diſſerimus. Inſtrumentũ, orationem, qua, quod dictũ eſſe de re volumus, explicamus. Tractatũ, quomodo hæc paranda ſint, & quæ cuiq; rei aptanda.

*Nomen dialecticæ.*

¶ Hæc quò facilius ſit videre, optimum fuerit initio definire, quid ſit dialectice, & cui vſui (hic enim finis eius erit) deſtinata ſit. †Et nomen quidem dialectices nonnulli Latine tentantes dicere, diſſerturam vel diſputaturã, quemadmodum & grãmaticen literaturam dixere: Verum quãdo & illa aſperiora ſunt, atq; vſu minus recepta, & Græco perinde ſunt vſi pleriq; Latini tanquam ſuum eſſet, nos etiã Græco melius vtemur.

*Dialecticam eſſe artem.*

Dialecticen quidam ex artiũ genere voluerũt eſſe, quidam facultatem quandã vocauere. Verũ vtro dicatur modo, nõ eſt quod in præſentia valde nos ſolicitos habeat. Artem eſſe cõmunis accepit opinio, & artem diſſerendi vulgo dicimus, hocq; nomine editi de ea inſcribuntur libri. Eritq; nimirum indignũ, artiũ eam excludere numero, quæ reliquarum dux ſit, & ſtabilitrix

artium, & ſine cuius præſidio tueri fines ſuos
reliquæ nō ſatis cōmode poſſint.† Quod ſi eſt 2
ars (vt quidā definiuere) collectio multarum
de vna re cōprehenſionum, ad finē aliquem
vtilem vitæ.† Vel (vt alij) recta ratio rerū fa- 3
ciendarū: nemo ipſam dubitauerit artē voca-
re. nam & multas cōprehenſiones colligit, quo
pacto inueniendū ſit argumētū, & quomodo
iudicandū, vbi inueneris: & faciendorū iſtorū
rectā tradit eatenus rationē, † quatenus facien 4
di verbū poteſt iſtis aptari. Vtilemq; eſſe certū
eſt, ſi falli, decipi, vera pro falſis, falſa pro ve-
*Cauilli ſubmotio.*
ris accipi, inutile putamus. Fallit tamen non-
nunquam dialecticus, & pro veris falſa tradit.
Euenit id quidē, ſed & nauē gubernator euer-
tit, & medicus aliquādo perimit. Hominum
ſunt iſta, non artiū. Atq; vel eò magis fatendū
erit, vtilē eſſe dialecticen, cū & qui oratione ſe-
ducūt, aſtu id perſæpe, nulla etiā inſtructi arte
faciant: & qui fallitur, ſi artem calleret, vel ne-
quaq̄ id, vel minus vtiq; pateretur. Sanè ſicut
reliquæ artes, quæ remedio ſunt inuētæ huma-
nis neceſſitatibus, nō potuerunt ſuccurrere in-
cōmodis, niſi prius ea detegerent: ſic dialecti-
ce, cum magna ex parte in eo ſit poſita, quo pa
cto laqueos captionū fraudumq; in dicēdo vi-
temus, neceſſe habuit aperire inſidias, & oſten
dere quàm varie quis capi poſſet. Quæ ſi quis
inde deprompta, vtenda ſibi putauit: nō artis
hæc

hæc eſt culpa,vitare fugienda monſtrãtis:ſed
improbitatis, ſectari vitanda cupientis. Ape-
rienda enim ſunt,vt caueantur mala:& nemo
artifex tantũ remedia nouit. Relictũ ergo no-
5 bis ſit,artem eſſe dialecticen. †Artiũ autẽ aliæ *Quo ar-*
ad naturas rerũ cognoſcendas, aliæ ad vitam *tium ge-*
hominũ emendandam,alię ad orationis dicẽ- *nere con-*
diq́ regulã pertinent:huiusq́ generis dialecti- *tineatur*
6 cen eſſe apparet. † Orationẽ omnẽ initio dixi- *dialecti-*
mus in id paratã eſſe,vt animi ſui participem *ce.*
quiſq́ faceret alium. Tria ergo cõſtat in omni
oratione eſſe oportere,eum qui dicit, eum qui
audit,& rem de qua habetur oratio:treſq́ pro-
inde in dicendo obſeruationes,vt percipi poſ-
ſit,quid ſibi velit qui dicit: vt cupide audiat,
cui dicitur:vt probabile ſit,habeaturq́ fides ei,
quod dicitur.Primum grãmatice docet,quæ
emendate & aperte loquẽdi viã tradit. Proxi-
mũ rhetorice,quæ ornatũ orationis,cultumq́,
& omnes capiendarũ aurium illecebras inue-
nit.Quod reliquũ igitur eſt,videbitur ſibi dia
lectice vendicare, probabiliter dicere de qua-
libet re,quæ deducitur in orationẽ. Itaq́ quæ-
cunq́ ad inuentionẽ pertinebũt, huius (ſi ve-
rum fateri volumus) erũt negotij. Quoniam
autẽ pleraq́ ſibi rhetores de inuentione,& plu
ra etiã quàm quiſquã dialecticorum dicenda *Probabi-*
7 ſumpſerũt,†quale id ſit dicemus pòſt paulum. *le, quid*
Id nunc dicamus, quia volumus dialectices *dicatur.*

eſſe, poſſe de quolibet dicere ꝓbabiliter: pro-
babile in diſſerẽdo nõ ſolum id eſſe, quod re-
uera probabile eſt. †hoc eſt, quẽadmodũ Ari- 8
ſtoteles inquit, quod vel omnibꝰ videtur, vel
plurimis, vel ſapientibus, hisq́ue vel omnibus,
vel plurimis, vel ſpectatis probatisq́ue. Vt ſit
exẽpli gratia quod omnibus videtur, religioſe
colendũ eſſe deum, exhibendã pietatẽ paren-
tibus. Quod plurimis, parãdas opes, honores
expetendos eſſe. Quod ſapientibus omnibus,
meliorẽ eſſe opibus eruditionem. Quod plu-
rimis, virtutẽ maxime expetendã eſſe. Quod
ſpectatis, vt quod Plato dixit, quod Ariſtote-
les, quod Theophraſtus. Sed quoniã cõſultò
nonnunquã talia ad dicendum ſumuntur, vt
difficile ſit huiuſmodi quicquam eis accõmo-
dari: in his ideo abunde nobis erit probabile,
quod apte cõſentaneeq́ue de re propoſita dice-
tur. quẽadmodũ multa de rebus, quæ prorſus
fieri non poſſunt dicũtur: qualia de cõmentis
fabularum ſuarum poëtæ, qualia etiam apud
nos †Apuleius duodecim libris de Metamor- 9
phoſi ſua, & apud Græcos †Lucianus in libris 10
eis, quos veræ hiſtoriæ inſcribit, quibus ea ſcri
pturũ ſe dicit, quæ neq́ue quiſquam alius vidit,
neq́ue quiſquã ſit crediturus. Non quòd neſciã,
poſſe etiã reuera probabiliter de re eiuſmodi
dici, quæ non ſolum à fide rerũ, ſed facultate
etiã abhorreat, vt Lucianus idem, † poſſint'ne 11

homines in aues mutari: & apud Macrobium,
12 † fuerit'ne prius ouũ an gallina: quorũ vtrum vis ſumas, incredibile videtur: de vtroq; credibiliter tamen diſſeritur. Nã bonũ & malum idem eſſe, quod Heraclitus, quodq; poſt eum alij: & nihil ſciri poſſe, quod noua Academia dixit: permultaq; alia eiuſdẽ notę, nõ ſolũ qui credibiliter dicerẽt, ſed maximos authores qui crederẽt iſta habuerũt. Probabile ergo dialecti ces erit, & ꝓbabiliter dicere, qđ pro cõditione rei propoſitę, quàm aptiſſime ad fidẽ dicetur. Erit ergo nobis hoc pacto definita dialectice, ars ꝓbabiliter de qualibet re propoſita diſſerẽdi, prout cuiuſq; natura capax eſſe poterit. *Definitio dialecticæ.*

SCHOLIA IN CAP. II.

1 *ET † nomen quidem dialectices, nõnulli latine tentantes dicere, diſſerturam vel diſputaturam &c.] ea Hac de re non inutile fuerit legere ea, quæ habet Fabius lib. ſecũdo de nomine rhetorices. Quo ex loco facile erroris coargui poſſunt, qui vel diſputatricem, vel diſputatoriam dialecticen interpretari ſunt. Etiam ſi nõ me clam eſt, ab ipſo etiam Quintiliano nonnunquã obiter atq; aliud interim agente, diſputatricem eam vocatam eſſe. Sanè quemadmodum literatura, quæſtura, prætura, cenſura, dictatura: ita diſputatura quoq; aut diſ-*
2 *ſertura dicendum foret: ſi pateretur vſus.* ¶ † *Quod Ars. ſi ars eſt, vt quidam diffiniuere, collectio multarum vna de re comprehenſionum.] Simon paraſitus apud Lucianum, oſtenſurus paraſiticen eſſe artem, hanc finitionem ceu baſim, ac fundamentum totius ſuæ* *Dialectica Diſſertura Diſputatrix.*

*diſputationis ponit.* τέχνη ( *inquiens* ) ἐστὶν, ὡς ἐγὼ Δια-
μνημονεύω σοφοῦ τινος ἀκούσας, σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγε-
γυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. *Ars* (*in-
quit*) *vt quidem ego à ſapiente quodam audiſſe memini,
eſt collectio comprehenſionum exercitatarum ad vtilem
aliquem eorum quæ in communi hominum vita ſunt fi-
nem. Crebra* τῶν καταλήψεων *mentio fit apud Ciceronem
in libris de finibus: quas interim cognitiones, interim cō-
prehenſiones interpretatur. Qua de re nonnihil attinge-
mus & poſtea.* ¶ † *Vel, vt alij, recta ratio rerum facien-* 3
*darum.* ] *Ita enim diſcernunt prudentiam & artem, vt*
Prudentia. *prudentia rerum agendarum recta ſit ratio: ars autem fa-
ciendarum. Porrò actionem eſſe, quæ intra ſeſe conſumi-*
Ars. *tur, neq; operis quicquam poſt ſe relinquit: factionē, quæ
relinquit poſt ſe aliquid, vt ſunt ſcribere, texere, fabrica-*
Factio. *re, ædificare. Neq; verò eſt cur vocabulum factionis tan-
topere formidemus in hoc ſignificatu, cum non modo in
topicis, ſed in ſeptimo etiam libro familiarium epiſtola-
rum, teſtamenti factionem dixerit Cicero, quod ſi parū
latine dici putaſſet, non tanti apud eum fuiſſet authori-
tas iureconſultorum, vt in illorum gratiam barbare loqui
ſuſtinuiſſet.* ¶ † *Quatenus faciendi verbum poteſt iſtis* 4
*aptari.* ] *Hoc ideo dicit, quòd id verbi magis ad corporis
quàm ad animi actiones pertinere videtur: ac ne corpo-
ris quidē omnes, ſed eas maxime, quæ operis aliquid poſt
ſe relinquunt.* ¶ † *Artium autem aliæ ad naturas rerū.* ] 5
*Hanc ipſam artium diuiſionem fecit & libro ſuperiore,
capite vndecimo.* ¶ † *Orationem omnē initio diximus.* ] 6
*Libri prioris capite. I.* ¶ † *Quale id ſit, dicemus poſt pau-* 7
*lum.* ] *Huius libri capite decimooctauo.* ¶ † *Hoc eſt,* 8
*quemadmodum Ariſtoteles inquit.* ] *Ariſtotelis hac de
re primo Topicorum libro verba ſic habent:* Ἐστὶ δὴ ἀληθῆ

μὲν καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν ἔχοντα
τὴν πίστιν, οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι
τὸ διατί. ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πι-
στήν. ἔνδοξα δὲ τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σο-
φοῖς, καὶ τούτοις τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα
γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. Hoc eſt: Sunt ſanè vera & prima,
quæ non per alia, ſed per ſemetipſa vera eſſe creduntur.
Neque enim in principijs ſcientiarum inquirenda eſt cau- Prima
ſa, quamobrem vera ſint: ſed vnunquodque eorum tale pricipia.
eſſe oportet, vt per ſe ei fides habeatur. Probabilia autē, Probabi-
quæ vera eſſe videnť, aut omnibus, aut pleriſq;, aut ſapiē- lia.
tibus: atq; ijs rurſum, aut omnibus, aut plurimis, aut ſpe-
9 ctatiſſimo atq; illuſtriſſimo cuiq;. ¶ † Apuleius duodecim
libris de metamorphoſi ſua.] Quibus titulū fecit, de aſi-
10 no aureo.] ¶ † Lucian. in libris eis quos veræ hiſtoriæ in-
ſcripſit.] Hi κατ' ἀντίφρασιν nomen habent. Inſcribun-
tur enim τῆς ἀληθοῦς ἱστορίας, cum nihil veri, ſed fabulas
meras contineant. Id quod ipſe Lucianus teſtatur, cum
priori libro inter cætera ſic ait: γράφω τοίνυν περὶ ὧν μήτε
εἶδον, μήτ' ἔπαθον, μήτε παρ' ἄλλων ἐπυθόμην. ἔτι δὲ μὴ ὅλως
ὄντων, μὴ δὲ τὴν ἀρχὴν γενέσθαι δυναμένων. διὸ δεῖ τοὺς
11 ἐντυγχάνοντας μηδαμῶς πιστεύειν αὐτοῖς. ¶ † Poſſint ne ho-
mines in aues mutari.] Extat dialogus Luciani, qui
inſcribitur ἀλκυὼν, ἢ περὶ μεταμορφώσεως. In eo Socrates
Chærephronti argutiſſimis aliquot ratiunculis perſua-
12 dere conatur, homines in aues mutari poſſe. ¶ † Fue-
rit ne prius ouum an gallina.] Lege Macrobij ſatur-
naliorum librum ſeptimum, circa finem.

¶ Finis dialecticæ quid ſit.

## CAPVT III.

*Finē dialectices eſſe,probabiliter de re propoſita dicere.*

HINC iam haud difficile fuerit videre, quis ſit dialectices finis, ad quem ſint illi cuncta referenda. Si enim fines ſunt artium, opus cuius gratia diſcuntur: vt quæ contēplationis cauſa diſcuntur, earū finis ſit cōtemplatio: quæ propter formandam vitā, probitas: quæ propter aliam aliquam actionem, hanc ipſam actionē cui deſtinantur finem habent: † erit nimirum dialectices finis, probabiliter de re propoſita dicere: quando huic ſoli rei eſt inſtituta. Id ſcilicet eſt quod initio dixi, docere aliquid eum qui audit. Neque iſtud tamen ſic accipiendum eſt, vt quiſquis aliqua ratione docet, dialectices munere fungatur. Nam & grammaticus, qui fabulam poetæ explicat, qui hiſtoriam recenſet, qui verba interpretatur, docet: ſic etiā qui interroganti, eſt vel non eſt, reſpondet, docet: nihil tamen vterq; horum agit, quod ad dialecticum pertinet. Quoniam enim ſatis habet ab eo qui audit intelligi, quod vt prædiximus, aperte emendateq; loquendi præceptis cōſtat: poteſt grāmatices finibus, quæ iſta docet, eſſe cōtentus. Sed qui ita docet, vt fidē feciſſe oratione velit, & dicēdo auditoris ad ſe trahere mentē, quatenus id facit, dialectici negotiū agit. Oratione autē iſtud & dicendo fieri velim, nam qui ſtulta auditoris credulitate abutitur (vt ſunt pleriq;, qui nō dictioni cre-

*Quæ docendi ratio ſpectet ad dialecticum.*

dunt,ſed dicenti, quanquam dicat incredibilia,quanquã repugnantia)hic non magis dialectici præſtare officiũ videbitur,quàm imperatoris ille,cui non ſua virtus, ſed hoſtiũ metus victoriã tradit. Quod dicimus autẽ, aperte dicẽdi rationem ad grammaticũ pertinere, illud non erit ignorandũ nobis, perſpicuitatẽ orationis verbis conſtare & rebus. Verbis, vt non ſint vel improprietate,vel vetuſtate, vel nouitate obſcura: († quanquam nouãdis verbis apud Latinos null⁹ ferè relictus ſit locus) ne ve contra naturã ſuam perplexius conſtructa. Hæc quidẽ perſpicuitatis pars ad grãmaticum pertinet. At perſpicuitas quæ in figuris ornatuq́ꝫ verborũ eſt poſita,ea rhetorices præceptis conſtat. Rerum autẽ perſpicuitas, partim in natura illarũ,partim in tractatu cõſiſtit. In natura,quoniã aliæ natura obſcuriores ſũt, aliæ apertiores, & cognitioni noſtræ magis expoſitæ. Ea ad orationẽ nõ ꝑtinet,quoniã cũ rebus ipſis ad orationẽ qualiſcunq́ꝫ eſt, affertur. Alia eſt,quam ordine diſponendisq́ꝫ conſequimur rebus, quoniam vt aliquid ante póſt ve dictum eſt, ita plus minús ve intelligendo alteri confert. Hæc ex dialectici eſt inſtitutis, quoniam non modo percipiendis rebus ordo plurimum præbet adiumenti, ſed nonnunquam etiam fides earum magna ex parte ipſi eſt innixa. Quemadmodum

*Duplex in oratione perſpicuitas.*

*Rebus quoq́ꝫ duplicẽ perſpicuitatẽ ineſſe.*

enim nemo pictorem quempiam aut fictorem conſummatum dixerit, qui omnia quidē ſcorſum membra exacte exprimeret, iũgere autem ea neſciret, & in eam habitudinem cōponere, vt motus aut actus alicuius quam vellet imaginem imitarētur: ſic ne dialectici quidem nomen ſibi vendicabit, qui omnia faciendæ fidei inuenire ſciat, ſed diſponere & in ordinem redigere, vt fidem cui deſtinātur facere poſſint, neſciat. Hic itaq; finis erit dialectices, docere pro facultate rei de qua diſſeritur, id eſt, inuenire quæ fidei faciendę ſint apta, & inuenta diſponere, atq; vt ad docendũ quàm accōmodatiſſima ſint ordinare. Iudicandi enim partē, hoc ipſo quòd faciendę fidei apta inuenire debere præſcribo: cōprehenſam in præſentia velim. Nanq; perinde videtur, non inuenire, & inuenire eiuſmodi, quæ iudicētur inſtituto noſtro apta non eſſe.

SCHOLIA IN CAP. III.

*Erit † nimirum dialectices finis, probabiliter de re propoſita dicere,] Recte hoc, ſiquidem idē eſt officiũ artis & finis: quod Cicero in rhetoricis negat.* 1

*¶ † Quanquā nouandis verbis apud Latinos nullus ferè relictus ſit vſus.] De his Fabius libro octauo cap. tertio: & M. Cicero tertio libro de bonorũ & malorũ finibus.* 2

*¶ Motionem affectuum ac delectationem, quatenus inuentio eis conueniat, non eſſe à docendi officio ſeiuncta: quanquam delectatio certe ab vtroq; ſit alienior.* CAP. IIII.

SEd quia inuentionẽ, docẽdi ſubiecimus officio, videatur autem ſuã etiã habere inuentionem qui mouet & qui delectat, quæ diſtincta à ratione docendi authores fecerunt, nõ immerito videbimur anguſtioribus terminis quàm fert natura inuentionis, hanc partẽ terminaſſe.
1 †De hoc quoniam exactius initio dicturũ me ſum pollicitus, hic locus videtur aptiſſimus huic rei explicandæ. Definienda erunt iſta, & oſtendendum quid ſint, quò facilius queant diſtingui. Docere ergo, eſt rem ex ignota facere notiorem. Mouendi quidẽ generale eſt nomen, & quod late patet: ſed in præſentia tãtum *Docere.*
2 ad mẽtem referimus: †vt ſit mouere, pacatam tranquillamq; mentem, affectibus perturbare. Delectare, eſt tale aliquid adhibere, cuius ſenſu atq; perceptione, is qui accipit, gaudet. Vel, eſt aliquid facere, quod ſit ſenſui eius qui id percipit, accõmodatum. Iſtaq; vel rebus fiunt *Mouere.* *Delectare.*
3 vel oratione. †Nam & re docemur, quoties rei alicuius experimentum ſumimus, vel præeuntem aliquem præmonſtrantemq; ſequimur. vt pictor, qui oſtendit quomodo ductis lineis, vel tumens vel cauum aliquid exprimatur, quis color vmbram reddat, quis lumen: quomodo ſubſidentes res & viſui ſeſe longinquitate ſubtrahentes, in plano ſint imitandæ: hic rebus docet. Poſſunt & hæc eadem oratione *Doceri, affici, delectari, duobus modis cõtingere, rebus & verbis.*

fieri,vt non monſtrentur, ſed tradantur ver-
bis.†Erudite itaq; Plutarchus, inquit, poëma 4
picturam loquentẽ eſſe,picturã eſſe tacens poẽ
ma:illud ſignificans,docere ambas, & perſæ-
pe res eaſdem:ſed alteram loqui,id quod alte
ra oſtendat.Sic & affectus, rebus & oratione
mouentur.Multo autẽ maxime rebus in fletũ
prorumpũt. Neq; enim crediderit quiſquã, tã
paratas fuiſſe P.R.lachrymas,† vt qualibuſ- 5
cunq; epilogorũ Ciceronis verbis, quãquam
ſint illa quidem ingenioſiſſime & aptiſſime ad
commiſerationẽ compoſita,ad lachrymas co-
geretur,niſi tamen inſignium reorũ ante ocu-
los poſita calamitate & actione, flebilibusq;
modis quibuſdã, & ante omnia manantibus
vbertim lachrymis Ciceronis iſta commenda
rẽtur.Delectari nos rebus ſimiliter & verbis,

*Quatenus hic de affectu & oblectatione agatur. Quatenus in mouẽdis affectibus locus eſſe poſſit argumẽtatiõi.*

notius eſt,quàm vt indicari oporteat.¶ Nobis
autẽ de his rebus tantũ eſt ratio,quatenus fiũt
oratione:hacq; via,quod ad inuentionẽ perti-
net,minime videntur à docendi ratione eſſe
diſcreta.¶ Sane Ariſtoteles ait, cum cõmoue-
re quis audientẽ velit,ſuperuacuam eſſe argu-
mentationem. Id quod haud dubie ita eſt, ſi
accipimus argumentationẽ,quo purã nulliſq;
corruptam affectibus fidem conamur facere.
Tenet enim argumentatio intentam & velut
expergefactam mentem, vt nullus facile ſub-
repere & auferre ipſam poſſit affectus. Quin-

etiam tenue illud & ſedatum argumentandi genus, turbulentæ affectuum agitationi minime conuenit: non quòd eadem res & ad docẽdum, & ad mouendum apta eſſe nõ poſſit, ſed quia argumentandi illa quies, rapiendo extra ſedes ſuas animo accommodata non eſt. Ad hæc, ſi capimus argumentationem, vt id oſtendat & colligat, cuius mentione volumus commouere audientem, certum eſt affectibus eam non conuenire. Nemo enim ſperauerit quẽquam ea in re commoueri poſſe, de qua, ſit ne ita, néc ne, prorſus addubitet.

Quòd ſi omne id vocemus argumentationem, quo dubia incertaq́ colligimus, non modo opus ea eſſe ad affectus euocandos crediderim, ſed crebriorem etiam denſioremq́ eſſe oportere. Viribus enim opus eſt, & rapienda mens, auferendusq́; ipſe ſibi animus, & velut extra ſe ponendus. Imitantur hoc in eloquendo authores: vt ſi quo minus ſint ipſis plura quæ dicant, idem tamen mutatis ſubinde
6 verbis, velut plura ingerant. † Quid aliud Virgilius expreſſit, cum dicit apud eum Dido: Per ego has lachrymis, dextrámque tuam te, Per connubia noſtra, per inceptos Hymenęos. Idem erant dextra, & connubium, & Hymenæi: non enim aliud quàm fidem coniugii his tribus ſignificat. repetendo tamen aliis verbis, tanquam plura inculcauit.

Sed adhiberi moribus argumẽtationem facile ſciet, † ſi quis poetas omnis generis, qui δραματικὸν aliquid, hoc eſt, qui actũ perſonasq́ habent, verſauerit, tũ vero præcipue poterit oſtendere tragœdia, apud quam ex profeſſo omnia ardent affectibꝰ. Sed & hiſtorici & oratores etiam quatenus res permiſit, hac laude ingenii poetis non ceſſere. Cicero vt omnibus eloquentiæ partibus, omnibus aliis fuit ſuperior: ita hac parte ipſe ſibi comparatus videtur ſupra cæteras laudes ſuas eminere. Ne ergo verbis colligamus, quod apud illũ exemplo demonſtrare in promptu eſt, ab eo potius huius rei fides nobis petatur. Longũ eſt per oẽs ire affectus, commiſeratione͂ videamus. Vna enim eſt omnium in cõmune natura: & quod in hac oſtẽderimus, facile liquebit in reliquis.

*Duo ad miſericordiam mouendam neceſſaria.*

Duo ſint oportet in miſericordia mouenda, acerbus alicuius caſus, & cum qui perferat indignum illo videri. Quid ergo? non omnibus commiſerationibꝰ Cicero, vel vtraq́ hæc, vel ſi alterum apertum putat, alterum multis argumentis proſequitur? Pro Milone, Clodii primum inuidiam ẽ tota vita illius, omnibus factis eruit. Sed omittamus hanc, atq́ quæramꝰ id quod ſumpſimus. Quo magis potuit oſtẽdere indignũ exilio Milonẽ, quàm quòd fortiſſimus vir erat: atq́ præſentis periculi metu, non animum, non vultum, nõ orationem mu-

*Explicat artificiũ epilogi pro Milone.*

tabat? Ergo ſubiicit iam formatā & expreſſam argumentationem à minori deductam. Si cū gladiatorū miſeret cō magis, quo minus ſunt ſupplices, quanto rectius fortiſſimus vir con-
8 tumax periculorū nos mouebit? † Profert eū ſe primum affectus, vtq; animus dicentis, ita etiam pacatior adhuc eſt oratio. Deinde datis Miloni verbis, liberius erumpit. Valeant (inquit) valeant ciues mei. An non Milo erga Populum Romanū hoc animo, quem iſta verba præferunt, indigniſſimus tali caſu videbitur? Iam reliqua plenis (quod aiunt) velis: O fruſtra (inquit) ſuſcepti mei labores, ò ſpes fallaces: merita habēt Milonis erga omneis ordines. Deinde priuatim beneficium Ciceroni in reditu illius velut populi voluntate datum. Poſt hæc egregia eſt omnium ordinum de Milone opinio. Iam animus illiꝰ omnia ex virtute æſtimantis: quòd recte factorum præmium ſint ipſa recte facta. Iā gloriæ amplitudo, De me (inquit) ſemper Populus Romanꝰ, ſemper omnes gentes loquentur. Quid his omnibus agitur, niſi vt oſtendatur indigniſſimum eſſe Milonē eo caſu, quē intētēt aduerſarii? Adeo, vt ſi quis conicere in ſyllogiſmos iſta velit, & diſputantium more colligere, nihil expeditius aut facilius fieri poſſit. Pro eo quod reliquum erat, vt oſtenderet grauiſſimum eſſe hunc Milonis caſum, orator tractandorum animorum

artifex peritiſſimus, transfert in ſe hãc calamitatem: proq; Milonis perſona, ſuam, hoc eſt, amici, qua nihil fauorabilius eſſe poteſt, ſubſtituit: vt lachrymæ eius querelæq;, non iam Milonis vicem, ſed ſuã dolentis deflentisq; fortunam iniuſtiſſime fieri videantur. Quid ergo potuit grauius cõtingere Ciceroni, quàm eo ſe priuari amico, pro cuius ſalute ſuam ipſe paratus ſit dependere: cupiatq; mori, priuſquã tantum mali videat? eo amico, cui tum ſint omnia à ſe officia amicitiæ tributa, in irritũ ſint omnia præſenti caſu reciſura? eo etiã amico, cuius fortunam ipſe ſuam ducat: & in cuius caſu, omnia in ſe iudicũ beneficia velit extincta: & qui ſibi, qui liberis ſuis, qui fratri, omnibus in vno cõſeruatis, author fuerit ſalutis? quodq; omnium acerbiſſimũ eſt, pro cuius incolumitate, nõ vitam modo Clodij paciſci velit, ſed prætorem etiam cum conſulemq;, & dictatorem videre.

*Notatiũcula.* Reſpicit autẽ ſubinde orator ab affectu ad cauſam. Neq; enim id agit ſolũ, vt miſericordiam moueat: ſed vt per miſericordiã, id quod cupit, iudicũ animis extorqueat. Hinc ergo ſunt illa, Quid vos iudices? quo tãdem animo eritis? Et, vos vos appello fortiſſimi viri. Et quæ paulo poſt ſequuntur: at in qua cauſa non potuiſſe? & à quibus non potuiſſe? & quo deprecante? Verũ hæc ad inſtitutũ noſtrũ nihil pertinent, neq; enim hoc loco inueniendi rationem

explicamus, ſed illud voluimus oſtendere, ea quibus cõcitantur affectus, omnia ex eiſdem
9 duci locis, ex quibus ea, quibus docemus. † Eſt enim amplificatio (vt inquit Cicero) vehemẽs quædam argumentatio, vt illa docendi cauſa ſit, hæc cõmouendi. Illud non negauerim, latere plerunq; argumentationem in iſtis, & impetu vehementiaq; dictis obrui, fieriq; ſimiliorẽ expoſitioni orationem, quàm argumẽtationi. & quod ad dicendi figurã pertinet, plurimum inter iſta intereſſe, & rhetori quidem multum differre, dialectico propemodũ nihil. ¶ Sed de motu hactenus. Delectare (quod vltimnm ẽ tribus ponitur) vt ſit à mouendi docẽdiq; officio ſeiunctum, finis eſſe nulli orationi poteſt. Omnis enim oratio docet. Quoniã, ſicut modo oſtendimus, motus à docẽdo nullã habet, quod inuentionis eſt, differẽtiam. Docet autẽ quantũ in ipſa eſt. Neq; diſſerere quẽquam dicas, qui non aliqua de re affirmare aut negare aliquid, & certiores nos, quantũ ipſius eſt orationis, facere velit. Ergo vt oratio probet aliquid, ex natura rerũ diſpoſitioneq;, & ordine quã habent inter ſe cõtingit: vt delectet verò, in eius tantũ qui audit ingenio eſt poſitũ. Docẽdi itaq; ratio eadẽ ferè eſt apud omnes: quẽadmodũ res ſunt, quæ & per quas docetur. delectandi non ita, quoniã diuerſa ſunt hominũ
10 ingenia. † & ſic ſe (vt inquit Cicero) res habẽt:

*Amplificatio qd.*

*Delectationem finem orationi eſſe nõ poſſe.*

me mea,te tua delectant.Nemo ferè eſt,cui idē quod alteri placeat.Et pleriq; ab aliis diſſidēt, non vt melius,ſed aliud ſequātur.Cupit enim quiſq; ſuū eſſe,quod probat: & probat quiſq; maxime,quod ſuum eſt,hoc eſt, quod naturæ ſenſibusq; ſuis eſt accōmodatiſſimū. Non eſt ergo finis orationis delectare: quoniā non ex oratione,ſed ex audientis id animo contingit.

*Obiectio.* ¶ Quid ergo? Non multa voluptatis auriumq; gratia dicuntur? Non poëma,non hiſtoria, nō actio ciuilis, id maxime agūt, vt delectatione legentē detineant? admiratione ſuſpendāt? Illa etiā auſterior, ſeuerioriſq; ſupercilij philoſophia,horrorem rerum mollire verbis,& benignius influere in aures, atq; animos concupiſcit.

*Dilutio.* Vera ſunt iſta,fiūtq; vt dicitur,& oratione quidem fiunt.Non tamen dictionis ſunt finis, ſed dicentis. Quemadmodum enim cibi finis eſt explere famem:at conuiuator, quò gratius excipiat conuiuam, ſi lautius apparauit, idq; proſpexit,quo pacto nō ſatietati illius,ſed gulæ ſatisfaceret: quanquam id cibo quoq; fiat, nō tamen quatenus eſt cibus, ſed in inſtrumētum explendæ luxuriæ eſt à domino trāſlatus. Vt ergo cibi eſt alere,& firmare corpus:cōtrà qui voluptatē ſpectat,perſæpe ingerit noxia, & magnorum irritamenta morborum:ſic quæ aliquando verum dictionis ordinem ſequēti poſſent videri culpanda, dū audientis captamus

mus voluptatem, inter laudes numerãtur dicentis. Quale eſt ſtrictim & breuiter dicere, & ſolũ pro neceſſitate, ea, quæ capita ſunt, & firmamenta rerum. Aut quibus prope nihil eſt opus, dummodo excoli ornariq́ poſſint, latiſſime fundere. Quinetiam digredimur ab eo quod inſtituimus, vt in aliquid quod plauſibiliter dici queat deferamur: & quæ ſemel paucisq́ dicta percipi poterãt, ea repetimus, trahimus, longo verborum ambitu * enunciamus. *enumeramus.
Poëtæ quoq́ perſæpe à fide rerum ad incredibilia delabũtur. Confundũt etiam ordinem rerum, vt quod prius erat, dicant poſterius: quod poſterius, prius. Hæc aliaq́ permulta id genus, quæ rerũ eſſent nimirũ vitia, atq́ proinde orationis, quia ſignificandis ea rebus eſt inſtituta: ingeniorum tamen ſunt (quoniã placent) virtutes. Sunt tamen & iſta perſæpe coniuncta, vt quæ delectat præcipue, optime etiã doceat oratio: ſed & fidei quandoq́ locũ occupat voluptas. Diuerſa tamen ſunt, & diuerſas habent cauſas. Docere ergo, vel (ſi malimus) probabiliter dicere, proprium eſt diſſerentis (quod probare voluimus) munus. Mouere, ad inueniendi ratione͂ oſtendimus cũ docendi officio coniunctũ eſſe. Delectare, quoniam auditoris gratia expetitur, ad rhetorem rectius pertinebit. Nec enim habet aliquid cum inuentione negotij: aut ſi quid habet, ad docendi

*Summa capitis huius.*

*Eorum quæ huiusq́; in*

hoc libro officiũ ea parte redigetur. Quid igitur eſt dia-
*dicta ſũt* lectice,& quòd finis eius ſit docere, quid etiã
*epilogus.* ab eo mouere, & delectare diſtent, hoc pacto
ſatis ſit executos eſſe.

## SCHOLIA IN CAP. IIII.

*DE † hoc quoniam exactius initio dicturũ me ſum* 1
*pollicitus.*] *Libri præcedentis capite primo.*
¶ † *Vt ſit mouere, pacatam tranquillamq́; men-* 2
Motus. *tem affectibus perturbare.*] *Cicero in Partitionibus, Mo*
*tus autem eſt, inquit, animi incitatio, aut ad voluptatem,*
*aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem.*
¶ † *Nam & re docemur, quoties rei alicuius experimen-* 3
*tum ſumimus, vel præeuntem aliquem præmõſtrantemq́;*
*ſequimur.*] *Sic veteres illi Lacedæmonij, homines quoſdã*
Author *agreſtes, qui Helotæ dicebãtur, feſtis interim ſolẽnibusq́;*
Plutar- *diebus quàmaxime ad potum crapulamq́; incitare ſole-*
chus in vi *bant, atq; ita deinde vino ciboq́; obrutos immittere in cõ-*
ta Deme *uiuia iuuenũ, vti ij, conſpecta turpitudine ebriorum, temu*
trij. *lentiam vt rem maxime deformem, omnibus modis fuge-*
*rent, ac cauerẽt. Et Iſmenias ille Thebanus diſcipulis ſuis,*
*tam eos qui male, quàm qui bene modulabãtur, oſtendẽs,*
*dicere ſolebat, hoc pacto modulari oportet, illo non opor-*
*tet. Quæ quidem docendi ratio, rebus magis conſtabat,*
*quàm verbis,* ¶ † *Erudite itaq; Plutarchus inquit, poëma*
Plutar- *picturam loquentem eſſe.*] *Plutarchus in libello eo, quo* 4
chus. *diſputat, bellum'ne an philoſophiæ ſtudia clariores red-*
*diderint Athenienſes: Simonidem authorem huius lau-*
*dat ſententiæ. Verba eius, vt quidem hodie in exemplari-*
*bus leguntur, ſic habent:* πλὴν ὁ σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγρα-

φίαν ποίησιν, σιωπῶσαν ✱ προσαγορεύων, τὴν δὲ ποίησιν ζωγρα ✱ προσηγοφίαν λαλοῦσαν. ἃς γὰρ οἱ ζωγράφοι πράξεις ὡς γινομένας ἐνδεικνύουσι, ταύτας οἱ λόγοι γεγενημένας διηγοῦνται καὶ συγγράφουσι. Εἰ δὲ οἱ μὲν χρώμασι καὶ σχήμασιν, οἱ δὲ ὀνόμασι καὶ λέξεσι ταῦτα δηλοῦσιν, ὕλῃ καὶ τρόπῳ μιμήσεως διαφέρουσι, τέλος δὲ ἀμφοτέροις ἓν ὑπόκειται. καὶ τῶν ἱστορικῶν κράτιστος, ὁ τὴν διήγησιν ὥσπερ γραφὴν πάθεσι καὶ προσώποις εἰδωλοποιήσας.

*Poëma, pictura loquens.*

Verum Simonides, inquit, picturam poëma tacẽs, & poëma loquentem appellabat picturã. Quas enim res pictura pictores, perinde vt ſi nunc primum gerantur, penicillo exprimunt, ac demonſtrant: eas ipſas poëtæ orationibus, ac libris ſuis, factas iam narrant, atq; conſcribunt. Quocirca, ſi quod illi coloribus, ac figuris, id ipſum hi verbis ac dicendo ſignificant, planum eſt, materia quidem eos & modo imitationis differre: cæterum, finem tamen eũdem vtriſq; eſſe propoſitum, ac proinde etiam inter hiſtoricos eum primas tenere, qui narrationem perinde quaſi picturam, affectibus ac perſonis ceu ſimulacris quibuſdam implerit. Eiuſdem rei meminit ſeu Cicero ſeu quis alius author eſt, quarto libro rhetoricorum, ad Herennium.

*Ciceronis epilogi.*

¶ † Vt qualibuſcunq; epilogorum Ciceronis verbis.] Quantus fuerit in epilogis Cicero, ipſe in oratore docet his verbis. Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quòd etiamſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo vt viderer excellere, non ingenio, ſed labore aſſequebar. quæ qualiacunque in me ſint, me enim ipſum non pœnitet quanta ſint, ſed apparent in orationibus. etſi carent libri ſpiritu illo, propter quem maiora eadem illa cum aguntur, quàm cum leguntur, videri ſolent. Nec verò miſeratione ſola mens iudicum permouenda eſt, qua nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum

*infantem perorantes in manibus tenuerimus: vt alia in cauſa, excitato reo nobili ſublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione compleuerimus forum: ſed etiam faciendum eſt, vt iraſcatur iudex, mitigetur, inuideat, fa-ueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat, lætetur, doleat &c. ¶ †Quid* 6
*aliud Virgilius expreſsit, cum dicit apud eum Dido.] Quarto Æneidos. ¶ † Si quis poëtas omnis generis,* 7
*δραματικὸν aliquid &c.] Tria ſunt genera poëmatum, δραματικὸν, ἐξηγητικὸν μικτὸν, id eſt, actiuum, enarratiuũ, mixtum. Actiuum eſt, in quo perſonæ loquuntur ſolæ citra omnem poëtæ ipſius interlocutionem. Enarratiuum, quo ſemotis perſonis, ſolus poëta loquitur. Mixtum, in quo & poëtæ, & perſonæ introductæ loquuntur. Sic ferè Diomedes. ¶ †Profert enim ſe primum affectus.] Profert ſe, inquit, hoc eſt, exerit ſe, & paulatim naſcitur. Porrò totus hic locus, vt prima fronte nonnihil videtur obſcurior: ita lucidiſsimus erit, ſi huc adhibeatur ipſe Ciceronis pro Milone epilogus: qui tametſi fuſior eſt, ac proinde vni forſan, aut alteri, hoc vtiq; loco, futurus ingratior: mihi tamen ad verbum eum huc viſum fuit aſcribere, non ſolum quòd hic locus Rodolphi ſine eo intelligi omnino non poſsit: verum etiam quòd nihil mihi ad mouendam miſericordiam vehementius ne cogitari quidẽ, nedum in literas mitti poſſe videatur. Is ergo ad verbũ ſic habet:* Sed iam ſatis multa de cauſa: extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa: quid reſtat, niſi vt orem, obteſterq; vos Iudices: vt etiam miſericordiam tribuatis fortiſsimo viro: quam ipſe non implorat: ego autem repugnante hoc, imploro, & expoſco? Nolite ſi in veſtro omnium fletu nullam lachrymam aſpexiſtis Milonis: ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem,

Tria poëmatũ genera.

Actiuũ.

Enarratiuum.

Mixtũ.

ac non mutatam videtis:hoc minus ei parcere, atq; haud ſcio,an multo etiam ſit adiuuandus magis. etenim ſi in gladiatorijs pugnis,& infimi generis hominum conditione,atque fortuna,timidos,& ſupplices, & vt viuere liceat obſecrantes,etiam odiſſe ſolemus:fortes,& animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus: eorumq; nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt:quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſsimis ciuibus facere debemus?me quidem Iud.exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſsidue:& quibus adſum quotidie. valeant,inquit, valeant ciues mei:ſint incolumes,ſint florentes,ſint beati:ſtet hæc vrbs præclara, mihiq; patria chariſsima, quoquo modo merita de me erit:tranquilla Repub. ciues mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen,perfruantur: ego cedam, atque abibo: ſi mihi Repub.bona frui non licuerit,at carebo mala: & quàm primum tetigero bene moratam & liberam ciuitatem:in ea conquieſcam.O fruſtra,inquit,ſuſcepti mei labores:O ſpes fallaces:O cogitationes inanes meæ.Ego cum Tribunus plebis Rep.oppreſſa me ſenatui dediſſem, quem extinctum acceperam:equitibus Romanis,quorũ vires erãt debiles:bonis viris,qui omnem authoritatem Clodianis armis abiecerant:mihi vnquam bonorum præſidium defuturum putarem? ego cum te (mecum enim ſæpiſsime loquitur) patriæ reddidiſſem:mihi non futurum in patria putarem locum?vbi nunc ſenatus eſt,quem ſecuti ſumus?vbi equites Romani,illi,illi, inquit, tui? vbi ſtudia municipiorũ?vbi Italiæ voces? vbi deniq; tua M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio,vox, & defenſio? mihi'ne ea ſoli,qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari?Nec verò hæc Iud.vt ego, nunc flens, ſed hoc eodem

*loquitur vultu, quo videtis, negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe quæ feciſſet: timidis & omnia circunſpicientibus pericula, non negat. plebem, & infimā multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat: eam quò tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat: vt non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret, nec timet, cum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in remp. ſingularibus, ſenatus erga ſe beneuolentiam temporibus his ipſis ſæpe eſſe perſpectam: veſtras verò, & veſtrorum ordinū occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcunq; caſum fortuna dederit, ſecum ablaturum eſſe dicit, meminit etiā ſibi vocem præconis modo defuiſſe: quam minime deſiderat: populi vero cunctis ſuffragiis, quod vnum cupierit, ſe cōſulem declaratum: nunc deniq; ſi hæc contra ſe ſint futura: ſibi facinoris ſuſpicionem non facti crimen obſtare: addit hæc, quæ certe vera ſunt: fortes & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere recte factorum, quàm ipſa recte facta, ſe nihil in vita niſi præclariſſime feciſſe, ſiquidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriā liberare, beatos eſſe quibus ea res honori fuerit à ſuis ciuibus: nec tamen eos miſeros, qui beneficio ciues ſuos vicerint. Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam, eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur: quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus: mortui viueremus. hanc deniq; eſſe, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur aſcēdere. De me, inquit, ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquētur, nulla vnquam obmuteſcet vetuſtas. Quin hoc tempore ipſo, cū omnes à ſuis inimicis faces inuidiæ meæ ſubiiciantur, tamen omni in hominum cœtu gratiis agen*

*dis, & gratulationibus habendis, & omni ſermone cele-bratur.* Omitto Hetruriæ *feſtos, & actos, & inſtitutos dies, centeſima lux eſt hæc ab interitu* P. Clodij, *& opi-nor altera: qua fines imperij popu'i* Romani *non ſolum fama iam de illo, ſed etiam lætitia peragrauit, quamobrē vbi corpus hoc ſit, non, in juit, laboro: quoniam omnibus in terris & iam verſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria.* Hæc *tu mecū ſæpe his abſentibus: ſed iiſdem audientibus, hæc ego tecum* Milo. Te *quidem quòd iſto animo es, ſatis laudare non poſſum: ſed quo eſt illa ma-gis diuina virtus, eo maiore à te dolore diuellor. nec ve-ro ſi mibi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela: vt his iraſci poßim, à quibus tantum vulnus ac-cepero: non enim inimici mei te mihi eripient: ſed amiciſ-ſimi: non male aliquando de me meriti: ſed optime.* Nul-*lum vnquam* Iudices *mihi tantum dolorem inuretis: etſi quis poteſt eſſe tantus?* Sed *ne hunc, quidem ipſum, vt obliuiſcar, quanti me ſemper feceritis: quæ ſi vos cæpit obliuio: aut ſi in me aliquid offendiſtis: cur non id meo capite potius luitur, quàm Milonis? præclare enim vixe-ro: ſi quid mihi acciderit prius, quàm hoc tantū mali vi-dero.* Nunc *me vna conſolatio ſuſtentat: quod tibi ò* T. Anni *nullū à me amoris, nullū ſtudij, nullū pietatis offi-cium defuit, ego inimicitias potentiū pro te appetiui: ego meū ſæpe corpus, & vitā obieci armis inimicorū tuorum: ego me plurimis pro te ſupplicem abieci: bona, fortunas meas, ac liberorū meorum, in cōmunionem tuorū tēporū contuli. hoc deniq; ipſo die ſi qua vis eſt parata, ſi qua di-micatio capitis futura, depoſco. quid iam reſtat? quid ha-beo? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? niſi vt eā fortunā, quæcunq; erit tua, ducā meā? nō recuſo, nō abnuo: voſq; obſecro* Iudices, *vt veſtra bñficia, quæ in me*

contuliſtis, aut in huius ſalute augeatis, aut in eiuſdem exitio occaſura eſſe iubeatis. His lachrymis non mouetur Milo, eſt quodam incredibili robore animi ſeptus, exiliũ ibi eſſe putat, vbi virtuti nõ ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, nõ pœnam. Sit hic ea mente, qua natus eſt. quid vos Iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum eijcietis? & erit dignior locus in terris vllus, qui hanc virtutem excipiat, quàm hic, qui procreauit? vos, vos appello fortiſsimi viri, qui multum pro repub. ſanguinẽ effudiſtis, vos in viri & in ciuis inuicti appello periculo Centuriones, vosq́; milites, vobis non modo inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur? exterminabitur? eijcietur? O me miſerum: O me infelicem: reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me nõ potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdẽ, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. à quibus non potuiſſe? ab his, qui maxime P. Clodij morte acquierunt. quo deprecante? me. quodnam concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus admiſi Iudices? cum illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi: omnes in me meosq́; redundant ex illo fonte dolores. quid me reducem eſſe voluiſtis? an vt inſpectante me expellerentur hi, per quos eſſem reſtitutus? nolite, obſecro vos, pati mihi acerbiorem reditum eſſe, quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nam qui poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab ijs, per quos reſtitutus ſum? Vtinam dij immortales feciſſent (pace tua patria dixerim: metuo enim ne ſcele-

*rate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) vt P. Clodius non modo viueret: ſed etiam prætor, cõſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem. O dij immortales, fortem & à vobis Iud. cõſeruandum virum. Minime, minime, inquit, imò vero pœnas ille debitas luerit, nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt, nõ debitas. Hiccine vir patriæ natus, vſquam niſi in patria morietur? aut ſi fortè pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? Hunc ſua quiſquam ſententia ex hac vrbe expellet, quem omnes vrbes expulſum à vobis ad ſe vocabunt? O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, ſi eiecerit: miſeram, ſi amiſerit. ſed finis ſit, neq; enim præ lachrymis loqui poſſum: & hic ſe lachrymis defendi vetat. vos oro obteſtorq; Iudices, vt in ſententijs ferendis, quod ſentietis, id audeatis. veſtram virtutem, iuſtitiam, fidem (mihi credite) is maximè probabit, qui in iudicibus legendis, optimum & ſapientiſſimum quenq; legit.*

9 ¶ †*Eſt enim amplificatio, vt inquit Cicero.*] *In partitio-*
10 *nibus.* ¶ †*Et ſic ſe, vt inquit Cicero, res habet: me mea, te tua delectant.*] Cicero quinta Tuſculana, de Dionyſio Tyranno loquẽs: Muſicorum verò, inquit, perſtudioſum accepimus: poëtam etiam tragicum, quàm bonum, nihil ad rẽ. In hoc enim genere, neſcio quo pacto, magis quàm in alijs, ſuum cuiq; pulchrũ eſt. Adhuc neminem cognoui poëtam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi nõ optimus videretur. Sic ſe res habet, te tua, me delectant mea. Nõ ita diſſimile his eſt, quod idem Cicero habet decimoquarto libro epiſtolarum, ad Atticum: Accipe à me, inquit, καθολικὸν θεώρημα rerum earum, in quibus ſumus exercitati ſatis. Nemo vnquam, neq; poëta, neq; orator fuit, qui quenquam meliorem ſe arbitraretur. Hoc etiam

*Me mea, te tua delectant.*

*Suum cuiq; pulchrum.*

*malis contingit. quid tu Bruto putas ingenioſo, & erudito? de quo iam experti ſumus. Nuper in edicto ſcripſeram rogatu tuo. Meum mihi placebat, illi ſuũ. Quin etiam cum ipſius precibus penè adductus, ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud quod mihi placeret non probari. Quare ſine quæſo quenq; ſibi ſcribere: ſuam cuique ſponſam, mihi meam: ſuum cuiq; amorem, mihi meum. Non ſcite. Hoc enim Attilius poeta duriſſimus.* Hæc Cicero, In ſticho. *Quem in modum & Plautus: ſuus, inquit, rex reginæ placet: ſua cuiq; ſponſa ſponſo.*

## DE MATERIA DIALECTICÆ.

*Materiam dialectices eſſe quæſtionem.*

### CAPVT V.

HINC igitur ea, de quib⁹ hoc libro dicturos nos prædiximus, exequamur, eo quo propoſuimus ordine. Tria erant, quibus diſſerendi facultatẽ conſtare voluimus, materia, inſtrumentũ, & tractatus. Materia ordine eſt prima, primũ ergo illa nobis explicetur. Ne quem fallat autẽ nominis huius ambiguitas, illud admonitum velim, materiã artiũ quandoq; dici id quod artibus docetur, & circa quod verſatur cura, cõſideratioq; illarũ, † quod & ſubiectũ vocari priore libro diximus: ſic materiam dialectices poſſumus dicere argumentationẽ, vt pleriq; vel vt nos, dictionẽ probabilẽ, quanquã parũ hæc ipſa diuertant. Dicimus etiã materiã artiũ id, in quod opus ſuũ explicant, quẽadmodum

*Materiã artiũ dici bifariam.*

ſtatuarii materiam dicimus æs , marmor gi-pſum,ceram,omne id denique ex quo ſimula-crum aliquod aut imaginẽ effingere poteſt:
2 & figuli materiam,lutum:& fabri , ligna. † Li-gnis autem proprium eſt materiæ nomen , ab his enim ad reliqua ſimilitudine traductũ eſt: nosq́ in hanc ſignificationem in præſentia de materia dialectices quærimus.¶ Iſtam quæ ſit, videmur commodiſſime ex opere dialectices poſſe perſpicere. Si enim eſt opus illius , quod prædiximus,probabiliter dicere : quicquid id eſt,in quod hoc opus ſuũ exerere & experiri poſſit,id videbitur vtiq́ materia illi⁹ eſſe. Pro-babiliter autẽ dicere de omni eo quod in ora-tionẽ deducitur,poſſum⁹ aut reuera probabi-liter,aut quatenus res de qua dicim⁹ permit- *Dialectices materiam eſſe quæſtionem.*
3 tit. † quod cuiuſmodi ſit,prædixim⁹. Omne igi-tur id , de quo ordine apteq́ ad fidẽ dici po-teſt,id erit dialectices materia. Quod ſi vno nomine cõplecti volemus,haud erit difficile. De quocunque enim fidem conamur facere, id neceſſe eſt accipi tanquam dubium incer-tumq́ ſit. nemo enim rem apertam, quatenus eſt aperta,ſumit docendam : ſed vt contendi de ea & ambigi poſſit. Quicquid autem tan-quam dubitatum in medium profertur , id vocant quæſtionem , erit ergo quæſtio ma-teria dialectices . Nec inuenio quam illi cer-tiorem aliam aut arctioribus circunſcriptam

Obiectio cõtra prædicta.

terminis aſſignem.¶ † Scio tamen eſſe, quibus aliter videtur, quorum non eſt diſſimulanda nobis ſententia. Hi putant, ſi tam late tẽdam⁹ materiam dialectices, vt de quocunq; probabiliter poſſit dici, id ſubiiciamus curæ ipſius: omnes ferè artes aut ſuperuacuas futuras, aut intra dialectices ius poſſeſſionemq; venturas. Omnes enim propemodum probabiliter de eo quod docendum ſumpſerunt, diſſerũt. Nã eorum, quæ neceſſaria & indubitata eſſe, poſſint à nobis cõprehendi, non ita magna eſt copia: & ſi Academiæ credimus, prorſus nulla. Id quod nemo negat, quæ ad vitam moresq; pertinent, quæ item ad rerũ naturæ notitiã, nihil eſt quod non ſit controuerſum, & magnis ingeniis oẽs in partes iactatũ. de his ergo omnibus probabilia vtcunq; diſſeruntur: quoniã neceſſaria nõ poſſunt. Si ne probabilia quidẽ poſſent, nemo vel diſſereret ea, vel doceret. Quòd ſi probabile dicimus, nõ modo quod ambigue & in vtrãq; partẽ dici poteſt: ſed vt, quo certius quicq; eſt eò probabilius ſit: & qđ indubitatũ ſit, id maxime videatur probabile: oẽs artes quæcunq; demũ ſunt, ex probabilib⁹ conſtabũt. Quũ ſingulæ ergo de his reb⁹ quas profitẽtur, probabiliter dicãt, quid iã loci dialecticæ de omnibus rebus dicendi relictũ erit? Aut quid opus eſt per oẽs ire nos diripiq; artes, ſi quod cunctæ pollicentur, poterit diale-

5 cticę ſola præſtare? ¶ † Ariſtoteles itaq; diale-
6 cticen tribus his vtilem putauit, † exercitatio-
ni diſſerendi, confutãdo aduerſario, & probã-
dis primis artium principiis eis, quæ cportet
quãlibet artẽ velut explorata certaq; habere.
Quia enim prima ſunt, artes ipſæ nequeunt ea
probare velut præcedẽtia illas, & credẽda di-
ſcenti. Ab hac itaq; velut publica quadã om-
nium miniſtra, petendã eis fidẽ eſt arbitratus.
In reliquo ſcientiarũ progreſſu, nihil loci reli-
quit dialecticę. Duos tamen libros, qui poſte-
riorum reſolutoriorũ inſcribũtur, edidit, qui-
bus ea cõplexus eſt, quæ ad rationẽ tradenda-
rum artiũ pertinent. Ergo quod attinet ad in-
ſtitutum noſtrũ, nõ quæſtionẽ dialectico vult
propoſitã eſſe, ſed id, quod πρόβλημα Græci di-
cunt, quod nos vel ſciſcitationẽ vel percon ta-
tionem dicere poſſumus. pleriq; græco malue-
runt vti. Percontationẽ vult eſſe id, de quo
pariter, eſt'ne, an non eſt, quæritur. Vt eſt mũ-
dus æternus an non? eſt'ne ſol maior tota ter-
ra an non? Id autẽ quod ſolũ in vnam partem
effertur, vt ecquid eſt immortalis anima? ecqd
virtus eſt ſummũ bonum? id πρότασιν, hoc pro-
poſitionem vocauit: & propoſitionẽ quidem
non omnẽ dialecticã eſſe, ſed eam ſolum, quæ
neq; fidei prorſus, neq; dubitatiõis ſit expers.
neq; enĩ quenquã proponere, ſit'ne nix nigra?
aut ſit'ne homo animal? nihil autẽ inter percõ-

*Ariſtoteles ad quot vtile eſſe putauerit dialecticen.*

*Sententia Ariſtotelis non quæſtionẽ ſed problema dialecticæ eſſe materiã.*

*De qbus ſecũdum Ariſtotelem diſſerẽdum ſit dialectico.*

*Dilutio obiectionis prædictæ, explicans quo modo ad dialecticũ ſpectet ꝓbabiliter de omnibus dicere, & quo modo ad ſcientias alias.*

tationem & propoſitionem intereſſe, niſi effe-
rendi diuerſitatem. Quibus colligere paratum
eſt, Ariſtotelem voluiſſe ea ſola pertinere ad
dialecticum, de quibus ambas in partes diſſe-
ri poſſet, & ea poſſet via, qua non eſſent certis
artium finibus comprehẽſa. ¶ Dicamus ergo,
quo pacto reliquæ artes, & quo dialectice de
rebus diſſerit: & quid interſit, diſtinguamus.
Primum cõſtat,† artes omnes paulatim & per 7
incremẽta repertas eſſe: neq; quiſquam idem,
artem aliquam reperit & abſoluit. Prima autẽ
initia à ſenſuũ obſeruatione profecta ſunt: vt
cum viderent homines aliquid iterũ tertio´ ve
& ſæpius itidem fieri, experimẽto ſumpto, auſi
ſunt tandem affirmare, prorſus ſic ſe rem in
omnibus habere. Vt cui primũ curæ fuit ſcru-
tari rerum naturam, cum videret plantas ani-
maliaq; non niſi è ſemine procreari: deinde du
cto per radices humore, aut cibo per os hau-
ſto, augeſcere: laterem niſi luto non excoqui,
cinerem non fieri niſi ex aliquo quod vrere-
tur: ſicq; reliqua quæcũq; gignerẽtur, prius ali-
quid ex quo fierent habere: tanquã firmũ ex-
ploratumq; demum conſtituit,† nihil ex nihilo 8
gigni. Simili via collegit, etiã omnia quæcũq;
fiunt, efficiẽtis alicuius vi fieri. Deinde cũ per
ſingulas res duceretur animus eius, velletq;
etiã naturas proprietatemq; vniuſcuiuſq; per-
quirere, ad cõmunia illa rediens, quæ iam ve-

luti leges fixerat, conferensq́ue illa cum ſingulis, ratiocinando, reputando, colligendo (id eſt, quod argumentari dicimus) fidem de vnaquaq; ſumpſit, & ambiguitates explicuit. Illa ergo, & quæ ſecutus eſt velut firmamenta inquiſitionis ſuæ, & quæ ex illis collegit, propria ſunt inſtituti artisq́ue ſuæ: via autem & ratio colligendi parandæq́ue fidei, ad dialecticũ ſpectat. In cõmune enim dialectice oſtẽdit ea, quibus inſpectis & animo pertractatis, promptum ſit inuenire fidẽ de eo quod quærimus. Vt verbi cauſa, dialectice dicit inſpiciendã in argumento inueniendo eſſe ſubſtãtiam rei, & cauſas, & euenta, & quæ reliqua in locis deſcripſimus: quatenusq́ue facit is qui diſſerit, munere illius vtitur. Quæ ſit autem definitio rei propoſitæ, quæ cauſæ, quæ euenta: ea oportet ex propriis

9 artibus rei cuiuſq; depromat. ¶ †Rurſus vero, in vniuerſum quid definitio, & quo pacto definiendũ: quid item genus, quid ſpecies, quid cauſæ, quid euenta, & reliqua id genus, nõ eſt dialectices explicare: ſed eius ſcientiæ, quę prima rerum principia tractat, quam Metaphyſicen dicunt: à qua dialectice mutuatur iſta, quia ad inueniendi rationem ſunt accommodata. Vtq́ue dicat, quid ſint iſta, aliena tamen id facit fide: ratio rerum iudiciumq́ue penes illam eſt. Nõn videntur itaque ſatis exacte, ſatisq́ue perſpecte dialectices deſcripſiſſe officium,

*Lõge aliter dialectici temporis noſtri.*

*Verũ id hodie aſſerunt pene omes.*

qui dixerunt id eſſe, definire, diuidere, verũ à
falſo diſcernere. Priora enim illa (vt dicimus)
methaphyſices ſunt opus: hoc poſteriꝰ, omniũ
eſt artium cõmune. Dialectice diſſerendi pro-
babiliter rationem tradit, hoc eſt, inſtrumentũ
tantum veri falſiq́; diſcernendi. cuius vſu mi-
niſterioq́;, expeditius cuncti artifices, quid ve-
ri aut falſi ſit in rebus ſibi propoſitis, explorãt.
Quòd ſi tamen volumus iſtud accipere ita, vt
ſit diſcernendo vero & falſo deſtinata: non
abnuerim id quidẽ, non vt ipſa diſcernat, hoc
eſt iudicet, (hoc enim ſingularũ eſt artiũ) ſed
vt inſtrumentũ præbeat, ſine quo, nullo pacto

*Obiectio altera.*

iſta diſcerni poſſint. ¶ † Quid ergo? dicit ali- 10
quis. Non'ne & ante inuentã dialecticen fue-
runt artes, & diſputatum eſt, & inuentum eſt
verum? & nunc quoq; quotuſquiſq; eorum

*Reſpõſio ad eã obiectionem.*

qui diſputant dialecticen tenet? ¶ Non eſt
quod negem hæc ita eſſe. Illi tamen, quod dia-
lectice docet, & faciunt & fecerunt: multo com
modius, ſi hanc didiciſſent, fortaſſe facturi.
Quemadmodum & ante traditam rhetoricen
diſerti viri fuerũt: & priuſquam literis cõpre-
henſa eſt muſice, cecinerũt homines: nec Hip-
pocrates, vt primus in artis imaginẽ medicinã
coẽgit, ſic & primus cognouit morbũ, profu-
tura meditatus eſt, ægrum leuauit. † Facta ſunt 11
hæc antequã artes fierẽt, & ob id ipſum quòd
crebro ſunt facta, lõga recte ſecusq́; factorum
annota-

annotatione, artes eſſe cœpere. Prouenere deinde præclara ingenia, quę diſperſa colligerēt, cōfuſa diſponerēt, explerēt imperfecta, rudia perpolirent, & omnia cōplecterentur, nō modo quæ facta eſſent, ſed quæ fieri etiā poſſent. Sic quod caſus antę fuerat, cœpit deindè ratio eſſe. Et ſecutū eſt, vt nō quia factū iam eſſet, aliquid debere fieri: ſed quia deberet fieri, crederent eſſe faciendū. Qui priores ergo fuerūt artibus, ſimilia his ipſis quæ nūc præcipiūtur, ſi quādo recte fecerunt, ſecuti ſunt. Sicut hodie pleriq; faciunt quod artis eſt, ſed non ex arte, (quippe quā nullā habēt) ſed vel lōga obſeruatione, vel ingenij quodam præſtanti vigore.

12 †Quāto recti⁹ tamē, quāto melius expedirēt illa, ſi certa artiū ratiōe ducerētur. Duratura em̄ ſeculis ingenia, & quibus nō præſentes ſolum plaudāt, ſed quę omnis poſteritas miretur, ea tū demū fiunt, quoties cum optima natura ars perfecta cōiungitur. Sic quod dialectices eſt, inuenerūt argumēta homines, & errorē male inuētorū aliquādo deprehēderūt: antea quàm eſſent omnia præcepta illius in artis formā collecta. Ariſtoteles tamen, quiq; poſt eū alij inſtructi ea fuere, facile libris ſuis oſtendunt, q̄ magnus ſit vſus ei⁹, & quàm tractādis omnib⁹ rebus accōmodatus: vtq; ſine ea, non ſolū ſingula de quib⁹ in artiū decurſu dubitaretur, explicari nequirēt: ſed ne artes quidē colligi poſ-

ſent,& in hanc quã acceperũt redigi formam.
†Hæc eſt illa ſcientia,quã apud Ciceronẽ Craſ 13
ſus neceſſariã formandis artibus putat: quãq;
cupit eſſe in iuriſcõſultis,†quo nõ eſſent apud 14
eos omnia actorũ ſimilia.†Quęſitũ eſt à Titio, 15
& Labeo ait,etiã Celſus reſpõdit,& apud Tre
batiũ ſciptũ eſt.Ex eadẽ nota ſunt definitiones
illæ.† Ius eſt ſciẽtia æqui & iniqui.Et,† Iuſticia 16
eſt cõſtans & perpetua volũtas.Et diuiſiones 17
itidem:† Iuris,aliud publicũ, aliud priuatũ.Et 18
priuatũ,in naturale,& gentiũ, & ciuile diuidi-
tur.quaſi ius publicũ, neq; naturale eſſet, neq;
gẽtiũ,neq; ciuile.Sed illis ſemper ſatis placue-
rũt ſua:& iuſtior alioquin eſt eis venia,quoniã
vt doctiſſimus quiſq; fuit,ita maximis ſemper
occupationib⁹ diſtẽtus eſt, ne vel ociũ perpo-
liendis inuẽtis ſuis haberet.†Sed vt ad Ariſto 19
telem aliquãdo veniã,qui artiũ finib⁹ excluſit
dialecticen:aptamq; vel ſolũ,vel maxime cer-
taminibus diſputationũ credidit, paucis dicã
quod ſentio: quod ſentio inquã, nã ille verio-
ra forſitã,ego tamen quod ſentio.†Equidẽ ar- 20
tiũ decreta, & diſputationũ cõtẽtiones, nõ in-
ueniẽdi,nõ iudicãdi ratione diſcreta puto. Ex
eiſdẽ enim locis hauriũt vtraq; hæc argumẽta,
eadẽ expendendorũ argumentorũ vtriſq; eſt
via.Cupit æque qui docet, quiq; certat, ꝓbare
quodſumpſit: ſed ille reuera cupit. bona enim
fide agit,& cũ eo qui docendũ ſe præbet habet

*Contra ſententiã Ariſtotelis ſuperius expoſitam.*

negociũ:certator ꝓbat quidẽ, ſi poteſt: ſin minus, ſatis habet, ſi modo videatur ꝓbaſſe: victoriã enim ſpectat, quã ſi poteſt, viribus auferre malit: quod ſi res negabit, artibus pugna
21 bit & inſidias ſtruet.† Dolus em̃ an virtus (vt inquit poëta) quis in hoſte requirat: Ergo ſi ex vulgaribus, & longius petitis, nec ſatis conſtãter probabilibus, & ſæpe etiã in ſpeciẽ tantum probabilibus diſputator probationes petet, id non ideo fieri credo, quia id lex diſputãdi poſtulet. nec enim quenquã tã ſegnis conatus puto, vt cũ poſſet certis exploratisq́; ſententiã ſuã tueri, ad infirmiora potius delaberetur. Sed quoniã talia ad diſputandũ ſumũtur plerũq;, quæ nequeũt aliter obtineri, & de quibus nihil poteſt ſatis probabiliter ad veritatẽ dici, rerũ hæc eſt cõditio, non diſputandi ratio diuerſa. Opus itaq; habet vndecũq; datur præſidiũ petere: & vbi in re parũ auxilij eſt, offundere tenebras aduerſario: & huius ignoratione ꝓbationis loco abuti. Non magis autẽ ſunt dialectici iſta, quàm medici, qui ſanandũ pedũ dolore laborantẽ ſuſcepit: vbi vetus iã morbus, & qui radices altius q̃ vt euelli poſſit egit, nulla ratione leuior fit: ſatis putat ſtuporem ægris mẽbris inducere. vtq́; huic pro ſanitate eſt, non ſentiri dolorẽ: ſic certatori pro ꝓbatione eſt, nõ intelligi fraudẽ. Si quis igitur cũ eo aduerſario cõtulit pedẽ, qui ſit captionũ omniũ peritꝰ, & cõtra

quem nihil proficiant aſtus, redeundum eſt ni-
mirū ad rem ipſam, quæ ſi artibus cōprehenſa
ſit, ex his ipſis vtiq; quæ artibus de ipſa tradū-
tur, argumēta ducemꝰ. † Da Ariſtotelē & Ari- 22
ſtippum, de ſummo bono contendentes: † da 23
Chryſippū & Carneadē de cōprehēſionibus,
id eſt, poſſit' ne aliqd ſciri: da reliquos in omni
genere philoſophos, de decretis ſuis ambigen
tes: an nō hinc firmamentum roburq; diſputa-
tionum ſuarū proment, quæ editis eiſdē de re-
bus (quiſq; pro captu ſuo) artibꝰ forēt inclu-
ſuri? Vt finē ergo faciā, ſi quemadmodū prius
oſtēdere conati ſumus, dialectices officiū eſt,
probabiliter dicere: vt de quoq; certiſſima &
percepta maxime dicentur, licet ex mediis de-
ducta ſint artibꝰ, ita maxime ex dialectices in-
ſtituto iureq; fiet. Proximo loco erunt, quæ ad
hæc arctiſſime accedent. Subdola vero & ca-
ptioſa, non magis ex dialectices ſunt ratione,
quàm mōſtra morbiq; ex cōſtitutione naturę.
Materiam igitur dialectices ſciamus omne id
eſſe, de quo probabiliter eſt diſſerere, hoc eſt,
quod propoſuimus, quæſtio oīs, quæcūq; de-
mum ea ſit, dum tamē meminerimꝰ res, & de
quibus & per quas diſſerimus, ex ſingulis cu-
iuſq; artibꝰ ſumi: diſſerēdi autē ordinem ratio-
nemq;, ad dialecticē pertinere. Sed quę ſit ma
teria dialectices, & quid aliis afferat artibus,
quidq; ab eis accipiat, iſtis ſit ſatis, & nimium

etiã fortaſſe. Sed ignoſcere æquũ eſt paulò plu
ribus verbis. Varie tractantur hæc, nec apud
24 omnes conuenit, ſuntq́ fundamẽta † & velut
ſcopuli artis, ad quę reliqua diriguntur: reddẽ
da idcirco de eis paulo exactius fuit ratio: nec
enim vbi ſumma labat, poſſunt inter ſe partes
conſiſtere.

## SCHOLIA IN CAPVT V.

1 *QVod & ſubiectum vocari priore libro dixi-
mus.* ] Hoc dictum eſt libri primi capite deci-
motertio. ¶ † *Lignis autem proprium eſt ma-*
2 *teriæ nomẽ.* ] Id ex græca voce dilucidius apparet. Quã
enim nos materiã, illi ὕλην vocant: vnde nos ſyluã dedu-
cimus. Etiam ſi me nõ latet, eã materiã de qua hic agimus
3 apud illos ὑπόθεσιν magis quàm ὕλην dici. ¶ † *Quod eiuſ-*
*modi ſit prædiximus.* ] Libri huius capite ſecundo.
4 ¶ † *Scio tamen eſſe quibus aliter videtur.* ] Hæc obiectio
nihilo plus viriũ habet aduerſus ea, quæ hoc capite docet
Rodolphus, quàm quæ de materia rhetorices primo libro
de oratore diſputat Craſſus. Habet autẽ in ſumma hunc
intellectũ. Si dialectice ſola probabiliter diſputare de om-
nibus docet, quorſum igitur cæteris nobis opus eſt arti-
bus? Quorſum attinet illas tanto cũ labore perdiſcere, ſi
hac vna inſtructi, credibilẽ de re qualibet texere poſſu-
mus orationem? Dilutio: Quanquam dialectice viã ac ra-
tionem tradit de omnibus diſſerendi, non tamen hinc col-
ligitur illud, cæteras artes omnes inutiles eſſe ac ſuperua-
cuas: quando fieri poteſt, vt res eædẽ, diuerſa ratione ſpe-
ctatæ, diuerſis etiam artibus ſubijciantur. Iã dialectice in
cõmune tantũ viã ac rationẽ parandæ de re quaque fidei
tradit: itaq; in vniuerſum de rebus omnibus agit, vt nulli

*Qua ratione dialectice diſputare doceat de rebus omnibus.*

interim ſpecialiter præcepta ſua accommodet. Reliquæ artes, generalem hanc diſſerendi rationem à dialectica mutuantes, ſuis eam ſingulatim materijs applicant. Verbi cauſa. Præcipit dialecticus probationes rei cuiuſq; eſſe petendas à finitione, genere, ſpeciebus, proprio, toto, partibus, cauſis, euentis &c. quæ autem rei cuiuſque definitio ſit, quod genus, quæ ſpecies, totum, partes, cauſæ, euenta: id dialecticus ſpeciatim non docet, ſed aliunde petendum eſt: vt ſi quæras, ſit'ne anima mortalis an immortalis: hic rem ipſam peculiariter ad naturalem pertinere philoſophum nemo ignorat: ſiquidem is naturas rerum ſcrutatur, is quæ interire res poßint, quæ've non poßint, perueſtigat, ac docet: & quæcunque de ortu, & occaſu rerum dicuntur, ea omnia ſuæ ditioni eſſe ſubiecta confirmat. Quorſum igitur eiuſmodi in rebus opus eſt dialectica? aut quis eius hic vſus? Hic nimirum, vt qua via, quo modo ipſi etiam phyſico hac de re diſſerendum ſit, videamus. Docet ergo, principio intuendum eſſe, quid ſit anima, quod eius genus, quæ formæ, quæ officia, quæ cauſæ, quæ euenta, quæ ei accidant, quæ cohæreant, quæ pugnent. Deinde, hæc eadem quærenda eſſe de morte, eáq; cum prioribus illis ſic conferenda, vt quæ quibus conſentanea ſint, quæ diſſentanea, deprehendamus, atque ita demum ex habitudine iſtorum, de themate propoſito in hanc aut illam partem feramus ſententiam. Hæc, inquam, dialectice in commune monet diſpicienda eſſe, traditq; normas, ac regulas quaſdam, quibus ceu filo quodam in hiſce componendis ſecernendiſ've, ita dirigatur humana ratio, ne quà aberrare poßit, né ve pro conſentaneis accipiat dißidentia: aut contrà, ea quibus probe inter ſe conuenit, credat diſſentanea, ac pugnantia eſſe. Verum enimuero quænam ea

*definitio animæ, aut mortis ſit, quod genus, quæ cauſæ &c. in eius rei peruеſtigationẽ, etſi generales aliquot præceptiones tradit dialectica, tamen ſpeciatim ex ea peti iſta non debent, ſed à naturali philoſopho. Ita fit, vt ſpecialis quidem de rebus omnibus tractatio pertineat ad reliquas artes: quatenus verò vniuerſæ ſub vnam communem quandam de eis diſſerendi rationem cadunt, ha-*
5 *ctenus ſubiectæ dialectico ſint.* ¶ † *Ariſtoteles itaque dialecticen tribus his vtilem putauit.* ] *Habet quidem Ariſtoteles, dialecticam vtilem eſſe ad tria. Verum his tribus quartum ſubiungit: quod tamen, authore Alexandro Aphrodiſeo, velut particula quædam tertij illius videri poteſt. Iam Rodolphus, omiſſo tertio, quartum in locum eius ſubiecit: quæ res ei in cauſa fuit, cur diceret dialecticen, iuxta ſententiam Ariſtotelis, ad principia modo ſcientiarũ conducere, à reliquo artiũ progreſſu excludi. Quam illius ſententiã nõ fuiſſe, facile docebũt nos verba ipſius, quæ I. Topicorum libro habẽt ad hũc modũ:*

*Ariſtoteles ad quæ vtilẽ eſſe exiſtimauerit dialecticen.*

ἑπόμενον δ᾽ ἂν εἴη τοῖς εἰρημένοις, εἰπεῖν, πρὸς πόσα τε καὶ τίνα χρήσιμος ἡ πραγματεία. ἐστὶ δὴ πρὸς τρία, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις. πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας. ὅτι μὲν οὖν πρὸς γυμνασίαν χρήσιμος, ἐξ αὐτῶν καταφανὲς ἐστὶ. μέθοδον γὰρ ἔχοντες, ῥᾷον περὶ τοῦ προτεθέντος ἐπιχειρεῖν δυνησόμεθα. πρὸς δὲ τὰς ἐντεύξεις, διότι τὰς τῶν πολλῶν κατηριθμημένοι δόξας, οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν οἰκείων δογμάτων ὁμιλήσομεν πρὸς αὐτοὺς, μεταβιβάζοντες ὅτι ἂν μὴ καλῶς φαίνονται λέγειν ὑμῖν. πρὸς δὲ τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας. ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι, ῥᾷον ἐν ἑκάστοις κατοψόμεθα τ᾽ ἀληθές τε καὶ τὸ ψεῦδος. ἔτι δὲ πρὸς τὰ πρῶτα τῶν περὶ ἑκάστην ἐπιστήμην ἀρχῶν. ἐκ μὲν γὰρ τῶν οἰκείων τῶν κατὰ τὴν προτεθεῖσαν ἐπιστήμην ἀρχῶν,

ἀδύνατον εἰπεῖν τι περὶ αὐτῶν, ἐπειδὴ πρῶται αἱ ἀρχαὶ ἁπάντων εἰσί. διὰ δὲ τῶν περὶ ἕκαστα ἐνδόξων ἀνάγκη περὶ αὐτῶν διελθεῖν. τοῦτο δ' ἴδιον ἢ μάλιστα οἰκεῖον τῆς διαλεκτικῆς ἐστίν. ἐξεταστικὴ γὰρ οὖσα, πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει. Eis verbis hoc dicit, quæ in Topicis à ſe tradũtur, ea conducere in primis ad tria. Primum, ad exercitationem diſſerendi. qui enim methodum hanc teneat, eum facile de re quauis argumentari poſſe. Deinde, ad dextre conuerſandum colloquendumq; cum vulgo, & multitudine: cui ſi quid perſuaſum velis, nulla id ratione effectũ iri facilius, quàm ſi omnis tua oratio ducatur ex iјs, quæ ipſi vulgo vera eſſe videntur: nam quæ ex intimis artium penetralibus deprompta, admiratur citius rudis multitudo, quàm credit. Tertio, ad ſcientias eas, quas philoſophiæ nomine complecti ſolemus: quiſquis enim hac facultate inſtructus, vtranq; eius quo de agitur partem, credibilibus argumentis reddere poſsit ambiguam: eum facile quid in re quaq; veri falſi've ſit, perſpecturũ. Præter hæc autem, conducere ea, & ad prima artiũ principia, eo quòd hæc, ex eis quæ propria ſunt artis cuiuſq;, probari nullo modo poſsint: ſed ex credibilibus tãtum, quorum tractatum pertinere ad dialecticum. Porrò totus hic locus Rodolphi eſt eiuſmodi, vt intelligi plenè non poſsit, niſi adiuncto ei primo Topicorum libro Ariſtotelis. ¶ †Exercitationi diſſerendi, confutando aduerſario.] Quod habet 6 Rodolphus, dialecticen ſecundo vtilem eſſe confutando aduerſario, id vulgo hodie ita dici conſueuit, conducere eam ad obuiationem. aiuntq; obuiare aliud non eſſe, quàm prompte reſiſtere poſitioni reſpondentis per argumentationes probabiles. Ariſtotelis verbum eſt, πρὸς τὰς ἐντεύξεις. qua voce Alexander & Suydas ſignificari putant, τὰς πρὸς τοὺς πολλοὺς συνουσίας, id eſt, conuerſatio-

*nem,congreſſus,colloquiáq; cum vulgo & multitudine.
Atq; hoc ſanè intellectu nomen ἐντεύξεως accipiendum
hic eſſe,ipſius etiam Ariſtotelis verba declarant, quibus
7 ſecundæ huius vtilitatis reddit cauſam. ¶ †Omnes artes
paulatim per incrementa eſſe repertas.] Eiuſmodi quid-
dam habet & Quintilianus libri quinti capite decimo.
Et Cicero item primo libro de oratore: cuius verba paulò
8 poſt in hoc ipſo capite aſcribemus. ¶ † Nihil ex nihilo
gigni.] Hoc rectè à veteribus philoſophis dictū eſſe, pri-
mo phyſicorū libro, author eſt Ariſtoteles. Attingit ean-
dem ſententiā, ſed Satyrico morſu & Perſius. De nihilo
9 nihil, in nihilū nil poſſe reuerti. ¶ †Rurſus verò in vni-
uerſum præſcribere quid ſit definitio.] Hæc non vſque-
quaq; conſona eſſe videntur ijs, quæ Cicero de dialectica
habet quarto libro de finibus. Verum non hoc agit eo in
loco Cicero, vt diligentius expendat, quæ pertineant ad
officium dialectici, ſed vt refellat ſententiam Stoici. Hodie
certe quotquot dialectica ſcribūt, ij & hæc ſibi inter cæte-
ra explicanda ſumunt, ſiue ſua, ſiue aliena id faciāt fide.*

An ſit dialectici explicare, quid definitio, quid genus &c.

*10 ¶ †Quid ergo? dicit aliquis. Non'ne & ante inuentam
dialecticen fuerunt artes?] Ridendi ſunt, qui eiuſmodi
ſtrophis, rudibus interim auditoribus perſuadere conan-
tur, eſſe inutileis artes. Qua de re legere eſt quædam non
inutilia apud Quintilianum libri ſecundi capite decimo-
octauo. Rodolphi ſolutio huc ſpectat, non eſſe ſuperua-
cuas artes, etiam ſi qui extitere fortaſſis, qui ſine arte id
quod eſt artis fecerunt. Nam, vt non ſint neceſſariæ illis,
inde tamen non colligitur, cæteris quoque eas neceſſarias
non eſſe. Non omnia (inquit poëta) poſſumus omnes.
Et quod illis albæ gallinæ filijs indulſit parens natura: id
ſi nos pulli viles conſequi cupimus, artem in auxilium
nobis adhibeamus oportet. Vt terrarum, ita ingeniorum*

Non eſſe inutileis artes, etiā ſi qui forte ſine arte id qđ ars docet, faciunt.

*mira diuerſitas: & pratorum, alia genuinum inſitumq́; humorem habēt, alia niſi deductis aliunde aquis irrigari non poſſunt.* Notum eſt Græcum illud, οὐ παντὸς ἀνδρός. *Quam tu diſſerendi facultatem acceptam refers benignitati naturæ, ea mihi, & ſimilibus mei non niſi arte, & labore contingit.* Ego *tuam iſtam felicitatem non inuideo tibi, ſed & tu mihi ignoſcas inuicem velim, ſi quod ingenio deeſt, id ſtudeam ſarcire induſtria. Quanquam & felicioribus illis, quanta ad felicitatem iſtam ſuam fieret acceſsio: ſi munus hoc à parente natura datum, artis adiunctione reddere mallent illuſtrius, quàm inertia obſcurare. Quamlibet ferax ſit ager, feraciorem tamen cũ reddere poteſt agricola, ſi diligenter colat, ſi fimo, & pingui illa terra, quam margam Plinius vocari ait, obducat. Diſſerunt (ſcio) etiam ſine arte non infeliciter ij, quos eo munere dignata eſt natura benignior: quanto tamen expeditius, quanto certius idem facturi, ſi tenerent & artem?* Ergo, *vt initio dixi, non eſt putanda ſuperuacua ars, etiam ſi fortè vnus, & idem alter, id quod ars docet, citra adiutoriũ artis potuere efficere.* ¶ † *Facta ſunt hæc antequam artes fierent.* ] *Eiuſmodi quiddam & apud Fabium eſſe diximus, libro quinto, capite de argumẽtis.* 11

¶ † *Quanto rectius tamen, quanto melius expedirent illa.* ] *Sic Cicero de bonorum & malorum finibus, libro quarto. Quod etſi ingenijs magnis præditi quidam, dicendi copiam ſine ratione conſequuntur, ars tamen eſt dux certior, quàm natura. Aliud eſt enim poëtarum more verba fundere: aliud, ea quæ dicis, arte & ratione diſtinguere.* 12

Ars certior quã natura.

¶ † *Hæc eſt illa ſcientia, quam apud Ciceronẽ Craſſus neceſſariã formandis artibus putat.* ] *Craſſus apud Ciceronem, primo libro de oratore, oſtenſurus iuris ciuilis cognitionem neceſſariam eſſe oratori, neque* 13

Dialectica neceſ-

tantam eius difficultatem eſſe, quanta pleriſque eſſe videatur: inter cætera etiam hæc dicit: Et, quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominũ, atq; inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris magna, ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudine deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Sed ô dii immortales, non dicerem hoc audiente Scæuola, niſi ipſe dicere ſoleret, nullius artis faciliorem cognitionem ſibi videri. Quod quidem certis de cauſis à pleriſque aliter exiſtimatur. Primum, quia veteres illi, qui huic ſciẽtiæ præfuerunt, obtinendæ, atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa, peruulgari artem ſuam noluerunt. Deinde poſteaquam eſt editum, expoſitis à Cn. Fabio primum actionibus: nulli fuerunt, qui illa artificioſe digeſta, generatim componerent. Nihil eſt enim, quod ad artem redigi poſſit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, vt ex iis rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictũ à me eſſe paulò obſcurius: ſed experiar, & dicã ſi potero planius. Omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa, & diſſipata quondam fuerunt, vt in muſicis, & numeri, & voces, & modi: in geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in aſtrologia, cæli conuerſio, ortus, obitus, motusq; ſyderum: in grammaticis, poëtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus: in hac denique ipſa ratione dicendi, excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus, & diffuſa late videbantur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus, ex alio genere quodã, qđ ſibi totũ philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutã diuulſamq; cõglutinaret, & ratione quadã

ſaria formãdis artibus.

Facilis iuris ciuilis cognitio.

Artes quomodo paulatim inuentæ.

conſtringeret. Hæc eo in loco Craſſus. Quòd autem ars
ea, quam extrinſecus alio quodam ex genere adhibitam
dicit, ſit dialectica: id ex alio eiuſdem authoris opere fa-
cile oſtendi poteſt, quod de claris inſcribitur oratoribus,
vbi de Seruio Sulpitio loquens, hunc in modum Bruto
interroganti reſpondet. Sic enim inquam Brute exiſti-
mo, iuris ciuilis magnum vſum, & apud Scæuolam, &
apud multos fuiſſe: artem in hoc vno: quòd nunquam
effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet
artem, quæ doceret rem vniuerſam diſtribuere in partes,
latentem explicare definiendo, obſcuram explanare in-
terpretando, ambigua primum videre, dein diſtinguere:
poſtremo habere regulam, qua vera, & falſa iudicaren-
tur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæq; non eſſent cõ-
ſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium
maximam, quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab alijs, aut re-
ſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris di-
cere inquit. Recte inquam intelligis, ſed adiunxit etiam,
& literarũ ſcientiã, & loquendi elegantiam, quæ ex ſcri-
ptis eius, quorũ ſimilia nulla ſunt, facillime pſpici poteſt.
Hactenus Cic. Atque hinc facile intelligi poteſt id qđ ait
Rodolphus, dialecticen eſſe ſcientiam illã, quam Craſſus
neceſſariam eſſe putet formandis artibus, quamq; cupiat
eſſe in iureconſultis. ¶ + Quo nõ eſſent apud eos omnia
actorum ſimilia. ] Quæ in ſenatu, in ſynodis, concilijs, 14
apud aut alijs quibuſvis cõuentibus acta fuiſſent, ea ſic cõſcri-
bi, ac memoriæ prodi ſolebant, vt ſententiæ cuiq;, ſui au-
thoris nomen præponeretur. Cuius rei formã videre eſt
apud D. Cyprianum in libello, cui titulus eſt, de ijs qui
apud hæreticos, aut ſchiſmaticos baptizantur. Polycar-
pus ab Adrumeto dixit, Qui hæreticorũ baptiſma pro-
bant, hæreticis communicant. Pollianus à Mileo dixit,

Dialecticæ vtilis iureconſultis.

Qua ratione dicat Rodolphus oĩa apud iurecõſultos eſſe actorum ſimilia.

*Cenſeo hæreticum baptizari in eccleſia ſancta. Quæq; alia huius generis in eodem libro leguntur: vt Martyr Saluianus à Gazauſala dixit, Confeſſor & martyr Cyprianus à Carthagine dixit. Marcellus à Zama dixit &c. Quem etiam in modum ſcriptum eſt ius ciuile: vbi nomenclaturis eorum, qui vel dixerint, vel ſcripſerint aliquid occupata ſunt omnia. Vlpianus, Marcellus, Iulianus, Celſus, Paulus, Modeſtinus, Pomponius, Papinianus. Iam & iureconſulti ipſi, alij aliorum reſponſa nominatim ſcriptis ſuis ſolent inſerere. Qua ex nota ſunt illa, Heremius Modeſtinus reſpondit, Diuus Pius piſcatoribus Formianis, & Capuanis reſcripſit, Iulianus ſcribit, & alij plerique conſentiunt. Vt Trebatio videtur, Item Labeo ſcribit, Solui mandatum Labeo ait, Paulus reſpondit. Quem illorum morem in epiſtola quadam ad Trebatium iureconſultum obiter ſuo more taxat & Cicero: Hoc (inquiens) quemadmodum vos ſcribere ſoletis in veſtris libris, idem Q. Cornelio videbatur. Neque ita longe hinc diſsident, quæ apud eundem Ciceronem ſecundo de oratore libro aduerſus iureconſultos ſtomachatur Antonius, In quo etiam iſti nos (inquiens) iureconſulti impediunt, à diſcendoq; deterrent. Video enim in Catonis & in Bruti libris, nominatim ferè referri, quid alicui de iure viro aut mulieri reſponderit: credo, vt putaremus in hominibus, non in re, conſultationis, aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe: vt cum homines eſſent innumerabiles, debilitati à iure cognoſcendo, voluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abijceremus. Sed hæc Craſſus nobis expediet, & exponet deſcripta generatim. Eſt enim, ne forte neſcias, heri nobis ille hoc Catulle pollicitus, ſe ius ciuile, quod nunc diffuſum, & diſsipatum eſt, in certa genera coacturum, & ad artem facile*

redacturum. ¶ † Quæſitum eſt à Titio, & Labeo ait, etiã 15
Celſus reſpondit.] Formulæ ſunt exceptæ ex iure ciui-
li: quibus & ſimilibus fit, vt omnia illic videantur acto-

*Ius, quomodo finiatur à Celſo.*

rum ſimilia. ¶ † Ius, eſt ars æqui, & iniqui.] Celſus iure- 16
conſultus ius finiuit hoc modo. Ius, eſt ars boni, & æqui.
ff. de iuſtitia & iure. Quam finitionem multis verbis ex-
plicat Gulielmus Budæus, primo libro annotationum in

*Iuſtitia, quid ſit ex ſentẽtia Vlpiani.*

Pandectas. ¶ † Iuſtitia, eſt conſtans, & perpetua volun- 17
tas.] Vlpianus non poſtremus inter iureconſultos, eo
quem modo diximus titulò, l. Iuſtitia. hũc in modum iu-
ſtitiam finit: Iuſtitia, eſt conſtans, & perpetua voluntas,

*Quomodo ius finiat Cicero: quomodo idẽ iuſtitiã.*

ius ſuum vnicuiq; tribuens. Cicero primo libro de orato-
re: Sit ergo in iure ciuili (inquit) finis hic: legitimæ, atq;
vſitatæ in rebus cauſisq; ciuium æqualitatis cõſeruatio.
Idem ſecundo rhetoricorum, Iuſtitia (inquit) eſt habitus
animi, communi vtilitate cõſeruata, ſuam cuiq; tribuens
dignitatem. Cur Rodolpho minus placeant finitiones
iureconſultorum, eius rei hanc ego cauſam eſſe opinor,
quòd parum liqueat, qua ratione, vel ius ars eſſe dicatur,
vel iuſtitia voluntas. Atq; illi etiam ipſi, quorum gloſſe-
mata extant in Pandectas, mirum quàm hic ſudãt in ex-
plicandis vtriſq;, dum vix conſtituere poſſunt, vel illud,
quodnam ius, quæ ve iuſtitia hiſce finitionibus deſcriba-

*Diuiſio iuris ſecũdum Vlpianum.*

tur. ¶ † Iuris aliud publicum, aliud priuatum. Et priua- 18
tum, in naturale, & gentium, & ciuile diuiditur.] Mire-
tur aliquis, quid ſit quod in hiſce diuiſionibus reprehen-
dendum putet Rodolphus: præſertim cum ſit earum au-

*Quid in his diuiſionibus reprehendẽdũ pu-*

thor idem, de quo dixi iam, Vlpianus, vir maior, quàm à
cuius ſententia, hac vtiq; in re, temere ſit recedendũ. Ve-
rum enimvero dialecticorũ præceptũ eſt, partes diuiſio-
nis cuiuſq;, eiuſmodi eſſe debere, vt ne de pluribus dici
queant, quàm ipſum illud quod diuiditur. Iam ſi ius pu-

blicum,ius eſt,id certe,aut naturale, aut gentium, aut ci- tet Ro-
uile ius ſit oportet. quo fit, vti partes quidem poſterioris dolphus.
huius diuiſionis de iure publico vere dicantur:ipſum au-
tem quod diuiditur, nequaquã. Atq; hoc eſſe illud quod
ſuggillandum exiſtimauit Rodolphus, ipſius quæ conti-
nuo ſubiungit verba oſtendunt. Quaſi (inquit) ius pu-
blicum,neq; naturale eſſet,neq; gentium, neq; ciuile.

19 ¶ †Sed,vt ad Ariſtotelem aliquando veniam,qui artium
finibus excluſit dialecticen.] Non video equidẽ,quomo-
do Ariſtoteles dialecticen artium finibus excluſerit,cum
inter cætera καὶ πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας eam
dicat conducere.Quanquã negari illud non poteſt,ea quæ
in Topicis præcipit, magis ad conflictus illos, & certa-
mina diſputantium,quàm aliò pertinere. Quod cum di-
ctum videri poßit obſcurius, experiar ſi quomodo pla-
nius idem dici queat.Id quod ſupra vires nõ erit,ſi initio
meminerimus,neq; rhetoricæ, neq; dialecticæ nomen eo- Dialecti-
dem ſemper intellectu ſolere accipi.Etenim veteres illi ita cæ nomẽ
ferè hiſce vocibus vſi ſunt,vti eos modo rhetoras appel- bifariam
larent;ac dialecticos,quorum illi in foro agerent cauſas, ſumi.
hi in ſchola,ac vmbra de communibus thematis diſputa-
rent:ac proinde dialecticen,etiam & rhetoricen,eas intel
ligerent facultates, quibus ij,in ſuo vtriq; campo inſtru-
cti,in certamen deſcenderent. Quem in modum hæc no-
mina certum eſt vſurpaſſe & eos, qui perpetuam ora-
tionem ad rhetorem, conciſam ad dialecticum pertinere Quomo-
dixerunt. neq; aliud quicquam intereſſe, inter dialecti- do intelli
cen, & rhetoricen, quàm ſi manum eandem, primum gendũ di
in pugnum comprimas, deinde rurſum explices, ac di- ſcrimen
ducas. & rurſus dialecticorum theſes, rhetorum ma- illud, qđ
teriam eſſe hypotheſes. Quanquam enim ij qui in quidã eſ-
foro agunt, inter agendum ſæpenumero à perſonis, ſe dicunt

inter dia- ac cæteris circumſtantijs quæſtionem abducunt, atq; plus
lecticam, nonnunquam operæ in theſium quàm in hypotheſiũ ex-
& rheto plicatione inſumunt, tamen id quod initio proponitur,
ricam. nũquam theſis, ſed hypotheſis eſt. Qua de re explicatius
paulò poſt, capite octauo, & duodecimo. Interim illud,
& alium intellectum nominum iſtorum, ſecundum quem
artes iſtas cõmunes quaſdam omnium artium miniſtras
appellare ſolemus, propterea quòd quemadmodum gram
matice in commune præſcribit, qua ratione, nõ in hoc mo-
do, aut illa materia, ſed de omni re emendate loquamur:
ita hæ duæ, altera quo modo probabiliter, altera quo mo-
do polite, atq; ornate dicere de re quaq; poßimus, expe-
diũt. Atq; hac notione hæc nomina vſurpat Rodolphus:
neq; alius eorum vſus eſt, cũ dicimus treis eſſe artes, quæ
verſentur circa ſermonem, grammaticam, dialecticam, &
rhetoricam. Ergo quæ in Topicis Ariſtoteles docet, ea ta-
metſi poſſent etiam alijs vtcũq; diſciplinis accommodari,
tamen ex profeſſo ei dialectico inſtituẽdo deſtinata ſunt,
quem ſecundum priorem illam notionem hoc nomine ſi-
gnificari diximus. Sed de his in ſequentibus plura.
¶ †Equidem artium decreta, & diſputãtium contentio- 20
nes.] Quod ad inuentionem, inquit, & ad diiudicatio-
nem pertinet argumentorum, nihil intereſt inter confli-
ctus illos diſputationum, & decreta artium. Quocirca ſi
ad certamina illa gymnaſiorum vtilis dialectice erit, ea-
dem nimirũ, & ad artes ipſas conducet. ¶ †Dolus enim, 21
an virtus, quis in hoſte requirat?] Verba ſunt Corœbi,
ſecundo Æneidos. ¶ †Da Ariſtotelem, & Ariſtippum, 22
de ſummo bono contendentes.] Quorum ille in contem-
platione, hic in voluptate ſummum ineſſe bonum exiſti-
Ariſtip- mabat. Fuit autem Ariſtippus philoſophus Cyrenenſis,
pus. auditor Socratis, de quo multa apud ſcriptores legũtur.

*Primus fuit Socraticorū, qui mercede docuerit. Ad Dionyſium illum Syracuſanum profectus, mira quadā dexteritate in aula verſatus eſt. Cum aliquando expuiſſet in eum Dionyſius, idq; tametſi ipſe patientiſſime ferret, tamen indignarentur quidam (vt fit) ex amicis, Quid? piſcatores, inquit, aqua marina totos ſe madefieri nō recuſant, vt exiguum capiant gobium: & ego vt balænam ingentem capiam, vino paulum diluto leniter aſpergi nō feram? Qua ex re anſam arripuit Diogenes Cynicus, vt eum diceret eſſe regium canem. Quodam tempore cum olera lauans idem Diogenes, in prætereuntem Ariſtippū hiſce verbis cauillatus eſſet, Si hæc edere didiciſſes Ariſtippe, non verſareris in aulis regum: At tu, inquit ille, ſi viuere didiciſſes cum regibus, olera non lauares. Notus*
23 *eſt hac de re locus Horatij in epiſtolis.* ¶ † Da Carneadē, & Chryſippum, de comprehenſionibus.] *Comprehenſiones vocat τὰς καταλήψεις, quarum iam ſemel, atq; iterum facta nobis eſt mentio. Porrò Stoici, inter quos vel primas tenebat Chryſippus, ex comprehenſionibus iſtis apte inter ſe collatis comparatiſq; artes fieri dicebant. At Carneades nouæ Academiæ erat, quibus ἀκαταληψία illa ſua tam impenſe placebat, vt negarent omnino quicquā ſciri poſſe. Cuius rei ſæpe facit mētionem Cicero, cum in libris de bonorum, & malorum finibus, tum quarto libro Academicarū quæſtionum. Quin vero & ſecundo libro de natura deorum, Q. Lucilius Balbus ad Cottam Academicum, Quanta verò, inquit, illa ſunt, quæ vos Academici infirmatis, quòd & ſenſibus, & animo ea quæ extra ſunt percipimus, & comprehendimus: ex quibus collatis inter ſe, & comparatis artes quoq; efficimus, partim ad vſum, partim ad oblectationē neceſſarias. Et rurſum tertio libro de oratore: Reliqui (inquit Craſſus)*

*Comprehēſiones Stoicorū.*

*ἀκαταληψία Academicorum.*

Acade- ſunt Peripatetici, & Academici. Quãquam Academicos
mia du- rum nomen eſt vnum, ſententiæ duæ. Nam Chryſippus
plex, ve- ſororis Platonis filius, & Xenocrates, qui Platonem au-
tus & no dierat, & qui Xenocratem Polemo, & Crantor, nihil ab
ua. Ariſtotele, qui vnà audierat Platonem, magnopere diſ-
Acade- ſenſerunt, copia fortaſſe, & varietate dicendi pares non
mia no- fuerunt. Arceſilas primum, qui Polemonem audierat, ex
ua. varijs Platonis libris ſermonibusq; Socraticis, hoc maxi
me arripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus, aut animo
percipi poßit. quem ferunt eximio quodam vſum lepore
dicendi, aſpernatum eſſe omne animi ſenſusq; iudicium:
primumq; inſtituiſſe, quanquam id fuit Socraticum ma-
xime, non quid ipſe ſentiret oſtendere, ſed contrà id quod
quiſq; ſe ſentire dixiſſet diſputare. Hinc hæc recentior
Academia emanauit, in qua extitit diuina quadam cele-
ritate ingenij dicendiq; copia Carneades. cuius ego etſi
multos auditores cognoui Athenis, tamen authores cer-
tiſsimos laudare poßim, & ſocerũ meum Scæuolam, qui
eum Romæ audiuit adoleſcens: & Q. Metellum, L.F.
familiarem meum, clariſsimum virum: qui illum à ſe ado-
leſcente, Athenis iam affectum ſenectute, multos dies au-
Carnea- ditum eſſe dicebat. Hactenus ille. Vt autem & de Car-
des. neade pauca dicamus, philoſophus hic nouæ Academiæ
Gell. lib. fuit, violenta & (vt Polybij apud Gellium verbis vtar)
7. cap. 17. rapida quadã facũdia præditus, tanta dicẽdi vi, vt Cice-
Cicero ro author ſit, nullã ab eo vnquã cauſam defenſam fuiſſe,
de orato- quã non probarit, nullã oppugnatã, quã nõ euerterit. Cũ
re. Chryſippo diſputaturus, ellebro (inqt Valerius Max.)
Valerius ſe purgabat ad exprimendum ingenium ſuum attẽtius,
lib. 8. c. 7. & illius refellendum acrius. quas potiones induſtria ſo-
Chryſip- lidæ laudis cupidis appetendas effecit. Chryſippus (vt
pus. modo dixi) philoſophus Stoicus, octogeſimo ætatis ſuæ

*anno decedẽs, cœptum ante quadrageſimum, λογικῶν exe-*
*actiſſimæ ſubtilitatis volumen reliquit, cuius ſtudium in*
*tractãdis ingenũ ſui monumentis tantũ operis laboriſq;*
*ſuſtinuit, vt ad ea quæ ſcripſit penitus cognoſcenda, lõga*
*vita ſit opus. Hæc ad verbũ Valerius Maximus, lib. octa-*
*uo, capite de ſtudio, & induſtria. Mira in eo fuit ſubtili-*
*tas diſſerẽdi. Dicere ſolebat, ſui animã datã eſſe pro ſale:*
*& ſapiẽti, quãuis nulla re egeret, tamen multis illi rebus*
*opus eſſe: contrà ſtulto, etſi nullis rebus ſit opus, multis*
24 *tamen eum egere.* ¶ † *Et velut ſcopuli artis.*] *Scopulum* *Scopulus*
*non ſemel in hoc opere vocat Rodolphus, quo nos ſcopũ*
*dicere ſolemus.*

*¶ Quid quæſtio, quot modis eius ſumatur diuerſi-*
*tas, quot fecerit Cicero, quot Ariſtoteles. Triũ*
*earum quæſtionum quas fecit Cicero, poſtre-*
*mam tantum ad forum ſpectare, reliquas duas*
*in iudicia afferri non poſſe.*

## CAPVT VI.

QVæſtio igitur, quoniam circa eam
omnis diſſerentis verſatur labor,
quid ſit, & quæ ſpecies partes've
illius, & quomodo inuenienda (nã
& in hoc nonnunquam laboratur) explice-
1 mus. ¶ † Quæſtionem Boëthius definiuit eſſe *Quid*
2 dubitabilem propoſitionem. † Quòd ſi pro- *quæſtio*
poſitio eſt id, quod hoc nomine prædixi- *ſecũdum*
mus Ariſtotelem accipere, non inuenio equi- *Boëthiũ.*
dem, quid inter quæſtionem & propoſitio-
nem interſit, vt videatur Boëthius pro gene-
re, quod idem ſit poſuiſſe. Sin propoſitionis

nomen capimus, vt vulgo nunc accipitur, pro
eo, † quod Ariſtoteles ἑρμηνείαν, Cicero pronun 3
ciatum interpretatus eſt, non omnis dubitabi-
lis propoſitio eſt quæſtio. Hæ nanq; † virtus 4
eſt ſummum bonũ, † ſolus ſapiẽs eſt diues, du- 5
bitabiles quidem propoſitiones erũt: quæſtio-
nes tamen nõ ſunt: affirmãt enim aliquid: qui
querit autẽ, nihil affirmat. Rectius vel explica
tius vtcunq; videbitur dici, quæſtio eſt cũ in-
terrogatione elata oratio. Vt, † vtrũ virtus ſuf 6
ficiat ad bene viuendũ: † vtrũ cõſummata vir 7
tus voluntate an opere conſtet? Diuidũtur au-
tem quæſtiones non vno tantum modo. Nãq;
& pro rerum de quibus quæritur differentia,
& pro diuerſo modo quærendi, & pro artium
ad quas pertinent diuerſitate, aliæ fiunt atque
aliæ quæſtionũ diuiſiões, quæ cuiuſmodi ſint,
ordine proſequamur. ¶ † De rebus quærimus 8
primum, ſint ne omnino nécne ſint. Vt, ſit ne
anima. Antea enim quàm eſſe res detur, nihil
eſt quod vlterius poſſit quæri. Primũ enim om
nium quod cogitationi notitiæq; noſtræ vlla
de re obiicitur, eſt eſſe. Quo fit, vt hæc prima
ſit quæſtio, & quã nulla alia queat præcedere.
Quinetiã ſi de his quæ nõ ſunt ſuſcipiatur no-
bis aliqua diſputatio, quæ ad hanc quæſtionẽ
non pertinet, fingimus ſemper hãc præceſſiſſe
quæſtionẽ, & tanquã de exiſtentib⁹ diſſerim⁹:
ideoq; ſuſpenſi ſemper ex ea conditione, ſi res

*Quid ex ſententia ipſius Rodolphi.*

*Trifariã quæſtionũ ſumi diuerſitatem.*

*Tria quæſtionũ genera iuxta ſententiã Ciceronis.*

ſit,agimus:quam vbi abſtulerimus,mox om-
nia quæ huic velut fundamento incūbebant
corruunt. At vbi rem eſſe perſuaſum eſt, pro-
ximum eſt quærere de ſubſtantia eius, hoc eſt,
quid res ſit. Vt ſit'ne idipſum anima, quod
vis illa qua cūcta viuūt: quod definitione ex-
9 plicatur.† Ea quid ſit, ſuperiore libro diximꝰ.
Deinde iam quærimus ea, quæ circa vel extra
ſubſtantiā rei ſunt. Vt ſit'ne anima indiuiſibi-
lis. Vtcꝗ etiā ſint intra ſubſtantiā eius, non ta-
men id agimus quæſtione, vt id exquiramus:
vt qui quærat, ſit'ne anima vis illa qua cūcta
viuunt, poteſt hoc quæri ſic, vt inueſtigetur,
ſit'ne id verū an non: deinde, vt verū ſit, reli-
quū adhuc eſt: ſit'ne hæc animæ definitio. Tria
hęc quæſtionū genera Cicero vocauit, primū
quidem an ſit, ſecundū quid ſit, tertium quale
ſit. Et qui rhetorica poſt Ciceronem ſcripſerūt,
Quintilianus vtiꝗ & Hermogenes hanc di-
10 uiſionem ſunt ſecuti. ¶† Ariſtoteles tribus his
quartū addidit genus, quod vocauit propter
quid. Vt ſit ordo quæſtionum, verbi cauſa, de
deo quærimus primum, an ſit deus. Quod ſi
negetur, nihil eſt, quò vlterius progrediamur:
ſin detur, tum quærimus, quid eſt. Id vbi con-
ſtiterit, tum qualis eſt, vt ſit'ne æternus. Quod
vbi acceptū eſt, tum poſtremū, propter quid
ſit æternus: quam quæſtionem, ſi Ciceronem
authorem ſequimur, ad quale eſt redigemus.

*Quatuor quæri de rebus ex ſententia Ariſtotelis.*

Si enim explicetur hæc quęſtio, vt ſi quæratur, propter quid deus eſt ęternus, dicaturq́; quoniã quod eſt, ex ſeipſo habet, ſi de hoc diſſerere volemus, hęc erit quæſtio: ſit'ne habere eſſe à ſeipſo cauſa æternitatis dei: videbitur nimirum hæc quęſtio de qualitate eſſe: quoniã eſſe cauſam vel non eſſe, qualitas ( vt nos iam de qualitate loquimur ) videtur. ¶ † Quòd autẽ 11 Cicero tria hæc quæſtionum genera, de ciuilibus rebus diſſerendi ſubiecit, non ſatis exacta ratione videtur factũ. Quicquid enim rhetor quęrit, ad qualitatẽ pertinet. Nec enim an eſt, aut quid eſt, vt ſint quęſtionũ capita, in forum venire poſſunt. † nec quicquid coniectura exquiritur, pertinet ad quęſtionem an eſt, vt ipſe 12 voluit. Vt diximus enim, an eſt, primum eſt quod poteſt vlla de re quæri, cuiuſmodi certũ eſt nihil quæri in foro. Nec enim an fecerit furtum Trebius, primũ eſt quod in hac quæſtione quęri poſſit. † Prius enim dicet reus ( vt in- 13 quit Quintilianus ) proba te habuiſſe, proba perdidiſſe: deinde, proba mea fraude perdidiſſe: hoc poſtremũ eſt id de quo quęritur, ad qđ tamen niſi prioribus quæſtionibus explicatis perueniri nõ poteſt. Sed neq; an habuerit rem, prima eſt quęſtio: natura enim pręcedat oportet, an ſit Trebius, an ſit res quæ dicatur ablata: deinde ſequitur iam primum, an Trebius hanc rem habuerit. Sic etiã, † occiderit'ne per 14

*Contra Ciceronem.*

*Quæſtionẽ an eſt, nõ venire in forũ.*

inſidias Clodium Milo, coniecturalis eſt quę-ſtio: prius tamen eſt, an Milo occiderit Clodium, an occiſus ſit Clodius: & quod primũ eſt, an fuerit omnino Clodius, hęc ſola enim eſt (an eſt) quæſtio, reliquæ qualitatis ſunt.

¶ Definitionis etiã quęſtio ad forum non poterit afferri. Quicquid nanque quęritur in foro, aliquid horum trium eſſe oportet, ſit'ne factum quod aduerſarius intendit, ſit'ne id nomen facti quod ille dicit, ſit'ne iuſte factũ. Primum ad qualitatis quęſtionem pertinere modo docuimus: de poſtremo nemo eſt qui dubitet: ſecundum voluerunt eſſe definitionis quęſtionem: quod non eſſe verũ, facies ipſa quæſtionis oſtendit. Qui quęrit enim, an rem prophanam de ſacro ſubducere ſit ſacrilegium, an poculum amatorium ſit venenum, non quęrit definire aliquid iſtorum: ſed neq; ſacrilegium eſſe definitionẽ eius quod eſt ſubducere rem prophanã de ſacro, neq; venenum definitionem eſſe poculi amatorii, nemo niſi qui neſciat quid definitio ſit, ignorat. Sed ſcio quid reſpondeatur, vt quęſtio enim non ſit de definitione, ſtatus tamen quęſtionis hoc eſt, id in quo tota vis eſt quęſtionis, eſt ex definitione. Eſſe enim ſubductionem rei prophanæ de ſacro, ſacrilegium: & poculum amatorium, venenum, apertiſſime ex definitionibus iſtorum perſpicietur. Perſpicietur quidem, ſi de

*Quæſtionem quid eſt, in forum non afferri.*

definitione iſtorum inter partes cõueniat. Sed
primum quiſq; ſuo arbitratu definitionem da•
bit. alioquin ſi de ea dubitari non poſſet, non
maneret vtiq; quæſtio. vt, ſi ſacrilegium defi•
niatur eſſe ablatio cuiuſuis alienæ rei de ſacro,
certum eſt nullam hic futuram quæſtionem.
Verum hoc æquè dubium eſt, atq; id, de quo
ambigitur. Ergo inter locos ponetur quidem
definitio, caput eſſe quæſtionis non poterit.
Sed aliis etiam vberioribus & aptioribus ar•
gumentis quæſtionẽ explicabimus quàm defi
nitione. quod apud authores, vſu certiſſimo
rerum magiſtro, paratum eſt deprehendere.
†Cicero cõtra Antonium, quòd nomine acto 15
rum Cæſaris, libelli & chirographa non conti•
neantur, probat vſu loquendi, æquitate, exem
plis. Definitũ eſſe ab eo quid ſint acta, nuſquã
in ea video oratione.† Quintilianus itẽ in odij 16
potione, definire quidem viſus eſt venenum,
vt ſit quicquid dari non licet. ſed nihil iuuabit
hæc definitio cauſam ſuam: æquè enim eſt in•
certũ, ſit'ne odij potio venenũ, & liceat'ne da•
ri odij potionem, in eo præſertim rerum caſu,
quem themate declamationis expreſſit. ſed
aliis multis & variis argumentis acute colligit
id, quo maxime nititur: rationem (quæ anima
legis eſt) huic facto cõuenire: & æquitate, quæ
ad qualitatis vtiq; ſtatum pertinet, præcipue
pugnat. In hancq; omnes quicunq; id genus

quæſtionis tractauerũt authores, video omne robur dictionis ſuæ contuliſſe. Quòd ſi ergo neq; caput cuiuſquam quæſtionis ciuilis definitio erit, neque præcipue firmamentum illius, non poterit vlla definitionis ſibi accipere nomen.

## SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Q†Væſtionem Boëthius definiuit eſſe dubitabilem propoſitionem.] Boëthius primo topicorũ libro: Quæſtio (inquit) dubitabilis eſt propoſitio. hoc eſt: Quæſtio eſt propoſitio, quæ tametſi ex natura ſua nihil fortaſſe dubij contineat, tamen in præſenti ita de ea agitur, quaſi dubia & ambigua ſit. Quem eſſe germanum eius finitionis intellectũ, ipſe Boëthius altera eiuſdem rei finitione oſtendit: Quæſtio (inquiens) eſt in dubitationẽ ambiguitatemq; adducta propoſitio. E quibus facile perſpectu eſt, parũ ijs firmitudinis ineſſe, quæ aduerſus Boëthianam hãc finitionem affert Rodolphus. Quod ait enim, virtus eſt ſummum bonum, ſolus ſapiens diues eſt, dubitabiles eſſe propoſitiones, negari id quidẽ non poteſt, modo intueamur naturam ipſarũ rerum: verum non ita tamen hæc proponuntur, neq; in præſentia ita de eis agitur, quaſi dubia ſint: quo intellectu diximus* Quæſtio quid ſit.
2 *accipiendam eſſe finitionem Boethij.* ¶ *†Quòd ſi propoſitio eſt id, quod hoc nomine prædiximus Ariſtotelem accipere.] Dictũ eſt capite præcedenti, πρότασιν, id eſt propoſitionem apud Ariſtotelem in topicis eſſe quæſtionem, non quãuis, ſed quæ in vnam modo partem efferatur: vt, ſunt diuitiæ bonæ? eſt'ne timenda mors? Quæ ſi in vtrãq; efferas partẽ, fient problemata. vt, ſunt'ne diuitiæ bonæ, an non bonæ? ecquid malũ, an non malũ eſt mors? Verum ma.* Propoſitio. Proble

Propoſitionis nomine quo modo ſit vſus Boëthius.

hoc intellectu,non eſt propoſitionis vocabulo vſus Boë-
thius:ſed propoſitionem vocauit,quam ἀπόφανσιν Ariſto-
teles,M.Varro proloquium,Cicero pronũciatum, hodie
vulgus enunciationem vocat. Eam libro ſuperiore dixi-
mus eſſe orationem perfectam, quæ aut verũ aut falſum
ſignificet. ¶ † Quod Ariſtoteles ἑρμηνείαν, Cicero pro- 3
nunciatum interpretatus eſt. ] Ariſtoteles in eo lib. qui
περὶ ἑρμηνείας inſcribitur, nõ ἑρμηνείαν, ſed ἀπόφανσιν ( vt
iam diximus ) vocat id, quod Cicero pronunciatum:

ἑρμηνεία.

ἑρμηνείαν ipſe Rodolphus quodam in loco transfert ex-
plicationem: Boëthius interpretationem dixit: quam fi-
nit hoc modo: vt ſit vox articulata per ſe ipſam ſignifi-
cans: quod genus ſunt nomen & verbum, & ex ijs con-
ſtituta oratio. Verba Ciceronis, quòd ad hunc locum at-

Pronunciatum.

tinet, prima Tuſculana ſic habent: Omne pronunciatum:
ſic mihi in præſentia occurrit vt appellem ἀξίωμα vtar
pòſt alio ſi inuenero melius: id ergo eſt pronunciatum,
quod eſt verum aut falſum. Meminit huius loci Cicero-
niani & A.Gellius noctiũ Atticarum libro decimoſexto
cap. octauo. ¶ † Virtus eſt ſummum bonum. ] Sententia 4
eſt Stoicorũ, quam & Cicero aſſerit Tuſculana quinta,
ſed refellit Lactantius. ¶ † Solus ſapiens eſt diues. ] Et 5
hoc vnum ex paradoxis illis eſt Stoicorum, ὅτι μόνος ὁ σο-
φὸς πλούσιος. ſolum videlicet ſapientem diuitem eſſe. Tra-
ctatur à Cicerone in Paradoxis. ¶ † Vtrum virtus ſuffi- 6
ciat ad bene viuendum? ] Eſt & hoc quoq; ex albo eo-
rundem, ὅτι αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν, ſolã ( in-
quam ) virtutem ſufficere ad felicitatem ac beatam vitã.
Aſſeritur à Cicerone eo quẽ indicauimus loco. ¶ † Vtrũ 7
conſummata virtus voluntate an opere conſtet, ] Tra-
dunt morales philoſophi, ſummam eſſe eam virtutis lau-
dẽ, quæ in operatione conſiſtat. ¶ † De rebus quærimus. 8

primum, ſint'ne omnino néc ne ſint[.Cicero multis in lo
cis, & Quintil. libro tertio, tria eſſe aiunt quæ de vnaquaq; Tria eſſe
que re quæri poßint, an ſit, quid ſit, qualis ſit: vt ſit'ne quæ de re
anima, quid anima ſit, & mortalis'ne ea ſit an immorta- quaque
9 lis. ¶ † Ea quid ſit, ſuperiore libro diximus.] Quid ſit, quærant.
inquit, definitio, id explicuimus libro priori: capite quin
10 to. ¶ † Ariſtoteles tribus his quartum addidit genus.]
Secundo τῶν ὑςέρων ἀναλυτικῶν libro Ariſtoteles quatuor Quot ge-
eſſe ait, quæ de re quaq; venire ſoleant in quæſtionem, an nera quæ-
ſit res, quid ſit, qualis ſit, & qua de cauſa ſit talis. Vt ſit ſtionū fe-
ne deus, quid deus ſit, ecquid deus ſit ſempiternus, & cerit Ari-
11 quamobrem æternus ſit. ¶ † Quòd autē Cicero tria hæc ſtoteles.
quæſtionum genera de ciuilibus rebus differenti ſubie-
cit.] Cicero cū in alijs locis compluſculis, tum de perfe-
cto oratore ad Brutū, tria hæc genera quæſtionum orato-
ri ſubiecit: Quicquid (inquiens) eſt, quod in controuer
ſia, aut cōcione verſetur, in eo aut ſit'ne, aut quid ſit, aut
quale ſit quæritur: ſit'ne, ſignis: quid ſit, definitionibus:
quale ſit, recti prauiq; partibus. Idem Cicero, & ſecutus
eum Fabius Quintilianus, ciuiliū cauſarū treis faciūt ſta
tus, coniecturalem, finitiuum, & qualitatis: quorum
primo quæritur an ſit res, altero quid ſit, tertio quale
ſit. Qua in parte hactenus Ciceroni refragatur Rodol-
phus, vt ex iis tribus quæſtionum generibus, ſolum
poſtremum hoc credat in forum venire poſſe, reliqua Num in
duo non poſſe. Quod ego vt non negauerim eſſe verū, in forū veni
eum dūtaxat ſenſum, in quē dicitur à Rodolpho: ita hoc re poßit
rurſus auſim contendere, ipſum à Cicerone verbis magis quæſtio
quam ſentētia dißidere. Nam quod attinet ad quæſtionē an eſt.
an eſt, conſtat quidē hanc eſſe primū id quod de re quaq;
in quæſtionē venire ſolet: verū illud noſſe oportet, bifariā

*aliquid dici in cauſis primum: natura ipſarum rerum, & conſuetudine eorum qui cauſas in foro agunt. Verbi cauſa, Inſidias fecit Deiotarus rex Cæſari. Hic quod ad rerũ naturam attinet, poterat initio quæri illud, fuerit'ne Deiotarus, fuerit'ne Cæſar. Verum rideatur opinor, ſi quis hæc perſequi velit in foro. Quocirca Cicero hæc velut ſuperuacua inſtituto ſuo omittens, hoc ſolum diſputat in ea oratione quam pro Deiotaro apud Cæſarem dixit, ſint'ne inſidiæ factæ Cæſari à Deiotaro. Atque hæc dicitur in ea cauſa quæſtio an eſt. Quando rhetores appellatione quæſtionis an eſt, non eam modo quæſtionem accipiunt, qua ambigitur, ſit'ne aliquid an non ſit, fuerit an non fuerit: verum etiã eam, qua id quæritur, factũ aliquid ſit an non factum, hoc an illo factum ſit modo, hac cauſa factum ſit an ob aliam cauſam, hic an ille inſidias fecerit, ex æde ſacra ſublata res ſit an ex loco prophano, noctu factum ſit an interdiu. Ita oẽs quæſtiones iſtæ, fuerit'ne Clodius an non fuerit, num ſit idem occiſus, num occiſus in monumentis maiorum ſuorum, à Milone an ab alio occiſus ſit, num propter inſidias à ſe Miloni factas ſit ab illo occiſus: hæ inquam omnes, vt ad ſtatum coniecturalem pertinent, ita eius etiam generis ſunt, quod appellãt quæſtionem an eſt. Sed Rodolphus eas modo quæſtiones hoc donat nomine, quibus naturæ ordine nulla prior eſt: quod ſi recipiatur, haud dubie in foro locus iſtis nõ erit. Cicero contrà, omnibus eis quæſtionibus dedit hoc nomen, quas paulò ante apud rhetores diximus eo vocabulo comprehẽdi ſolere. Ita fit, quod initio dixi, vt tota hæc controuerſia conſiſtat in ſolo nomine: quod cũ vtrumq; intellectum facile admittat, vera ſunt quæ dixit vterq;, modo intelligantur. Iam vt de ſecundo etiam genere pauca dicamus, quotieſcunque ambigeretur in foro, hoc an*

*illo nomine, verbi cauſa, furtum an ſacrilegium, parrici- dium an tyrannicidium appellandum eſſet id, quod fa- ctum eſſe concederetur, cum dixere quæſtionem finitio- nis, propterea quòd vbi conſtitiſſet, conuenire ei cum fi- nitione, tum de nomine dubitari non poſſet. Atque hacte- nus hanc quæſtionem in forū venire poſſe, ne Rodolphus quidem negarit opinor. Certe argumentis ijs quæ addu-*
12 *cit, diuerſum non probat.* ¶ † *Nec quicquid coniectura exquiritur, pertinet ad quæſtionē an eſt, vt ipſe voluit.* ] *Quæ Cicero hanc in rem habeat in oratore ad Brutū: id paulò ante oſtendamus. Sed in Topicis idem: Cognitio- nis (inquit) quæſtiones tripartitæ ſunt, cum an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur. Horum primum coniectu- ra, ſecundum definitione, tertium iuris & iniuriæ diſtin- ctione explicatur. Hactenus ille: quæ non vere minus quàm eleganter dicuntur: modo quæſtionem an eſt om- nem eam intelligamus, quam à rhetoribus eo nomine cō- prehendi ſolere oſtendimus. Quare hoc certe loco cauſa nō erat, cur tātopere à Cicerone diſſentiret Rodolphus.*
13 ¶ † *Prius enim dicet reus, vt inquit Quintilianus.* ] *Is*
14 *locus Quintiliani eſt libri ſeptimi capite. 2.* ¶ † *Occide- rit'ne Clodium per inſidias Milo.* ] *Dixerant accuſato- res Milonis Clodium ab eo per inſidias occiſum eſſe: An inſi- quam illorum accuſationē ita eluſit Cicero, vt Miloni à diæ factæ Clodio, non Clodio à Milone inſidias factas eſſe ſit cona ſint Mi- tus oſtendere. Quod quàm vafre ab eo factum ſit, facile loni à clo ex ipſius quadā ad Atticū epiſtola intelligi poteſt: vbi de dio. Clodio loquens: Publium (inquit) reum, niſi antè occi- ſus erit à Milone, fore puto: ſi ſe ituro Lanuuium in via obtulerit, occiſum iri iam ab ipſo Milone video. Non du- bitat facere, præ ſe fert, caſum illum noſtrum non exti- meſcit: nunquam enim cuiuſquam inuidi aut perfidi*

*conſilio eſt vſus, perinerti nobili crediturus.* ❡ † *Cicero* 15
*in Antonium.] prima philippica.* ❡ † *Quintilianus item* 16
*in odij potione.] Titulus eſt declamationis cuiuſdã apud Quintilianum, cuius hoc argumentũ. Meretrix amatori ſuo pauperi dedit odij potionem, adoleſcens deſijt amare. accuſat illã veneficij. In ea declamatione verba Fabij habent ad hunc modum: Quædam formæ medicamina poſſunt aliud vocari quàm venenum. Dare quod non licet, non eſt aliud quàm veneficium.*

❡ *Quas Ariſtoteles enumerauit, non tam quæſtiones eſſe, quàm modos quoſdam quærẽdi. Porrò quæſtionem omnem aut ſimplicem eſſe, aut cõpoſitam. Et harum rurſus, priorem illam tribus fieri modis, poſteriorem duobus.*

## CAPVT VII.

*Quas Ariſtoteles ponit, modos potius eſſe quærendi, quàm quæſtiones.*

HÆc Ariſtoteles de quæſtionibus, hæc Cicero. Dicam & quod mihi videtur, verum illi ſequendi erũt. †Primum itaque videtur mihi (ſi 1
quæſtionem vocemus id quod prædiximus) orationem per interrogationem elatã, cui eſſe vel non, poteſt reſponderi, quatuor illa quę ab Ariſtotele numerantur, non eſſe quæſtiones, ſed modos quoſdam quærendi, & prolectantia (vt ita dicam) quæſtionẽ. Quod in ea quidem, quam (an eſt) dicimus, dubiũ poteſt eſſe, quoniam ipſa quæſtio, cum eo, quod modum quærẽdi dicimus, in idipſum recidet. Vt ſi interroges, an eſt homo, reſpondeaturq́; eſſe hominem, idẽ erit quæſtio, eſt´ne homo? & inter-

rogatio,an eſt homo?quo fit,vt de hac interro
gatione in hanc vel illam partem poſſit diſſeri.
In reliquis apertius eſt.ſi dicas enim, quid eſt
homo?nihil de hoc poſſis diſſerere, niſi reſpon
deat is, qui interrogatur, homo eſt animal ra-
tionale.Nã quæſtio erit,ſit'ne animal rationa-
le:deinde,ſit animal rationale definitio homi-
nis.Nec enim ſatis eſt, verũ eſſe quod in hac
quæſtione reſpõdetur: ſed ad certã legẽ verũ
eſſe oportet.Si quæras enim,quid eſt homo?&
reſpondeatur,eſt animal binos habẽs oculos:
verũ quidẽ eſt quod reſpõdetur, ſed nõ recte
reſponſum dicas:quoniam equus binos habet
oculos,non tamen eſt homo. Oportet ergo
reſponderi aliquid, quod definiat hominem:
quod an fiat, hoc genere quæſtionis diſſere-
tur.Sic & qualis eſt ſol, nihil poſſis de hoc di-
cere,niſi reſpõdeatur obſcurus,vel globoſus,
aut ſimile quippiam. Et propter quid eſt ob-
ſcurus?nihil itidem habes,quod dicas,niſi di-
catur:vel hoc,quoniam luna obiectu ſuo pro-
hibeat nos illius aſpectu:vel aliud aliqd in hãc
ſententiam.Non igitur quæſtiones ſunt primæ
interrogationes illæ,quãdo nequit de eis, vel
in hanc,vel aliam partem dici. ſed reſponſum
aduerſarij interrogationi datum, cum in du-
2 biũ vocatur, ſit quæſtio. ¶†Quæſtionũ igitur
genera duo videtur, ſimplex,& cõpoſita.Sim *Quæſtioñ*
5 plex eſt,quæ vnum quærit de vno.Vt,†ſit'ne *nẽ omnẽ*

nomen capimus, vt vulgo nunc accipitur, pro
eo, † quod Ariſtoteles ἑρμηνείαν, Cicero pronun 3
ciatum interpretatus eſt, non omnis dubitabi-
lis propoſitio eſt quæſtio. Hæ nanq́, † virtus 4
eſt ſummum bonũ, † ſolus ſapiẽs eſt diues, du- 5
bitabiles quidem propoſitiones erũt: quæſtio-
nes tamen nõ ſunt: affirmãt enim aliquid: qui

*Quid ex ſententia ipſius Rodolphi.*

querit autẽ, nihil affirmat. Rectius vel explica
tius vtcunq́ videbitur dici, quæſtio eſt cũ in-
terrogatione elata oratio. Vt, † vtrũ virtus ſuf 6

*Triſtriã quæſtionũ ſumi diuerſitatem.*

ficiat ad bene viuendũ: † vtrũ cõſummata vir 7
tus voluntate an opere conſtet? Diuidũtur au-
tem quæſtiones non vno tantum modo. Nãq́
& pro rerum de quibus quæritur differentia,
& pro diuerſo modo quærendi, & pro artium
ad quas pertinent diuerſitate, aliæ fiunt atque
aliæ quæſtionũ diuiſiões, quæ cuiuſmodi ſint,

*Tria quæſtionũ genera iuxta ſententiã Ciceronis.*

ordine proſequamur. ¶ † De rebus quærimus 8
primum, ſint ne omnino nécne ſint. Vt, ſit ne
anima. Antea enim quàm eſſe res detur, nihil
eſt quod vlterius poſſit quæri. Primũ enim om
nium quod cogitationi notitiæq́ noſtræ vlla
de re obiicitur, eſt eſſe. Quo fit, vt hæc prima
ſit quæſtio, & quã nulla alia queat præcedere.
Quinetiã ſi de his quæ nõ ſunt ſuſcipiatur no-
bis aliqua diſputatio, quæ ad hanc quæſtionẽ
non pertinet, fingimus ſemper hãc præceſſiſſe
quæſtionẽ, & tanquã de exiſtentib⁹ diſſerim⁹:
ideoq́ ſuſpenſi ſemper ex ea conditione, ſi res

ſit,agimus:quam vbi abſtulerimus,mox omnia quæ huic velut fundamento incũbebant corruunt. At vbi rem eſſe perſuaſum eſt, proximum eſt quærere de ſubſtantia eius, hoc eſt, quid res ſit. Vt ſit'ne idipſum anima, quod vis illa qua cũcta viuũt: quod definitione explicatur.
9 † Ea quid ſit, ſuperiore libro dixim9.
Deinde iam quærimus ea, quæ circa vel extra ſubſtantiã rei ſunt. Vt ſit'ne anima indiuiſibilis. Vt ꝗ̃ etiã ſint intra ſubſtantiã eius, non tamen id agimus quæſtione, vt id exquiramus: vt qui quærat, ſit'ne anima vis illa qua cũcta viuunt, poteſt hoc quæri ſic, vt inueſtigetur, ſit'ne id verũ an non: deinde, vt verũ ſit, reliquũ adhuc eſt: ſit'ne hæc animæ definitio. Tria hęc quæſtionũ genera Cicero vocauit, primũ quidem an ſit, ſecundũ quid ſit, tertium quale ſit. Et qui rhetorica poſt Ciceronem ſcripſerũt, Quintilianus vtiq; & Hermogenes hanc diuiſionem ſunt ſecuti.
10 ¶ † Ariſtoteles tribus his quartũ addidit genus, quod vocauit propter quid. Vt ſit ordo quæſtionum, verbi cauſa, de deo quærimus primum, an ſit deus. Quod ſi negetur, nihil eſt, quò vlterius progrediamur: ſin detur, tum quærimus, quid eſt. Id vbi conſtiterit, tum qualis eſt, vt ſit'ne æternus. Quod vbi acceptũ eſt, tum poſtremũ, propter quid ſit æternus: quam quæſtionem, ſi Ciceronem authorem ſequimur, ad quale eſt redigemus.

*Quatuor quæri de rebus ex ſententia Ariſtoteles.*

Si enim explicetur hæc quęſtio, vt ſi quæratur, propter quid deus eſt ęternus, dicaturq́; quoniã quod eſt, ex ſeipſo habet, ſi de hoc diſſerere volemus, hęc erit quæſtio: ſit'ne habere eſſe à ſeipſo cauſa æternitatis dei: videbitur nimirum hæc quęſtio de qualitate eſſe: quoniã eſſe cauſam vel non eſſe, qualitas (vt nos iam de qualitate loquimur) videtur. ¶ † Quòd autẽ 11 Cicero tria hæc quæſtionum genera, de ciuilibus rebus diſſerendi ſubiecit, non ſatis exacta ratione videtur factũ. Quicquid enim rhetor quęrit, ad qualitatẽ pertinet. Nec enim an eſt, aut quid eſt, vt ſint quęſtionũ capita, in forum venire poſſunt. † nec quicquid coniectura exquiritur, pertinet ad quęſtionem an eſt, vt ipſe 12 voluit. Vt diximus enim, an eſt, primum eſt quod poteſt vlla de re quæri, cuiuſmodi certũ eſt nihil quæri in foro. Nec enim an fecerit furtum Trebius, primũ eſt quod in hac quæſtione quęri poſſit. † Prius enim dicet reus (vt inquit Quintilianus) proba te habuiſſe, proba perdidiſſe: deinde, proba mea fraude perdidiſſe: hoc poſtremũ eſt id de quo quęritur, ad qđ 13 tamen niſi prioribus quæſtionibus explicatis perueniri nõ poteſt. Sed neq; an habuerit rem, prima eſt quęſtio: natura enim pręcedat oportet, an ſit Trebius, an ſit res quæ dicatur ablata: deinde ſequitur iam primum, an Trebius hanc rem habuerit. Sic etiã, † occiderit'ne per 14

*Contra Ciceronem.*

*Quæſtionẽ an eſt, nõ venire in forũ.*

inſidias Clodium Milo, coniecturalis eſt quæſtio: prius tamen eſt, an Milo occiderit Clodium, an occiſus ſit Clodius: & quod primũ eſt, an fuerit omnino Clodius, hęc ſola enim eſt (an eſt) quæſtio, reliquæ qualitatis ſunt. ¶ Definitionis etiã quęſtio ad forum non poterit afferri. Quicquid nanque quęritur in foro, aliquid horum trium eſſe oportet, ſit'ne factum quod aduerſarius intendit, ſit'ne id nomen facti quod ille dicit, ſit'ne iuſte factũ. Primum ad qualitatis quęſtionem pertinere modo docuimus: de poſtremo nemo eſt qui dubitet: ſecundum voluerunt eſſe definitionis quęſtionem: quod non eſſe verũ, facies ipſa quæſtionis oſtendit. Qui quęrit enim, an rem prophanam de ſacro ſubducere ſit ſacrilegium, an poculum amatorium ſit venenum, non quęrit definire aliquid iſtorum: ſed neq; ſacrilegium eſſe definitionẽ eius quod eſt ſubducere rem prophanã de ſacro, neq; venenum definitionem eſſe poculi amatorii, nemo niſi qui neſciat quid definitio ſit, ignorat. Sed ſcio quid reſpondeatur, vt quęſtio enim non ſit de definitione, ſtatus tamen quęſtionis hoc eſt, id in quo tota vis eſt quęſtionis, eſt ex definitione. Eſſe enim ſubductionem rei prophanæ de ſacro, ſacrilegium: & poculum amatorium, venenum, apertiſſime ex definitionibus iſtorum perſpicietur. Perſpicietur quidem, ſi de

*Quæſtionem quid eſt, in forum non afferri.*

definitione iſtorum inter partes cõueniat. Sed
primum quiſq; ſuo arbitratu definitionem da-
bit. alioquin ſi de ea dubitari non poſſet, non
maneret vtiq; quæſtio. vt, ſi ſacrilegium defi-
niatur eſſe ablatio cuiuſuis alienæ rei de ſacro,
certum eſt nullam hic futuram quæſtionem.
Verum hoc æquè dubium eſt, atq; id, de quo
ambigitur. Ergo inter locos ponetur quidem
definitio, caput eſſe quæſtionis non poterit.
Sed aliis etiam vberioribus & aptioribus ar-
gumentis quæſtionẽ explicabimus quàm defi
nitione. quod apud authores, vſu certiſſimo
rerum magiſtro, paratum eſt deprehendere.
†Cicero cõtra Antonium, quòd nomine acto- 15
rum Cæſaris, libelli & chirographa non conti-
neantur, probat vſu loquendi, æquitate, exem
plis. Definitũ eſſe ab eo quid ſint acta, nuſquã
in ea video oratione. †Quintilianus itẽ in odij 16
potione, definire quidem viſus eſt venenum,
vt ſit quicquid dari non licet. ſed nihil iuuabit
hæc definitio cauſam ſuam: æquè enim eſt in-
certũ, ſit'ne odij potio venenũ, & liceat'ne da-
ri odij potionem, in eo præſertim rerum caſu,
quem themate declamationis expreſſit. ſed
aliis multis & variis argumentis acute colligit
id, quo maxime nititur: rationem (quæ anima
legis eſt) huic facto cõuenire: & æquitate, quæ
ad qualitatis vtiq; ſtatum pertinet, præcipue
pugnat. In hancq; omnes quicunq; id genus

quæſtionis tractauerũt authores, video omne robur dictionis ſuæ contuliſſe. Quòd ſi ergo neq; caput cuiuſquam quæſtionis ciuilis definitio erit, neque præcipue firmamentum illius, non poterit vlla definitionis ſibi accipere nomen.

## SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Q† Væſtionem Boëthius definiuit eſſe dubitabilem propoſitionem.] Boëthius primo topicorũ libro: Quæſtio (inquit) dubitabilis eſt propoſitio. hoc eſt: Quæſtio eſt propoſitio, quæ tametſi ex natura ſua nihil fortaſſe dubij contineat, tamen in præſenti ita de ea agitur, quaſi dubia & ambigua ſit. Quem eſſe germanum eius finitionis intellectũ, ipſe Boëthius altera eiuſdem rei finitione oſtendit: Quæſtio (inquiens) eſt in dubitationẽ ambiguitatemq; adducta propoſitio. E quibus facile perſpectu eſt, parũ ijs firmitudinis ineſſe, quæ aduerſus Boëthianam hãc finitionem affert* Rodolphus. *Quod ait enim, virtus eſt ſummum bonum, ſolus ſapiens diues eſt, dubitabiles eſſe propoſitiones, negari id quidẽ non poteſt, modo intueamur naturam ipſarũ rerum: verum non ita tamen hæc proponuntur, neq; in præſentia ita de eis agitur, quaſi dubia ſint: quo intellectu diximus accipiendam eſſe finitionem Boethij.* Quæſtio quid ſit.

2 *¶ † Quòd ſi propoſitio eſt id, quod hoc nomine prædiximus Ariſtotelem accipere.] Dictũ eſt capite præcedenti, πρότασιν, id eſt propoſitionem apud Ariſtotelem in topicis eſſe quæſtionem, non quãuis, ſed quæ in vnam modo partem efferatur: vt, ſunt diuitiæ bonæ? eſt'ne timenda mors? Quæ ſi in vtrãq; efferas partẽ, fient problemata. vt, ſunt'ne diuitiæ bonæ, an non bonæ? ecquid malũ, an non malũ eſt mors? Verum ma-* Propoſitio. Proble-

*Propoſitionis nomine quo modo vſus Boëthius.*

*hoc intellectu, non eſt propoſitionis vocabulo vſus Boë-
thius: ſed propoſitionem vocauit, quam ἀπόφανσιν Ariſto-
teles, M. Varro proloquium, Cicero pronũciatum, hodie
vulgus enunciationem vocat. Eam libro ſuperiore dixi-
mus eſſe orationem perfectam, quæ aut verũ aut falſum
ſignificet. ¶ + Quod Ariſtoteles ἑρμηνείαν, Cicero pro-* 3
*nunciatum interpretatus eſt. ] Ariſtoteles in eo lib. qui
περὶ ἑρμηνείας inſcribitur, nõ ἑρμηνείαν, ſed ἀπόφανσιν ( vt
iam diximus ) vocat id, quod Cicero pronunciatum:*

*ἑρμηνεία.*

*ἑρμηνείαν ipſe Rodolphus quodam in loco transfert ex-
plicationem: Boëthius interpretationem dixit: quam fi-
nit hoc modo: vt ſit vox articulata per ſe ipſam ſignifi-
cans: quod genus ſunt nomen & verbum, & ex iis con-
ſtituta oratio. Verba Ciceronis, quòd ad hunc locum at-*

*Pronunciatum.*

*tinet, prima Tuſculana ſic habent: Omne pronunciatum:
ſic mihi in præſentia occurrit vt appellem ἀξίωμα vtar
pòſt alio ſi inuenero melius: id ergo eſt pronunciatum,
quod eſt verum aut falſum. Meminit huius loci Cicero-
niani & A. Gellius noctiũ Atticarum libro decimoſexto
cap. octauo. ¶ + Virtus eſt ſummum bonum. ] Sententia* 4
*eſt Stoicorũ, quam & Cicero aſſerit Tuſculana quinta,
ſed refellit Lactantius. ¶ + Solus ſapiens eſt diues. ] Et* 5
*hoc vnum ex paradoxis illis eſt Stoicorum, ὅτι μόνος ὁ σο-
φὸς πλούσιος. ſolum videlicet ſapientem diuitem eſſe. Tra-
ctatur à Cicerone in Paradoxis. ¶ + Vtrum virtus ſuffi-* 6
*ciat ad bene viuendum? ] Eſt & hoc quoq; ex albo eo-
rundem, ὅτι αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν, ſolã ( in-
quam ) virtutem ſufficere ad felicitatem ac beatam vitã.
Aſſeritur à Cicerone eo quẽ indicauimus loco. ¶ + Vtrũ* 7
*conſummata virtus voluntate an opere conſtet. ] Tra-
dunt morales philoſophi, ſummam eſſe eam virtutis lau-
dẽ, quæ in operatione conſiſtat. ¶ + De rebus quærimus.* 8

primum, ſint'ne omnino néc ne ſint[. Cicero multis in lo-
cis, & Quintil. libro tertio, tria eſſe aiunt quæ de vnaqua-
que re quæri poßint, an ſit, quid ſit, qualis ſit: vt ſit'ne
anima, quid anima ſit, & mortalis'ne ea ſit an immorta-
9 lis. ¶ † Ea quid ſit, ſuperiore libro diximus.] Quid ſit,
inquit, definitio, id explicuimus libro priori: capite quin-
10 to. ¶ † Ariſtoteles tribus his quartum addidit genus.]
Secundo τῶν ὑϛέρων ἀναλυτικῶν libro Ariſtoteles quatuor
eſſe ait, quæ de re quaq; venire ſoleant in quæſtionem, an
ſit res, quid ſit, qualis ſit, & qua de cauſa ſit talis. Vt ſit-
ne deus, quid deus ſit, ecquid deus ſit ſempiternus, &
11 quamobrem æternus ſit. ¶ † Quòd autē Cicero tria hæc
quæſtionum genera de ciuilibus rebus differenti ſubie-
cit.] Cicero cū in alijs locis compluſculis, tum de perfe-
cto oratore ad Brutū, tria hæc genera quæſtionum orato-
ri ſubiecit: Quicquid (inquiens) eſt, quod in controuer-
ſia, aut cōcione verſetur, in eo aut ſit'ne, aut quid ſit, aut
quale ſit quæritur: ſit'ne, ſignis: quid ſit, definitionibus:
quale ſit, recti prauiq; partibus. Idem Cicero, & ſecutus
eum Fabius Quintilianus, ciuiliū cauſarū treis faciūt ſta-
tus, coniecturalem, finitiuum, & qualitatis: quorum
primo quæritur an ſit res, altero quid ſit, tertio quale
ſit. Qua in parte hactenus Ciceroni refragatur Rodol-
phus, vt ex ijs tribus quæſtionum generibus, ſolum
poſtremum hoc credat in forum venire poſſe, reliqua
duo non poſſe. Quod ego vt non negauerim eſſe verū, in
eum dūtaxat ſenſum, in quē dicitur à Rodolpho: ita hoc
rurſus auſim contendere, ipſum à Cicerone verbis magis
quam ſentētia dißidere. Nam quod attinet ad quæſtionē
an eſt, conſtat quidē hanc eſſe primū id quod de re quaq;
in quæſtionē venire ſolet: verū illud noſſe oportet, bifariā

Tria eſſe quæ de re quaque quærant.

Quot ge-nera quæ-ſtionū fe-cerit Ari-ſtoteles.

Num in forū veni-re poßit quæſtio an eſt.

aliquid dici in cauſis primum: natura ipſarum rerum, & conſuetudine eorum qui cauſas in foro agunt. Verbi cauſa, Inſidias fecit Deiotarus rex Cæſari. Hic quod ad rerũ naturam attinet, poterat initio quæri illud, fuerit'ne Deiotarus, fuerit ne Cæſar. Verum rideatur opinor, ſi quis hæc perſequi velit in foro. Quocirca Cicero hæc velut ſupervacua inſtituto ſuo omittens, hoc ſolum diſputat in ea oratione quam pro' Deiotaro apud Cæſarem dixit, ſint'ne inſidiæ factæ Cæſari à Deiotaro. Atque hæc dicitur in ea cauſa quæſtio an eſt. Quando rhetores appellatione quæſtionis an eſt, non eam modo quæſtionem accipiunt, qua ambigitur, ſit'ne aliquid an non ſit, fuerit an non fuerit: verum etiã eam, qua id quæritur, factũ aliquid ſit an non factum, hoc an illo factum ſit modo, hac cauſa factum ſit an ob aliam cauſam, hic an ille inſidias fecerit, ex æde ſacra ſublata res ſit an ex loco prophano, noctu factum ſit an interdiu. Ita oẽs quæſtiones iſtæ, fuerit'ne Clodius an non fuerit, num ſit idem occiſus, num occiſus in monumentis maiorum ſuorum, à Milone an ab alio occiſus ſit, num propter inſidias à ſe Miloni factas ſit ab illo occiſus: hæ inquam omnes, vt ad ſtatum coniecturalem pertinent, ita eius etiam generis ſunt, quod appellãt quæſtionem an eſt. Sed Rodolphus eas modo quæſtiones hoc donat nomine, quibus naturæ ordine nulla prior eſt: quod ſi recipiatur, haud dubie in foro locus iſtis nõ erit. Cicero contrà, omnibus eis quæſtionibus dedit hoc nomen, quas paulò ante apud rhetores diximus eo vocabulo comprehẽdi ſolere. Ita fit, quod initio dixi, vt tota hæc controuerſia conſiſtat in ſolo nomine: quod cũ vtrumq; intellectum facile admittat, vera ſunt quæ dixit vterq;, modo intelligantur. Iam vt de ſecundo etiam genere pauca dicamus, quotieſcunque ambigeretur in foro, hoc an

*illo nomine, verbi cauſa, furtum an ſacrilegium, parricidium an tyrannicidium appellandum eſſet id, quod factum eſſe concederetur, eam dixere quæſtionem finitionis, propterea quòd vbi conſtitiſſet, conuenire ei cum finitione, tum de nomine dubitari non poſſet. Atque hactenus hanc quæſtionem in forū venire poſſe, ne Rodolphus quidem negarit opinor. Certe argumentis ijs quæ adducit, diuerſum non probat.* ¶ † Nec quicquid coniectura exquiritur, pertinet ad quæſtionē an eſt, vt ipſe voluit. ] *Quæ Cicero hanc in rem habeat in oratore ad Brutū: id paulò ante oſtendamus. Sed in Topicis idem: Cognitionis (inquit) quæſtiones tripartitæ ſunt, cum an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur. Horum primum coniectura, ſecundum definitione, tertium iuris & iniuriæ diſtinctione explicatur. Hactenus ille: quæ non vere minus quàm eleganter dicuntur: modo quæſtionem an eſt omnem eam intelligamus, quam à rhetoribus eo nomine cōprehendi ſolere oſtendimus. Quare hoc certe loco cauſa nō erat, cur tātopere à Cicerone diſſentiret Rodolphus.*

13 ¶ † *Prius enim dicet reus, vt inquit* Quintilianus. ] Is

14 *locus Quintiliani eſt libri ſeptimi capite.2.* ¶ † Occideritne Clodium per inſidias Milo. ] *Dixerant accuſatores* Milonis Clodium ab eo per inſidias occiſum eſſe: *quam illorum accuſationē ita eluſit Cicero, vt Miloni à Clodio, non Clodio à Milone inſidias factas eſſe ſit conatus oſtendere. Quod quàm vafre ab eo factum ſit, facile ex ipſius quadā ad Atticū epiſtola intelligi poteſt: vbi de Clodio loquens: Publium (inquit) reum, niſi antè occiſus erit à Milone, fore puto: ſi ſe ituro Lanuuium in via obtulerit, occiſum iri iam ab ipſo Milone video. Non dubitat facere, præ ſe fert, caſum illum noſtrum non extimeſcit: nunquam enim cuiuſquam inuidi aut perfidi*

*An inſidiæ factæ ſint Miloni à Clodio.*

*conſilio eſt vſus, perinerti nobili crediturus.* ¶ † *Cicero* 15
*in Antonium.*] *prima philippica.* ¶ † *Quintilianus item* 16
*in odij potione.*] *Titulus eſt declamationis cuiuſdã apud Quintilianum, cuius hoc argumentũ. Meretrix amatori ſuo pauperi dedit odij potionem, adoleſcens deſijt amare. accuſat illã veneficij. In ea declamatione verba Fabij habent ad hunc modum: Quædam formæ medicamina poſſunt aliud vocari quàm venenum. Dare quod non licet, non eſt aliud quàm veneficium.*

¶ *Quas Ariſtoteles enumerauit, non tam quæſtiones eſſe, quàm modos quoſdam quærẽdi. Porrò quæſtionem omnem aut ſimplicem eſſe, aut cõpoſitam. Et harum rurſus, priorem illam tribus fieri modis, poſteriorem duobus.*

## CAPVT VII.

*Quas Ariſtoteles ponit, modos potius eſſe quærendi, quàm quæſtiones.*

HÆc Ariſtoteles de quæſtionibus, hæc Cicero. Dicam & quod mihi videtur, verum illi ſequendi erũt.
†Primum itaque videtur mihi (ſi 1
quæſtionem vocemus id quod prædiximus) orationem per interrogationem elatã, cui eſſe vel non, poteſt reſponderi, quatuor illa quę ab Ariſtotele numerantur, non eſſe quæſtiones, ſed modos quoſdam quærendi, & prolectantia (vt ita dicam) quæſtionẽ. Quod in ea quidem, quam (an eſt) dicimus, dubiũ poteſt eſſe, quoniam ipſa quæſtio, cum eo, quod modum quærẽdi dicimus, in idipſum recidet. Vt ſi interroges, an eſt homo, reſpondeaturq́ue eſſe hominem, idẽ erit quæſtio, eſt´ne homo? & inter-

rogatio, an eſt homo? quo fit, vt de hac interrogatione in hanc vel illam partem poſſit diſſeri. In reliquis apertius eſt. ſi dicas enim, quid eſt homo? nihil de hoc poſſis diſſerere, niſi reſpondeat is, qui interrogatur, homo eſt animal rationale. Nã quæſtio erit, ſit ne animal rationale: deinde, ſit animal rationale definitio hominis. Nec enim ſatis eſt, verũ eſſe quod in hac quæſtione reſpõdetur: ſed ad certã legẽ verũ eſſe oportet. Si quæras enim, quid eſt homo? & reſpondeatur, eſt animal binos habẽs oculos: verũ quidẽ eſt quod reſpõdetur, ſed nõ recte reſponſum dicas: quoniam equus binos habet oculos, non tamen eſt homo. Oportet ergo reſponderi aliquid, quod definiat hominem: quod an fiat, hoc genere quæſtionis diſſeretur. Sic & qualis eſt ſol, nihil poſſis de hoc dicere, niſi reſpõdeatur obſcurus, vel globoſus, aut ſimile quippiam. Et propter quid eſt obſcurus? nihil itidem habes, quod dicas, niſi dicatur: vel hoc, quoniam luna obiectu ſuo prohibeat nos illius aſpectu: vel aliud aliqd in hãc ſententiam. Non igitur quæſtiones ſunt primæ interrogationes illæ, quãdo nequit de eis, vel in hanc, vel aliam partem dici. ſed reſponſum aduerſarij interrogationi datum, cum in du-
2 biũ vocatur, ſit quæſtio. ¶ †Quæſtionũ igitur genera duo vidẽtur, ſimplex, & cõpoſita. Sim- *Quæſtio-*
3 plex eſt, quæ vnum quærit de vno. Vt, †ſit ne *nẽ omnẽ.*

*aut ſimplicē eſſe, aut cōpoſitam.*

*Simpliciū quæſtionū prima eſt, quæſtio an eſt.*

mundus æternus. Cōpoſita, quæ plura de pluribus. Vt, ſit'ne mūdus æternus, † & idē ex indiuiduis cōpoſitus corpuſculis. ¶ Simpliciū, tres ſunt differentiæ. Prima eſt, quæ quærit, an ſit res. Ea cuiuſmodi eſt, prædiximus. Prima enim hęc eſt, quæ vlla de re quęri poteſt: vt, an ſit deus, an ſint dęmones. In hac cōplectimur non ſolū, quæ an ſit, ſed an erit, an fuerit, quærit. † Hæc autem, an fuerit bellum Troianum, nō eſt huius generis. Idē enim eſt quærere, an fuerit bellū Troianū: &, an Troia geſſerit bellum: quod vtiq; horum verborū quæſtio prima eſſe nō poteſt, quum poſſit quæri prius, an fuerit Troia: quippe quod etiā authores quidam crediderint, omnem rem Troianam, & Troiam ipſam inania poëtarum eſſe commenta. Quanquam autem in hac quæſtione, an eſt homo, prius poſſit quæri, an eſt animal: (nā ſi nullū animal ſit, nō poteſt homo eſſe) iſtud tamen in quæſtione, velut cōfeſſum nō ponitur. Vt enim concedamus eſſe hominem, non continuo ex huius quęſtionis ratione cōcedemus, hominem eſſe animal: ſed antea quàm concedamus fuiſſe bellum Troianū, neceſſe ex verbis quæſtionis fateri, Troiam fuiſſe. Secunda quæſtio eſt, vbi datum eſt rem eſſe, vt quæramus, an res ſit illud. Vt, an homo ſit animal, an ſit capax diſciplinæ. Huius generis mihi videtur, quam Ariſtoteles vocat propter quid,

*Secunda, an hoc ſit illud.*

4 5

vt cum quærimus, ſit'ne interpoſitio lunæ inter ſolē & nos cauſa defectus ſolis. Tertia eſt quæſtio, quomodo hoc ſit illud, id eſt, quo pacto hoc de illo dicitur. Quod quadruplex eſt. Quorumcūq; enim alterum de altero dicitur, aut ſunt definitio & definitū, aut genus & ſpecies, aut proprium & ſubiectum, aut accidens & ſubiectū. Quatuor ergo pro hac diuerſitate fiunt quæſtiones. Prima eſt, an hoc definitio ſit illius: ad quam redit, an illud definitum ſit huius. ſimul enim explicantur iſta: ſi enim hoc eſt definitio, neceſſario illud eſt definitum. Secunda, an ſit genus illius: qua comprehēditur, an illud ſit ſpecies. Tertia, an ſit proprium. Quarta, an accidens: quibus etiam quęſtiones ſubiecti cōtinentur. Priores duæ, interrogationem (quid eſt) explicant: poſteriores, quale

*Tertia, quomodo hoc ſit illud, eaq; quadruplex.*

*Finitionis.*

*Generis.*

*Proprij*

*Accidentis.*

6 eſt. † Id eſt enim quod Ariſtoteles ὅτι ἐστὶ vocat: quod interpres eius Latine neſciens, quia

7 eſt dixit. ¶ † Cur hūc ordinem fecerim quęſtionum, id cauſæ fuit mihi, quòd neceſſe eſt præcedere ſemper, an eſt, & an illud eſt: antea quàm quid ſit res, aut qualis, explicari queat. Nec enim hæ interrogationes, quid eſt homo, aut qualis eſt, harum quæſtionū explicatione, an homo ſit animal rationale, an ſit erudibilis, finiuntur. Vt enim detur hominē eſſe animal rationale, & eſſe erudibilem, manet adhuc quæſtio, ſit'ne erudibile qualitas hominis: ſit'ne

*Quamobrē hoc modo digeſſerit quæſtiones.*

animal rationale id ipſum, quod eſt homo, id
eſt, definitio hominis, vel quiditas eius. †Vte- 8
remur enim & hoc verbo, ſi nobis per grāma-
ticos liceret: † quemadmodum Cicero Lentu- 9
litatem, & Appietatē, † & Pollio Patauinitatē 10
dixit. Aptus eſt vtiq; eius & prope neceſſarius
vſus. †Nec enim vllo alio ſatis cōmode expli- 11
care poſſumus τὸ τί ἐστι, niſi id (vt vulgo ſolēt)
quod quid eſt interpretari velimus, quod nec
Græci ſermonis proprietatē retinet, & ſegne
planeq; expers vſus, & intellectꝰ fit apud nos.
Sed (vt ad rem redeam) manere has quęſtio-
nes hinc perſpicuum eſt. Si interrogetur enim,
qualis eſt homo, dicaturq;, animal rationale,
quid dicemus? recte an ſecus eſſe reſpōſum? ſi
recte, eadem erit quæſtio, quid eſt, & quale eſt:
cum ſine cōtrouerſia id recte etiā interrogāti,
quid eſt homo, reſpondeat. ſin minus recte re-
ſponſum eſt, nō erit error, quoniam nō ſit ho-
mo animal rationale. id enim in cōfeſſo eſt. ſed
quoniā pro qualitate reſponſum eſt, quod nō
qualitas eſt, ſed ſubſtantia eius de quo rogaba

*Genus quomodo ſit incluſum quæſtioni qd eſt.*

tur. ¶ †Quod dicimus autē, quæſtionem gene- 12
ris, eſſe interrogationi quid eſt incluſam, id ve
rum eſt, quoniam bene reſpondetur, quid eſt
homo? eſt animal: veruntamen non ſic, vt totā
interrogationē abſoluat. niſi addideris enim
vel differentiam, vel proprium, non videbe-
ris ſatisfeciſſe quæſtioni. Quo fit, vt cum de

8 ſolo genere quæramus, ſolitum ſit interrogari,
non quid eſt, ſed cuius generis rerum eſt. Vt,
cuius generis rerum eſt lumen? ſubſtantia'ne
9 an accidens? Et ſentire, non quid eſt interroga-
10 mus, cum ſcire tantũ volumus, agere'ne ſit an
pati: ſed ad quod genus pertineat, actionis'ne
11 an paſſionis. ¶ Qualitatem etiam vocamus in
præſentia, non vt ſit vnum ex decem prædica-
mentis: ſed vt qualitas ſit, quicquid non eſt
ſubſtantia rei. Sic, & quantus eſt ſol? Et, vbi
ſunt Nili fontes? &, quando fuit Homerus?
quæſtione qualitatis continentur. Simplicium
ergo quæſtionum hæc tria ſunt capita, an ſit,
13 an ſit illud, & quomodo ſit illud. ¶ †Compo-
ſitarum queſtionum, alia eſt copulata, quo-
ties duæ plures've ſimplices coniunctione
copulatiua iunguntur. Vt, an ſit virtus ſum-
mum bonum: &, anima ſit'ne mortalis. Diſ-
iuncta alia, cum ſimplices diſiunctiua con-
iunctione conſeruntur. Vt, ſit'ne mundus
æternus, vel an quandoque ſit igni conflagra-
turus. Diuerſa eſt de his quæſtionibus ratio
12 pronunciandi. Nam copulata, vera pronun-
ciari, niſi fuerint ambe, omnes've ſimplices, ex
quibus componitur, veræ, nõ poteſt. ſi autem
vna fuerit falſa, tota dicetur falſa. In diſiunctis
contrà, ſi vna fuerit vera, totam pronuncia-
14 mus veram eſſe: falſam autem, niſi ambæ fue-
rint falſæ, dicere nequimus. † Poſſemus & alia

*Qualitas hic quid ſit.*

*Compoſita quæſtio duplex.*

addere iſtis, quæ ſimul ex diſiuncta, & copulata, aut aſſerta cõſtaret: niſi ſuperuacuum videretur, quoniã naturã copulatæ retinet. efficatior eſt em̃ cõiunctiõis copulatiuę vis, & diſiũctiuæ poſt ſe rapit poteſtatem. Vt, an homo eſt lapis, & animal viuat, vel viuum ſit animatũ. Licet enim diſiunctiuæ hui⁹ vtræq; partes veræ pronunciẽtur: tamen quia prior pars copulatæ falſa eſt, totã dicimus falſam. Sed de veritate & falſitate pronunciatorum nõ huius eſt loci tractare, ſed ad iudicandi partem aptius referetur. Interim ſatis ſit, quod huius materię eſt, hactenus attigiſſe.

## SCHOLIA IN CAP. VII.

*PRimum itaq; videtur mihi.*] *Quæ ab Ariſtotele,* inquit, *enumerãtur: an eſt, quid eſt, quale eſt, quãobrem eſt tale: ea propriè nõ ſunt quæſtiones ipſæ, ſed velut electamenta, ac prouocationes quædam ipſarũ quæſtionum. Veræ autem quæſtiones ſunt ea, quæ ab eo, contra quem agas, ad præuias iſtas interrogationes reſpondentur, quatenus ita de his agitur, quaſi dubia ſint. Verbi cauſa, Quid eſt iuſtitia? præuia quidem hæc eſt interrogatio, at nondũ tamen conſtituta quæſtio eſt: quippe cum nondum reſpondere queat, eſſe ita, aut non eſſe. Poſteaquam verò reſponſum eſt, iuſtitiam eſſe virtutem, qua, conſeruata vtilitate publica, ſuum cuique tribuatur: hic demum quæſtio ipſa exiſtit emergitq;, videlicet reste'ne ita finiatur iuſtitia, vt ſit virtus, qua, conſeruata vtilitate publica, ſuum cuiq; tribuatur.* Hæc Rodolphus: *quæ vt veriſſima ſunt, ita Ariſtotelem in eadem fuiſſe*

*ſententia negari non poteſt: Neque enim hoc egit eo loco
vir ille, vt doceret, iiſdē quibus vſus eſt ipſe, no bis quoq;
eſſe vtendum vocibus: ſed vocauit quæſtionem quid eſt,
qua quiditas, ac ſubſtantia rei in diſceptationem venit,
quibuſcunque tandem verbis ea quæſtio proponatur: &
quæſtionem quale eſt, qua de qualitate, hoc eſt, quibuſvis
rei accidentibus quæritur, atque item in cæteris. Sed,
quid tu ais Rodolphe? quî tibi conſtas? an non ipſe pau-
lò ſuperius quæſtionem ſic finiuiſti, vt ſit cum interroga-* Obiectio.
*tione elata oratio? Cum dico autem, quid eſt eclipſis Lu-
næ? qualis eſt aqua Cidni? quantus eſt ſol? quo tempore
anni ſol ingreditur cancrum? quò, cum à nobis recedunt,
auolāt Ciconiæ? hæ omnes, nónne orationes ſunt? nónne
cum interrogatione elatæ? quocirca tu certe velis nolis,
haſce non modo præuias quaſdam interrogationes, ſed* Dilutio.
*quæſtiones ipſas eſſe fatebere. Quid dicemus? an hoc for-
taßis, ea quæ hic dicuntur, velut explicationem quādam
eſſe paulò ante traditæ finitionis? ac proinde illam intel-
ligendam ſic eſſe, vt ſit quæſtio cum interrogatione ela-
ta oratio: oratio, inquam, non quæuis, ſed ad quam com-
mode reſponderi queat, eſſe ita, aut non eſſe? Earum por-
rò quæſtionum, quas adduximus, nulla eiuſmodi eſt, vt*
2 *alterutro horum modorum reſponderi ad eā poßit, qua-* Quæſtio-
*propter ne quæſtiones quidem dicendæ ſunt.* ¶ + Quæ- *nes ſim-*
*ſtionum igitur genera duo videntur, ſimplex, & compo-* plices, &
*ſita* ] *Hoc modo & Boëthius quæſtionem diuidit primo* cōpoſitæ.
*Topicorum, aitq; ſimplices quæſtiones eſſe, quæ ex ſim-
plici propoſitione deſcendant: compoſitas quæ ex propo-*
3 *ſitione item compoſita. Qua de re mox plura dicturi ſu-
mus, in hoc ipſo capite.* ¶ + Sit'ne mundus æternus. ]
*Quod octauo Topicorum, & primo libro de cælo, aſſe-*
4 *rit Ariſtoteles.* ¶ + Et ex indiuiduis compoſitus corpu-

*ſculis.* ] *Quæ Democriti illius ſententia fuit.* ¶ † *Hæc* 5
*autem, an fuerit bellum* Troianum, *non eſt huius generis.* ] *Iam monuimus hanc quæſtionem, & ſimiles omnino à rhetoribus in earum referri numerum quæſtionũ, quæ dicuntur quæſtiones an eſt:Rodolphum verò de hoc quæſtionum genere nonnihil loqui aſtrictius.* ¶ † Id eſt 6
enim quod Ariſtoteles ὅτι ἐστὶ vocat. ] *Ariſtotelis hanc in rem verba hæc ſunt:* τὰ ζητούμενά ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα. Ζητοῦμεν δὲ τέτταρα, τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστιν. *Hoc eſt, Quæ de rebus quæruntur, ea æqualia numero iis ſunt, quæ ſcimus. Quærimus autem quatuor, quale ſit, qua de cauſa ſit tale, an ſit, quid ſit. Quòd ſi quis Hermolai hanc in rem verba malit, ea in paraphraſi Themiſtiana ſic habent. Sunt igitur quæſtiones quatuor, an ſit, quid ſit, an huic illud inſit, quamobrem inſit.*
¶ † Cur hunc ordinem fecerim quæſtionum. ] *Idcirco,* 7
*inquit, hoc pacto quæſtiones diſcreui, vt ſingulæ interrogationes, ſingularum item quæſtionum explicatione poſſent abſolui: id quod non fit ea quærendi ratione quam tradidit Ariſtoteles. Nam ad abſoluendam interrogationem hanc, quid eſt homo? non ſatis eſt oſtendiſſe, hominem eſſe animal rationale: ſed & illud præterea doceatur oportet, ita eſſe hominem animal rationale, vt rurſum animal rationale hominis ſit definitio. Itidem habet in quæſtione quale eſt. Neque enim huic præuiæ interrogationi ſatis fit explicatione huius quæſtionis, num homo ſit eruditus: niſi etiam doctum fuerit, eruditionẽ eſſe accidẽs hominis. Quò ergo ſingula explicatoria eſſent, malui, inquit, hoc ordine quæſtiones digerere, quàm ſequi ordinem eum, quem alij tradidiſſent.* ¶ † Vteremur enim 8
Verbis & hoc verbo, ſi nobis per grammaticos liceret. ] *Quemadmodum merito illi ridendi ſunt, qui vbiuis etiam citra*

*neceſſitatem noua, ac inaudita quædam verborum por- quatenus*
*tenta ipſi ſibi comminiſcuntur: ita rurſum laudandi illi, vtēdum.*
*qui vbi res poſcit, vbi cogit neceſſitas, ibi interim nouis,*
*interim parum vſitatis vti verbis non nimium reformi-*
*dant. Qua de re multa Cicero, tertio libro de finibus. Et*
*Rodolphus in epiſtola quadam ad Alexandrū Hegium,*
*De analogia, inquit, deriuandorum cōponendorumq́; no-*
*minum, vix mihi permiſerim quicquam fingere, quod nō*
*apud authores inuenerim. Varia multiplexq́; res eſt, de*
*qua nihil præcipi perpetuum poſſit: & in qua nihil au-*
*deam, niſi ſit fortaſſe (vt inquit Horatius) neceſſe indi-*
*ciīs monſtrare recentibus abdita rerum. Tamen ego, &*
*Socratitas, & Platonitas, & Entitas fortè dixerim: qua-* Socratis-
*nis repugnet Vallenſis noſter. Quidni tam libere, cū ne-* tas.
*ceſſe ſit: quàm Cicero nulla neceſſitate, Appietatem, &* Platoni-
*Lentulitatem: & Pollio Patauinitatem quandam dixit* tas.
9 *ſonare T. Liuium?* ¶ †*Quemadmodum Cicero Lentuli-* Entitas.
*tatem, & Appietatem.*] *M. Cicero familiarium epiſto-*
*larum libro tertio, in epiſtola quadam ad Appium Pul-*
*chrum. Quæſo, inquit, etiámne tu has ineptias, homo*
*mea ſententia, ſumma prudentia, multa etiam doctrina,*
*plurimo rerum vſu, addo vrbanitatem, quæ eſt virtus, vt*
*Stoici rectiſſime putant, vllam Appietatem, aut Lentu-* Appietas
*litatem, valere apud me plus, quàm ornamenta virtutis* Lentuli-
10 *exiſtimas?* ¶ †*Et Pollio Patauinitatem dixit.*] *Quint.* tas.
*lib. octauo, Et in T. Liuio (inquit) miræ facūdiæ viro pu-*
*tat ineſſe Pollio Aſinius quandā Patauinitatē: Meminit* Patauini-
*eiuſdē rei idē author & libro primo. Voluit opinor Aſinij* tas.
*Pollionis hāc reprehēdēdi libertatē imitari Frāciſcus Phi-*
*lelphus, cū dixit in quadā epiſtola, Fabiū Quint. neſcio*
*quā ſonare Hiſpanitatē. Id qđ ego illū dixiſſe exiſtimo,* Hiſpani-
*nō quòd ita ſentiret, ſed quò feſtiuiter argutéq́; in virum* tas.

*tantum luſiſſe videretur: aut certe ne videretur ſubſcribere antagoniſtæ illi ſuo Laurentio Vallæ, qui tantopere probat vbiq; Fabiũ. ἀλλὰ ταῦτα δὴ τῶν παρέργων, quare progrediamur ad reliqua.* ¶ † *Nec enim vllo alio ſatis cõmode explicare poſſumus, τὸ τί ἐστι.* ] *Ariſtoteles primo Topicorum, ſic habet: ἔστι δὲ ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Ea verba hunc in modum hodie leguntur apud Latinos: Eſt autem terminus oratio quid erat eſſe ſignificans. Rodolphus non ſolum mollius, ſed & ſignificantius fore putat, ſi legamus hoc pacto: Finitio, eſt oratio commode explicans rei quiditatem. Quo nomine vſus eſt nõnunquã Argyropylus ille Byzantius, homo Græce, pariter & Latine doctiſſimus.* 11

*Quiditas*

¶ † *Quòd dicimus autem, quæſtionem generis eſſe interrogationi quid eſt incluſam.* ] *Hic eſt locus ille, cuius mentionem feci libro ſuperiore, capite quinto. Laurentius Valla: Quanquam & ipſe (inquit) Porphyrius peccauit: qui interrogãti, quid eſt homo, putat reſpondendum, eſt animal. Quin potius animal rationale? Cur illam partem, vt putat, qualitatis relinquit? cur dimidiatã reddit reſponſionem? Sed de his plura ſuperius.* 12

¶ † *Compoſitarum quæſtionum, alia copulata,* ] *Nõ video quomodo à rudioribus harum rerum, ea quæ deinceps de quæſtionibus ab Rodolpho dicũtur, ſatis queant intelligi, niſi cognita prius natura pronunciatorum. Quæ tametſi à diuerſis explicatur tam varie, vt vix habeas ex tam multis quem potiſſimum imiteris: audendum eſt tamen, vel cũ periculo aliquid, vt ne omnino locus hic indiſcuſſus videatur. Eſt ergo (quemadmodum & ſuperius dixi) pronunciatum, oratio perfecta, verum aut falſum ſignificans. Vt, philoſophari oportet, ſed paucis. Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Beneficiũ dando accepit, qui digno dedit, Si perges* 13

*Pronũciatum.*

*dicere, quæ voles, audies quæ non voles. Verum pronun-* Verum.
*ciatū voco, quod ſignificat ita vt res habet. Falſum, quod* Falſum.
*ſecus atq; res habet ſignificat. Verbi cauſa. Vera pronū-*
*ciata ſunt: Virtus pluris eſt facienda, quàm opes. melius*
*eſt nubere, quàm vri. præſtat cum altero oculo ingredi in*
*regnum cælorum, quàm cum vtroq; in gehennam detru-*
*di. Falſa: Voluptas eſt ſummum bonum. nihil affert com-*
*modi fides, niſi accedente obſeruatione legis Moſaicæ.*
*præſtat iniuriam facere, quàm accipere. Duo ſunt pronū-* Duo pro-
*ciatorum genera, vnum ſimplex, alterum compoſitum.* nunciato-
*Simplex eſt, quod duobus terminis conſtat, ſubiecto, &* rum ge-
*prædicato. Vt, omnia nemo poteſt. virtus eſt vitium fu-* nera.
*gere. labor omnia vincit. amanti nihil difficile eſt. Com-* Simplex.
*poſitum, quod duobus, vt minimum ſimplicibus pronun-* Compo-
*ciatis conſtat. Vt, neq; mundus æternus eſt, neq; anima-* ſitum.
*tum eſt cælum. ſi non tangere mulierem bonum eſt, ergo*
*tangere malum. Huius rurſum tres ſunt ſpecies, copula-* Tres ſpe-
*tum, diſiunctum, connexum. Copulata pronunciata di-* cies pro-
*cuntur, quorum is eſt vſus apud authores probatos, vt* nunciati
*plura ita coniungant, ne tamen aliud alij neceſſitate ali-* cōpoſiti.
*qua cohærere ſignificetur. Vt, quo tempore Chriſtus cru-* Copula-
*cifixus eſt in Iudæa: eo tempore Romæ imperabat Tybe-* tum.
*rius. Cicero eloquentior, Cato innocentior fuit. Diſiun-* Diſiun-
*cta ſunt, quæ plura pronunciata ſimplicia ita coniungūt,* ctum.
*vt ſignificent ſolum vnum ex ijs verū eſſe oportere. Vt,*
*aut dies eſt, aut nox eſt. Aut viuit, aut non ſpirat. Homo*
*quiſq;, aut vir eſt, aut fœmina. Cōnexa, ſeu adiuncta, pro-* Cōnexū.
*nunciata vocāt Latini, quæ συνημμένα à Græcis dicūtur.*
*Ea ſunt, quorū is vſus eſt apud doctos, vt ſignificent par-*
*tem priorem ſine poſteriori, veram eſſe nō poſſe: hoc eſt,*
*partem eam, quæ poſterior eſt, neceſſario ex priori ſequi.*
*vt, ſi dies eſt, lux eſt. ſi pluit, terra madeſcit. ſi mel quod*

apes conficiunt, meum eſt, erunt meæ & apes. Quibus addere licet etiam illa: expulſa è ciuitate iuſtitia, concordia diu inter ciues eſſe non poteſt. qui currit, is & mouetur. quia deus bonus eſt, nos ſumus. aliaq; id genus infinita, quorum (vt dixi) is apud eruditos eſt vſus, vt ſignificent partem priorem, ſine ea quæ poſterior eſt, verã eſſe non poſſe. Atque hæc ſunt propriæ illa, quæ dialectici hypothetica, hoc eſt, conditionalia vocant: qua tamen appellatione, & diſiuncta quoque pronunciata eſt complexus Boëthius: hac nimirum de cauſa, quòd in iis etiã, ſi rem intueare propius, tacita ſemper ſubeſt conditio. Cũ enim dico, aut dies eſt, aut nox eſt: illud haud dubie ſignifico, ſi dies non ſit, tum eſſe neceſſario noctem: & contrà, ſi non ſit nox, tum neceſſario diem eſſe. Quale cum nihil ſit videre in copulatis, demiror equidem, quid ſit, cur & iſta plerique hypothetica, hoc eſt, quemadmodum interpretatur Boëthius, conditionalia vocent. Iam copulata ea demum vera dicũtur, quorum ſingulæ partes veræ ſunt. Quòd ſi harum vna aliqua falſa erit, totũ quoq; pronunciatum cenſebitur falſum. Diſiunctorum ea vera eſſe cẽſentur, quorum partes ea inter ſe habitudine ſunt, vt earum omnino vnam, neque plures vna veras eſſe ſit neceſſarium. Quod ſi aut nulla, aut plures quàm vna veræ eſſe poſſunt, ea pronunciata (modo Ciceroni, & Aulo Gellio fidem habeamus) inepta, & falſa ſunt. De quo mox plura. Inter connexa ea diximus eſſe vera, quorum pars prior vera eſſe ſine poſteriore nequit. Debet enim veritas horum ſpectari, non ex ratione partium ſingularum ſecundum ſe, ſed ex vtrarumque inuicẽ connexione, ac cohærentia. Ita fieri poteſt, vt falſis partibus, tota tamen pronunciata vera ſint, vt ſi non eſt creatus mundus, tum ab æterno fuit. Et contrà, vt ex partibus

*Conditionalia pronunciata quæ ſint.*

*Veritas copulatorum.*

*Diſiunctorũ veritas.*

*Quæ cõnexa vera, aut falſa ſint.*

veris tota pronunciata falſa exiſtant: vt ſi philoſophus Plato fuit, fuit idem & eloquens. Voco autem in præſentia partem priorem, ex qua altera ſignificatur ſequi etiã ſi verbis tenus non ponatur priori loco. Verbi cauſa, Quid prodeſt quòd me ipſe animo non ſpernis Amynta, Si dum tu ſectaris apros ego retia ſeruo? Hic quod ſecundo loco dicitur, antecedens ſiue pars prior eſt. Ergo vt aliquando veniamus eò quorum gratia hæc adduximus, Rodolphus copulatam quæſtionem dicit, quæ ex copulato pronunciato naſcitur: itidemq; diſiunctam, quæ ex diſiuncto oritur pronunciatio. Cætera ſuis ſparſim locis dicemus. ¶ In diſiunctis contrà, ſi vna pars fuerit vera, totam pronunciabimus veram eſſe. Imò vero in diſiunctis pronunciatis id ſatis non eſt, vnam partium eſſe vtcunque veram: ſed & illud præterea exigitur, eam eſſe partium inter ſe habitudinem, vt neceſſe ſit vnam aliquã veram eſſe. Et rurſum, quoties plures vna parte veræ eßſe poßſunt, ea quoque pronunciata diſiuncta, inepta eßſe aiunt, ac falſa. Qua de re Cicero in Topicis: Quæ (inquit) concluſiones idcirco ratæ ſunt, quòd in diſiunctione plus vno verum eſſe non poteſt. Et Aulus Gellius libro decimoſexto: Ex omnibus (inquit) quæ diſiunguntur, vnum eſſe verum debet, cætera falſa. Quod ſi aut nihil omnium verum, aut omnia plura've quàm vnum vera erunt, aut quæ diſiuncta ſunt non pugnabunt, aut quæ eorum oppoſita ſunt contraria inter ſe non erunt, tunc id diſiunctum mendacium eſt. Hec M. Cicero, & Aulus Gellius. Porrò quod dicitur, neceſſarium eſſe vt inter diſiuncti partes vna ſit vera: ea neceßſitas interim oritur ex natura ipſarum rerum, interim ex quadam hypotheſi. Vt ſi dicas: aut Miloni Clodius inſidias fecit, aut Clodio Milo: hic quod

Exactius de veritate diſiunctorum.

*ad rerum naturã attinet, nihil obſtat quin poßint vtræq; partes eſſe falſæ: at ſi ponas, inter eos factas eſſe inſidias, iam certe alteram partẽ verã eſſe neceſſe eſt. Quòd præterea, plus vna parte verum eſſe non debere: eius ego contrarium nonnunquam video obſeruari, maxime in cauſis ciuilibus. Verbi cauſa, Si hominem occidit, aut id ideò fecit, quòd inueterato ab eo odio dißideret, aut quòd commodum aliquod ex morte eius ſperaret, aut quòd ſibi ſimile aliquid ab illo metueret. &c. Cur autẽ eum odiſſet? quæ commodorum ſpes erat? quid fuit quòd ab illo ſibi metueret? quo fit, vt ne occiderit quidem. Hic certe accuſator, & odio, & ſpe, & metu, dixerit cædẽ factam eſſe, & nihilo minus vera eſſe dicatur hæc propoſitio. ¶ † Poſ-* 14
*ſemus & aliã addere iſtis. ] Ait Rodolphus, quæſtionem eam quæ ex copulata & diſiuncta conſtat, ſemper copulatæ vim ac naturam retinere. Alius fortaſſe non minus vere, atq; haud ſcio an etiam verius dixerit eam pro diuerſitate prolationis ac ſententiæ, interim copulatis, interim diſiunctis annumerandam eſſe.*

*¶ Principio, duos eſſe quærendi modos, aßeueranter & cum conditione. Deinde, prædicatiuam quæſtionem id eſſe, quod rhetores theſim vocant: & conditionalem, quam illi hypotheſim. Poſtremo, alios adhuc duos quærendi modos reſtare, vnum purum, alterum modalem.*

## CAPVT VIII.

*Duos eſſe quærẽdi modos, aſſeueranter & cum cõditiõe.*

MODI quærendi ſunt duo generales. Aut enim aſſeueranter quærimus, aut cum conditione. Aſſeueranter quærimus, cum dicimus, an adminiſtranda ſit Reſpublica. Cũ conditione, vt, an ſit adminiſtranda Reſpublica, ſi proui-

1 dentia mundus non regatur.†Primam vocēt
Græci κατηγορικὴν, quam nos poſſumus prædi-
catiuam dicere. Secūdam ὑποθετικὴν, quam nos
conditionalem. Eſt autem quærere cum con-
ditione, & ſimplici quæſtione, & compoſita.
Simplici, vt, ſi deus eſt, an ſit bene agendum.
Cōpoſita, vt, an ſi virtus eſt ſummum bonū,
curanda ſit Reſpublica, & honores expetendi.
2 †Sic & ſimplici quæſtioni compoſitam adde-
3 re conditionem poſſumus, †& compoſitæ cō-
poſitā: quæ clariora ſunt, quàm vt egeant exē-
plis. ¶ Hoc autem annotandum eſt, in prædi-
catiuis pronūciari verum vel falſum, ex eius,
quod quęritur, natura. Vt, ſi quæratur, an ſit
deus, pronunciamus eſſe, idq́ verū eſſe, quo-
4 niam ſit.†In conditionalibus autem, nō ex na-
tura eius quod quæritur, ſed ex conditione:
idq; non ex veritate aut falſitate conditionis,
ſed ex cohęrentia ſolum & vinculo, quo eſt ei,
de quo quæritur, alligata. Poteſt enim condi-
tionale pronunciatū verum eſſe, ſic, vt neq; id
de quo pronūciatur, neq; cōditio ſit vera: mo-
do ea ſit habitudo eorū, vt data cōditione, cō-
ſequēs etiā ſit dari pronūciatū. Si dicas enim,
mundus non deficiet, ſi non cœpit: verum eſt
hoc, quanquam vtrūq;, & nō defecturū eum,
& non cœpiſſe, ſit falſum. Si enim dederimus
iſtud, quamuis falſum ſit, & verum fingamus
eſſe, non cœpiſſe mundum, cōſequens eſt etiā

*Veritas vnde ſpectanda in prædicatiuis, & vnde in conditionalibus.*

*Prædicatiuã quæſtionem, theſim eſſe: conditionalẽ, hypotheſim.*

dicere, non eſſe defecturum. ¶ Eadem iſta, quę
diximus prædicatiuam & cõditionalem quæ-
ſtionẽ, ſunt (niſi tamen me fallit opinio) † quæ 5
rhetores vulgatis nominibus θέσεις καὶ ὑποθέσεις
vocant. Quorũ illud eſt, quod Cicero propo-
ſitum vel cõſultationẽ interpretatur. Hoc cau
ſam vel cõtrouerſiam. Et eſſe propoſitũ, quod
nullis certis finibus temporũ, locorũ, perſona-
rum concluditur. Controuerſiã vero, quæ de-
finita ſit vel omnibus, vel pluribus horũ, quæ
attributa vocantur perſonarũ & negociorum.
quæ cuiuſmodi ſint, poſt dicemus. vt ſit pro-
poſitũ, an ſit ducẽda vxor, an accedendum ad
rempublicã. Cõtrouerſia autẽ, ſit'ne Catoni du
cenda vxor, ſit'ne Socrati accedendũ ad rem-
publicã. ¶ †Non pertinet autem nec omnis cõ 6
trouerſia nec ſola ad rhetorem. Nãq; curari ne
poſſit ab hac valetudine Auguſtus: †vt multa 7
habuiſſet Antonius Muſa medicus quæ dice-
ret, ita nihil fortaſſe † Meſſala. Quã tamen con 8
trouerſiam eſſe, ex priore deſcriptione nemo
negauerit. Et de propoſito etiã in foro quære-
tur: vt qui ſe ſuſtuliſſe de ſacro rem profanam
fateatur, furtumq; feciſſe non ſacrilegiũ cõten-
dat, nẽpe quæritur, non vtrũ hic aut alius fece-
rit, ſed ſolum vtrũ rem prophanã de ſacro ſub
ducere ſit ſacrilegiũ. ¶ † Et propoſitum quidẽ 9
eſſe idipſum quod prædicatiuã quæſtionẽ, po
ſita hincinde de eis exempla, facile declarant.

*Notatiuncula.*

10 †De controuerſia eſt quod poſſet ambigi. Vi-
dentur enim omnes aut plurimæ aſſeueranter
11 efferri: vt, †Struxerit'ne Clodius inſidias Mi-
12 loni. †An priuato conſilio Hãnibal obſideat
13 Saguntũ. †An delẽda Carthago. Quod verũ
eſſe non abnuo. Quocirca qui hunc eximamus
14 ſcrupulum, huius admonendi ſumus. †Quem-
admodum ſunt pronũciata quædam, quibus
eſt diſerte adiecta conditio: ita quædam ſunt,
quæ ferè cum intellectu cõditionis efferuntur.
Itaq; quãuis per ſe falſa ſint, tamen interpreta-
tione quadã reiectaq; ad cõditionẽ mente, pro
veris ſumuntur. Vt ſi quis interroget, quid ſit
defectus ſolis: dicimus eſſe obſcuritatẽ proue-
nientem ex lunæ obiectu, prohibẽtis nos aſpi-
cere ſolem. cuiuſmodi ſit roſa: dicimus florem
cãdidũ, & odoratũ, denſis criſpãtibusq; foliis.
Iſta, cũ neq; ſol deficit, neq; vlla roſa eſt, vera
nõ ſunt: ſemper tamen quoniã veluti præſente
cõditione proferimus ea, pro veris accipiun-
tur: ſuntq; vera in eam ſententiã qua proban-
tur, nõ in eam quã præbent. Id eſt, ſi ſunt, erũt
vtiq; talia. Hoc pacto etiã cõtrouerſiæ, tacitã
ſemper extra id quod quæritur, adiectã habẽt
conditionẽ. Pleræq; vero apertã, vt propemo-
dum declamationes omnes. Proponimus em̃
leges eſſe, deinde hæc aut hæc facta eſſe. Vt lex
ſit, vir fortis optet præmium quod volet. Alia
item, qui in acie deſeruerit, capite plectatur.

*Duplicia pronũciata conditionalia.*

*Omnibus cõtrouerſijs tacitã vtiq; ſubeſſe conditionalem.*

Quidā in bello patriæ fortiter fecit, idem ante
quàm præmium optaret, deſeruit: poſcitur ad
pœnam. tum ſi hæc itá ſe habeant, quærimus,
debeat'ne huic in gratiā prioris meriti, pręſens
crimen remitti. quis non videt hic reuera totā
quæſtionem ex conditione pēdere? Sic etiam,
ſi quis, † recte'ne Cato Martiam vxorē dimiſe- 15
rit, percōtetur. Cui em̄ ignotus ſit Cato, igno-
rata Martia, quid habebit hic, quod dicat, niſi
de cōmuni propoſito, an quiſquā recte dimit-
tat vxorē? nihil enim aliud ſubſtantia eorū quę
ſunt in quæſtione cōplectitur. Interrogabit er-
go, quis vir fuerit Cato, quę mulier Martia. ꝙ
vbi acceperit † Catonem ciuem Romanū, ſe- 16
natorem, Stoici perſonam præferentem: Mar-
tiam fœminam nobilem, ſpectatæ pudicitiæ,
trium liberorum ex Catone matrem: iam dicet
nimirum, ſint'ne hæc ita necne, haud queam
affirmare, poſſunt enim aliter eſſe: verū ſi ſint
(vt dicis) tum videri, vel recte dimiſiſſe, vel
non recte, vtcunq; de re ſentiet: nō quidem de
Catonis perſona quatenus Cato, hoc eſt, hic ho
mo eſt, ſed quatenus talis, qualem illū expreſ-
ſit. poſſet enim & Cato talis homo non eſſe, &
alius quàm Cato eſſe talis. Ergo hæc omnia ex
*Propoſitum.* conditione dicuntur in hanc quæſtionē. † Pro- 17
poſitum ſolum id eſt, quod in eorū, quæ ſunt
in quæſtione, ſubſtantia ponitur: hoc eſt, an ne
quiſquam homo recte dimittat vxorem, ſiue
is hic

is hic homo ſit ſiue ille, ſiue quemcunq; finge-
re volumus, inquantũ ad ſubſtantiã ſuam per-
tinet, hoc eſt, inquãtũ eſt homo, nihil eſt quod
in quæſtione propterea mutetur. Quamobrẽ
fit, vt plerũq; neceſſe habeant narrare, qui in
foro dicunt, præſertim, ſi veram controuerſiã,
& non propoſitum dicant. Quoniam cõditio-
nes eas, quibus cauſa innititur, perceptas ante
& velut datas oportet. Quod niſi fiat, nihil ſit
quod de propoſita quæſtione queant ſatis cõ-
ſtãter dicere. Sed in propoſitis etiã explicãdis,
18 perſæpe ad controuerſiam delabimur. † quod
Quintilianus vocauit argumentũ καθ' ὑπόθεσιν,
hoc eſt ſecundum cõditionem. Mihi quidẽ nõ
argumentum, ſed illata noua quæſtio videtur.
Vt qui diſſerat, nõ eſſe ducẽdam vxorẽ: & la-
bores, ſolicitudines matrimoniorũ explicet: di
cat deinde, quid ſi pauper ſit? qd ſi ſtudio dedi
tus? quid ſi improbior vxor? nouæ fiunt quæ-
ſtiones, an pauperi ducẽda vxor, an ſtudenti,
an improba: quæ vtiq; in propoſito primo nõ
continentur, ſed nõ ſecus atq; in reliquis con-
trouerſiis inſeruntur quæſtioni extra eius, de
quo quæritur, ſubſtantiam. Omnis itaq; (vt di
cimus) cõtrouerſia, conditionalis quæſtionis
habet naturã. vt&q; nõ eodem modo efferatur,
idem tamen valet. Quocirca hoc ipſo quòd
quæſtionẽ in prædicatiuam & conditionalem
diuiſimus, ſatis videmur eam diuiſionẽ quæ

eſt in propoſitum & controuerſiam eſſe complexi. Prædicatiua igitur quæſtio & conditionalis huiuſmodi ſunt. ¶ † Sunt & alij duo modi quærendi, cuilibet iſtorum cōmunes, quorum vno pure quęritur, ſit'ne hoc, an nō ſit: & ſit'ne hoc, ſi hoc eſt. Id vulgo de ineſſe vocant, nos purum poſſumus vocare. Alio uero modo quæritur de certa lege exiſtēdi: cum nō dicimus pure, ſit'ne hoc, ſed an poſſit eſſe. Eas quæſtiones vocāt modales. Modi autem ſunt quatuor, poſſibile. hoc enim nomine vtamur oportet, † quod quanquam durius eſt, tamen (vt inquit Quintilianus) ſolum eſt eius quod Græci δυνατὸν vocāt, id eſt, quod ſiue ſit ſiue nō ſit, nihil refert, dūmodo poſſit eſſe. Neceſſariū, quod non poteſt nō eſſe. Contingēs, quod poteſt eſſe & nō eſſe. Et impoſſibile, quod nequaquam poteſt eſſe. Eſt autē prædicatiua modalis, vt, an homo poteſt currere? an hominē contingat mori? † Eſt & cōditionalis, vt, an ſi virtus ſit ſummū bonū, neceſſe ſit animā eſſe immortalē? † Id*q* dupliciter fit. Quādo*q* enim modū afferimus ei, de quo quærimus ex cōditione. Vt, ſi homo currit, an hominē neceſſe ſit moueri. Quādo*q* vero ad conſecutionē quæſtionis & cōditionis referimus modum. Vt ſi dicamus, neceſſe eſt, ſi homo currit, vt homo moueatur. Multum*q* differūt hæ quæſtiones. Primā enim falſam pronunciamus, ſecundam

*Rurſum duos eſſe quærendi modos, pure, & cum modo.*

19 20 21 22

autem veram. Falſum enim eſt, homo currit, ergo neceſſe eſt eum moueri. Poteſt enim non
19 moueri, quia poteſt non currere. Sed verũ eſt, neceſſarium eſt quia homo currit, idcirco eum moueri. Sed iſta tenuiora ſunt, nec huius inſti-
25 tuti. † Alijs libris, ſi quãdo de argumẽtationũ lege, hoc eſt de iudicãdi parte ſcribẽdi ociũ dabitur, copioſius ſimul & apertius iſta dicemus.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 *PRimam vocant Græci κατηγορικὴν, quam nos prædicatiuam.*] Ergo Rodolpho copulatæ etiam quæſtiones, atq; haud ſcio num & disiunctæ, quoties per ſe efferuntur, categoricæ, id eſt prædicatiuæ dicendæ ſunt: quando illud κατηγορεῖν, non modo accuſare, ſed & prædicare ſignificat. Et de copulatis quidem, facile equidem ei ſubſcripſerim: de disiunctis malim Boëthio, qui illas refert inter hypotheticas, hoc eſt conditionales, propterea quòd, quẽadmodũ diximus capite præcedẽti, tacita
2 in ijs omnibus ſubeſt cõditio. ¶ † *Sic & ſimplici quæſtioni cõpoſitam addere conditionẽ poſſumus.*] Vt ſi dicas, An ſi prouidentia regitur mundus, & immortalis eſt ho-
3 minis animus, tum eſt adminiſtrãda reſpublica? ¶ † *Et cõpoſitæ cõpoſitam.*] Eius rei hoc eſſe poßit exemplũ. An ſi animi noſtri ſunt immortales, & prouidentia mũdus regitur, tum eſt adminiſtrãda reſpublica, & honores expe-
4 tendi? ¶ † *In conditionalibus autem, non ex natura eius quod quæritur.*] De hoc diximus capite præcedenti, cum ageremus de connexis pronunciatis & de veritate illo-
5 rum. ¶ † *Quæ rhetores vulgatis nominibus θέσεις καὶ ὑποθέσεις vocant.*] De his Cicero cum in alijs locis quibuſdam, tum vero in Topicis & in partitionibus: &

Quintilianus libri tertij ca.5.necnō Seuerinus Boëthius
Theſis. quarto libro Topicorum. Theſis eſt quæſtio infinita, ſine
circunſtantiarum adiunctione propoſita. Vt, ſit'ne ducē-
da vxor. an ſit bellum gerendum. Hanc Cicero in Topi-
cis propoſitum vocat, in partitionibus cōſultationē. Hy-
Hypotheſis. potheſis eſt quæſtio finita, cū circunſtantiarū adiunctio-
ne propoſita. Vt, ſit'ne Catoni vxor ducēda. ſit'ne Cæſa-
ri bellum ſuſcipiendū aduerſus Pompeium. Hanc Cicero
in partitionibus controuerſiā, cauſam in Topicis vocat.
Circunſtantiæ. Circunſtantiæ ſunt, perſona, locus, tempus, cauſa, agen-
di modus, inſtrumenta, quæq; alia eius generis ſunt. 6

¶ † Nō pertinet autem nec omnis controuerſia nec ſo-
la ad rhetorem.] Monui ſuperius, omnem hanc opinio-
num diuerſitatē pendere ex diuerſo intellectu vocabuli.
An oẽs hypotheſes ſubiectæ ſint rhetori. Nam ſi rhetoricen accipias artē eam, quæ in cōmune do-
cet, quo modo de re quaque elegans politaq; texi poßit
oratio: hoc nimirū intellectu, omnes cuiuſcunq; tandem
generis ſint quæſtiones, hactenus ſibi ſubiectas habet,
quatenus polité ornateq; poteſt de eis dici. At ſi hoc no-
mine intelligatur omnis ac ſola facultas illa, qua debent
eſſe inſtructi ij, qui cauſas in foro agunt: hac certe ratio-
ne non omnis controuerſia ſiue Hypotheſis ad rhetorem
pertinet: neq; quiſquam hoc vnquam dixit. Niſi forté ſi
quis dialecticen à rhetorice ita diſtare dicit, vt de theſi-
bus illa, hæc de hypotheſibus diſputet, hunc nos illud cō-
tinuo dicere interpretamur: omneis hypotheſes ad rheto-
ricen pertinere. Id qđ perinde mihi videt́ eſſe, vt ſi quis
dicat terram hoc differre ab igni, quòd hic calidus, illa
frigida ſit: atq; inde nos colligi illud credamus, omnē ca-
lorem in igni, omne frigus in terra eſſe: cum tamen &
Theſes ac generales. aquam frigidam, & aërem calidum eſſe ſit manifeſtum.
Iam quod ſubdit Rodolphus, non etiā ſolā controuerſiā,

ſed & propoſitum ſiue theſim pertinere ad rhetorē: eius quæſtiōes rei authores habet, Ciceronē in libris de oratore, & Fabiū libro inſtitutionū (opinor) ſecundo. Sed & hic quoq; verbis modo tenus diſſenſio eſt. Nā qui dicunt ſolis hypotheſibus locū eſſe in foro, ij hoc intelligunt, id quod initio iudicibus proponitur, cauſam ſeu hypotheſim eſſe: id quod nec Cicero, opinor, ipſe negauerit. Quod autem is ipſe, ſecutusq; eum Quintil. & poſt vtrūq; Rodolphus, aiunt theſes quoq;, id eſt propoſita & cōſultationes in forum venire, id in hunc ſenſum accipi debet. Contingit ſæpe inter dicendum, vt generalis atq; infinita quæſtio aliqua, ſic in hypotheſi ea de qua pronunciandū eſt, includatur, vt omnino de hypotheſi hac quæ propriè in iudicium venit, ſtatui nihil poſſit, niſi prius infinita illa quæſtione diſcuſſa. Vt in cauſa Miloniana, prima quæſtio eſt, teneatur'ne Milo lege Cornelia de ſicarijs. Negat id Cicero, quòd ea lege nō teneatur ij, qui iure quempiā occidiſſent: porrò Clodiū iure à Milone occiſum eſſe. Quamobrē iure? Quia Clodius (inquit) inſidias Miloni fecit: omnis autem inſidiator iure poteſt occidi. Hic ergo iudices pronunciare habēt de eo, teneatur'ne Milo lege Cornelia, an non teneatur: quā eſſe controuerſiā conſtat. Verū de hac nihil quicquā decerni poteſt, niſi planū factū ſit prius iure an iniuria Clodiū Milo occiderit. Quod ſic ꝓbat orator, vt dicat Miloni à Clodio factas eſſe inſidias, omnem autē inſidiatorē iure occidi poſſe. Iā hæc, omnē inſidiatorem iure poſſe interimi, nō hypotheſis eſt, ſed theſis: atq; huic cæteræ oēs ſic innituntur, vt omnino primæ illius cōtrouerſiæ nulla eſſe certitudo queat, niſi hæc prius in hāc aut illā partē probata ſit. Quāobrē Cicero, ſtatim à principio orationis, hanc ſibi exiſtimauit eſſe diſcutiendam. Atq; hoc eſt illud quod dicitur, etiā theſibus eſſe in foro

quatenus ad oratorem pertineant.

Antoni. locum. ¶ + Vt multa habuiſſet Antonius Muſa. ] Hic 7

Muſa.

medicus Auguſti Cæſaris fuit, homo medendi arte inſi-
gnis. Meminit eius in epiſtola quadam Horatius: memi-
nit & Plinius naturalis hiſtoriæ libro vigeſimonono: ca-

Meſſala Coruinus.

pite primo: & rurſum libro trigeſimo, capite. 3. ¶ + Meſ- 8
ſala. ] Hic eſt Meſſala ille Coruinus, non poſtremi nomi-
nis orator, qui ex graui ac diuturno morbo nominis etiã
ſui oblitus fuit. Meminit eius & Cicero in libro de cla-
ris oratoribus ad Brutũ. ¶ + Et propoſitum quidem eſſe 9
id ipſum quod prædicatiuam quæſtionem, hinc inde de
cis exempla facile declarant. ] Haud ſcio num id ſatis

An theſes oẽs prædicatiuæ ſint quæſtiones.

declarant exempla. Nam ſi dicas, An ſi adulterum occi-
dere licet, idcirco eundem fas eſt & loris cædere? an ſi
qua mulier eſt adultera, eadẽ & venefica eſt? num ſi pro-
uidentia mundus regitur, tum eſt adminiſtranda reſpu-
plica? hæ vtiq; omnes prædicatiuæ quæſtiones non ſunt:
at theſes tamen aut propoſita ea eſſe, id manifeſtius eſt,
quàm vt vllo modo negari queat. ¶ + De cõtrouerſia eſt 10

An hypotheſis oĩs quæſtio ſit conditionalis.

quod poſſet ambigi. ] Hypotheſes, inquit, ac controuer-
ſiæ, tametſi voce tenus aſſeueranter ferè videantur pro-
ferri, tamen ſi ſenſum magis quàm verba expendas, faci-
le animaduerteris, ſemper tacitã eas incluſam habere cõ-
ditionem. ¶ + Struxerit'ne Clodius inſidias Miloni. ] 11
Hanc coniecturalem copioſiſſime tractat Cicero, in ora-
tione Miloniana, cuius toties iam à nobis facta eſt men-
tio. ¶ + An priuato conſilio Annibal obſideat Sagun- 12
tum. ] Hæc Sagũtus vrbs erat Hiſpaniæ, quam Pœnorũ
dux Annibal obſedit cæpitq; prius, quàm exercitum du-
ceret in Italiam. Lege T. Liuij de ſecundo bello punico li-

Quo argumento perſuaſe-

brum primum. ¶ + An delenda Carthago. ] Hoc M. Por- 13
tius Cato ſuaſit, Scipio Naſica diſſuaſit. Vicit tamen
ſententia Catonis: qui vir quàm leui argumento perſua-

ſerit tãtæ euerſionem vrbis, his verbis explicat Plinius. rit Catō.
Nanque perniciali (inquit) odio Carthaginis flagrãs, delendã
nepotumq́; ſecuritatis anxius, cum clamaret in omni ſe- Carthagi
natu Carthaginem delendam, attulit quodam die in cu- nē Plin.
ria præcocem ex ea prouincia ficum: oſtendensq́; patri- libro. 15.
bus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum ca.18.
putatis ex arbore? Cum inter omnes recens eſſe conſta-
ret, Atqui tertium, inquit, ante diem ſcitote decerptum
Carthagine, tam propè à muris habemus hoſtem. Sta-
timq́; ſumptum eſt punicum tertium bellum, quo Cartha
go deleta eſt: quanquam Catone anno ſequente rapto.
Quid primum in eo miremur? curam ingenij, an occaſio-
nem fortuitam? celeritatemq́; curſus, an ingenium viri?
Super omnia equidem eſt, quo nihil equidem duco mi-
rabilius, tantam illam vrbem, & de terrarum orbe per
centum viginti annos vrbis æmulam, vnius pomi ar-
14 gumento euerſam &c. ¶ † Quemadmodum ſunt
propoſitiones quædam, quibus eſt diſerte adiecta con-
ditio.] Non oſcitanter legenda ſunt hæc. Profuerint
enim ad explicãda multa, in quibus mirum hodie quàm
15 ſudent quidam, & tamen fruſtra. ¶ † Recte'ne Cato
Martiam vxorem dimiſerit.[Cato Vticenſis poſt diuor- Martia à
tium Attiliæ Martiam Philippi filiam duxit vxorem. Catone
Hanc Martiam vir nobilis & orator inſignis Horten- dimiſſa
ſius, ſibi à Catone tãtiſper tradi poſtulauit, dum prolem & rece-
vnam, aut alteram ex ea ſuſtuliſſet: idq́; aſſentiente Mar pta.
tiæ patre Philippo, à Catone obtinuit. Poſt annos ali-
quot, cum è viuis exceſſiſſet Hortenſius, Cato Põpeium,
cœpto iã ciuili bello, extra Italiã ſecuturus, Martiã rurſus
liberorũ ac totius familiæ cauſa ſibi matrimonio iunxit.
qđ eius factũ ceu auaritiæ argumentũ, criminatus eſt in
Anticatone Cæſar. Lege vitã Catonis apud Plutarchũ.

Cato philoſophus Stoicus. ¶ †Catonem ciuem Romanum, ſenatorem, Stoici ſectam 16 præferētem.] Fuit enim Cato philoſophus Stoicus, quæ res iocandi anſam præbuit Ciceroni, in oratione qua Murænam defendit contra ipſum hunc M. Catonem, & Seruium Sulpitium. Ego, inquit, conſilium tuum Cato, propter ſingulare animi mei de tua virtute iudicium, vituperare non audeo: nōnulla in re forſitan conformare, & leuiter emendare poßim. Non multa peccas, inquit ille fortißimo viro ſenior magiſter: ſed ſi peccas, te regere poſſum. At ego te verißime dixerim peccare nihil, neq; vlla in re te eſſe eiuſmodi, vt corrigendus potius, quàm leniter inflectendus eſſe videare. Finxit enim te ipſa natura ad honeſtatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iuſtitiam: ad omnes deniq; virtutes magnum hominem & excelſum. Acceßit his tot, doctrina nō moderata, nec mitis: ſed vt mihi videtur paulò aſperior, & durior, quàm aut veritas, aut natura patiatur. Et quoniam non eſt nobis hæc oratio habenda, aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conuentu agreſtiū: audacius paulò de ſtudijs humanitatis, quæ & mihi & vobis nota & iucunda ſunt diſputabo. In M. Catone, iudices, hæc bona quæ videmus diuina & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria. Quæ nonnunquam requirimus, ea ſunt omnia non à natura, ſed à magiſtro. Fuit enim quidam ſummo ingenio vir Zeno, cuius inuentorum æmuli, Stoici nominantur. Huius ſententiæ ſunt & præcepta eiuſmodi, ſapientem gratia non moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & leuem: viri non eſſe, neq; exorari, neq; placari: ſolos ſapientes, eſſe ſi diſtortißimi ſint, formoſos: ſi mendicißimi, diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges. Nos autem qui ſapientes non ſumus, fugitiuos, exules, hoſtes, inſanos de-

Ioci Ciceronis in Stoicos.

16 niq; eſſe dicunt: omnia peccata eſſe paria, omne delictum
ſcelus eſſe nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallū
gallinacium, cum opus non fuerit: quàm eum, qui patrem
ſuffocauerit. ſapientem nihil opinari, nullius rei pœnite-
re, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. Hæc ho
mo ingenioſiſſimus M. Cato, authoribus eruditiſſimis
inductus, arripuit: neq; diſputādi cauſa, vt magna pars:
ſed ita viuendi. Petunt aliquid publicani: caue quicquam
habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt miſeri
& calamitoſi: ſceleratus & nefarius fueris, ſi quicquam
miſericordia adductus feceris. Fatetur aliquis ſe peccaſſe,
& eius delicti veniam petit: nefarium eſt facinus igno-
ſcere. At leue delictum eſt: omnia peccata ſunt paria. Di-
xiſti quicquam: iam fixum & ſtatutum eſt. Non re du-
ctus es, ſed opinione: ſapiēs nihil opinatur. Erraſti aliqua
in re: male dici putat. Hæc ex diſciplina nobis illa ſunt.
Dixi in ſenatu me nomen conſularis candidati delatu-
rum. Iratus dixiſti. nūquam, inquit, ſapiens iraſcetur. At
temporis cauſa. improbi, inquit, hominis eſt mendacio
fallere. Mutare ſententiam, turpe eſt: exorari, ſcelus: miſe-
17 reri, flagitium &c. ¶ †Propoſitum ſolum, id eſt, quod in
eorum, quæ ſunt in quæſtione, ſubſtantia ponitur.] Hoc
eſt, Propoſitum, theſis, ſiue conſultatio eſt quæſtio ea, qua
excluſis circunſtantijs, de ſola quæritur natura ipſarum
rerū. Vt poſſit'ne homo quiſquam iure occidi, num metus
18 cadere poſſit in cōſtantem virū. ¶ †Quod Quintilianus Argu-
vocat argumēta καθ' ὑπόθεσιν.] Verba Fabij lib. quinto mēta καθ'
hæc ſunt. Illud adijciendum videtur, duci argumenta, nō ὑπόθεσιν.
à confeſſis tantū, ſed etiā à fictione, quā Græci καθ' ὑπόθε-
σιν vocāt: & quidē ex omnibus iiſdem locis, quibus ſupe-
riora: quia totidem ſpecies eſſe poſſunt fictæ, quot veræ.
Nam fingere hoc loco, id eſt, proponere aliquid: quod ſi

verum ſit, aut ſoluat quæſtionem, aut adiuuet. ¶ † Sunt & alij duo modi quærendi. ] Tradunt dialectici præter diuiſionem illam ſuperiorem, duo adhuc eſſe pronunciatorum genera, purum vnum, alterum modale. Pura pronunciata nominantur, quibus aut ſimpliciter, aut adiecta conditione, pure eſſe aliquid, aut non eſſe ſignificamus. Vt, Mors vltima linea rerum eſt. Et, ſi non aliquā nocuiſſes, mortuus eſſes. Modalia vocant, quibus nō pure, ſed certo quodam modo, certaq; lege, aut eſſe aliquid ſignificamus, aut non eſſe. Vt, diuitē ingredi in regnum cœlorum, eſt impoßibile. Contingit hominē eundē & bonum virum, & inutilem ciuē eſſe. Modi per quos huiuſmodi pronunciata fiunt, ab Rodolpho enumerātur quatuor, poßibile, contingens, impoßibile, neceſſe. Sunt qui his duos adijciant, verū, & falſum. Laurētius Valla treis modo ex hoc numero putat recipiendos, poßibile, impoßibile, verum. Quibus rurſum alios quoſdam adiungit, facile, difficile: certū, incertū: conſuetū, inſuetū: vtile, inutile: iucundū, iniucūdū: decorū, indecorū: aliaq; hiſce ſimilia. ¶ † Quod quanquā ſit durius, tamen vt inquit Quintilianus, ſolum eſt eius quod Græci δυνατὸν vocant. ] Locus eſt apud Quintilianum, tertio inſtitutionum libro, capite de cauſa deliberatiua. Melius igitur, qui tertiā, inquit, partem dixerunt δυνατὸν, quod noſtri poßibile nominant: quæ vt dura videatur appellatio, tamen ſola eſt. ¶ † Eſt & conditionalis. ] Quid Rodolphe, ſi legāt hæc illi, qui hodie magna cū authoritate docent ſummulas Petri Hiſpani, & parua logicalia? Quo putas ſupercilio iſti hæc legent? imò verò quanta cum indignatione abijciēt? An tu ignoras, capitale apud iſtos crimen videri, ſi quis latum (quod aiunt) culmum ab ipſorum ſentimento auſit diſcedere? Atq; hi certe ita pronunciant, omnē propo

Margin notes: Pronūciata pura. — Modalia. — Modi quot. — Poßibile.

Right margin numbers: 19 (line 1), 20 (at "lia. ¶ † Quod…"), 21 (at "¶ † Eſt & conditionalis").

ſitionem modalem eſſe categoricam, hypotheticam nul-
lam. Quocirca vide quid egeris, quid've reſponſurus ſis
ijs, vbi centurijs aliquot ſyllogiſmorum inſtructi, in are-
22 nam te prouocauerint. ¶ †Idq; dupliciter fit. Quandoq;
enim modum aſſerimus ei, de quo quærimus ex cõditio-
ne.] Hoc apertius fortaſſe dici ſic queat. Modus, verbi
cauſa, neceſſe: quandoq; ſignificat prædicatũ eius pro-
loquij, quod ex conditione colligitur, neceſſario ſubiecto
ineſſe: quandoq; verò, etſi prædicatum illud ſubiecto nõ
inſit neceſſario, tamen proloquiũ ipſum neceßitate quã-
dam ex præcedente conditione ſequi. Aliter. Verbum ne-
ceſſe in pronunciatis modalibus, duplicẽ ſignificare po-
teſt neceßitatem, vnam conſequentiæ, alterã conſequen-
tis. Priorem vocant, quoties neceßario aliquid ex alio col
ligitur, ſiue id per ſe neceßarium ſit, ſiue non neceßariũ.
Vt, neceße eſt, ſi pluit, terram madeſcere. Poſteriorem,
quoties per ſe aliquid neceßarium eſt, ſiue neceßitate ali-
qua colligatur ex alio, ſiue non colligatur. Vt, ſi homo eſt
animal, & non mutum, neceſſe eſt eum eße rationis par-
23 ticipem. ¶ †Alijs libris ſi quando de argumentationum
lege, hoc eſt, de iudicandi parte ſcribendi otiũ dabitur.]
Fuit, qui hos libros à ſe viſos diceret: verè an ſecus, ego
affirmare nõ poßum: mihi certe nõdũ eos videre cõtigit.

¶ Artium tria eße genera, & pro horum diuerſitate,
diuerſas etiã ſumi quæſtiones, cum alijs quibuſdam.

## CAPVT IX.

TERTIAM quæſtionum varie- *Tria artium genera.*
tatem diximus accipi, pro artium,
quarũ conſiderationi ſunt expoſi-
1 tæ, diuerſitate. † Artes omnes, aut
ad cognitionem referũtur, aut ad actionẽ. Co-

gnitionis artes ſunt, quarum finis eſt ſcientia:
vt ſunt mathematicæ, phyſicæ, & reliquæ id
genus, ex quibus ſola rerum petitur cognitio.
Aliæ ſunt, quæ earum ſunt rerum, quæ actioni
arbitrioq́; noſtro ſūt addictæ: vt ſunt eæ, quibꝰ
animus ad virtutem dirigitur, quam moralē
philoſophiam dicimus: aut quibꝰ corporis ne-
ceſſitati ſuccurrimus, quæ operariæ dicuntur.
Tertię, & velut medii ſunt generis, † quas λο- 2
γικὰς Græci, nos rationales dicimus: quę ad for
mandam orationem pertinent, † de quibus cū 3
dialecticen definiremus, ſumus locuti, † qua- 4
rum radix origoq́; propiꝰ ad cognitionis vim
accedit, videnturq́; intra fines ſuos poſitę, co-
gnitionis verius eſſe, quàm actionis. Quia ta-
men cōmunes ſunt aliarum omniū miniſtræ,
tamq́; latè funduntur, quàm oratio, hoc eſt,
quàm humana ipſa natura: promiſcue viden-
tur & actionis & cognitionis nomen accipere
poſſe, † quemadmodum ratio, vel mens, cui 5
ſeruiunt, eſt in actiuam, & cognitiuam ab Ari
ſtotele diuiſa. Sumetur pro hoc artium nume-
ro etiam numerus quęſtionum. Sed de his ex-
actius dicere, ad ſingulas pertinet artes, vel ſi
ad vnam aliquam, non eſt id dialectices: hęc
autē velut capita attigiſſe dialectico ſufficiat.
¶ Illud quidem haud eſt difficile videre, † eos 6
qui rhetori omne id de quo bene dici poſſet
ſubdidere, deinde omnem materiam finiuere

tribus quęſtionibus, ſit´ne ab hoc factū quod
dicitur, ſit´ne iuſtum, ſit´ne ſcripto legis com-
7 prehenſum, †nihil ſatis dignū tanto promiſſo
ſuo protuliſſe. His enim tribus quęſtionibus
ſunt omnia quę in iudiciis aguntur, concluſa.
8 †Nam deliberatiuā breui quęſtione an expe-
9 diat abſoluerunt. †Et Ariſtoteles quidē copio
ſe eā diligenterq; explicat: reliqui breuiter atti-
gere, quidā adeò ne numerauere quidē inter
ciuiles quęſtiones. Nam laus, & vituperatio,
ſit´ne omnino quęſtio nécne, fuerunt qui dubi
10 tarent. †Quod vt iure reprehendit Quintilia-
11 nus, †ita rectè videtur apud Ciceronē ſentire
Craſſus, qui per ſe venire eam non putet in fo-
rum: iudicialibus autē & deliberatiuis perſępe
12 accedere. ¶ †Quod autē Cicero in Topicis, an
ſit, quid ſit, quale ſit, quęſtiones ad cognitionē
retulit: deinde qualitatē voluit iuris & iniurię
tractatu explicari, vtrunq; diligentius fieri for
taſſe poterat. Primum enim non ſatis eſt verū,
ſecundum etiam repugnans. Nam & moralis
philoſophus an ſit virtus quærere poteſt, &
quid ſit quærit vtiq;. Qualitas vero ſi ad co-
gnitionem pertinet, quomodo iuris & iniuriæ
tractatu finita eſt: Quoniam ius & iniuria ad
actionis partē, nō ad cognitionis partē redu-
cuntur. Tametſi em̄ multa ſit variaq; de iure &
& iniuria ambiguitas, ingentemq; rerū cogni-
tionē ſit horum notitia cōplexa: non tamen co-

*Expenditur ſententia Ciceronis in Topicis.*

gnitionis nomen accipit eorum tractatus, ſed
actionis. Contemplantur enim (vt inquit Ari- 13
ſtoteles) etiam qui agunt, ſed alium in vſum.
Non enim in id contemplantur, ut cōtemplen
tur: ſed vt pro eo quod contemplatione inſti-
tuerunt, dirigāt actiones. Sic etiā mathemati-
cus deſcribet circulos radio, figuras lineasq́;
in puluere ducet, ſummas motuū & magnitu-
dinum cæleſtium numeris colliget, quæ ſunt
actiones: non tamen vt agat, hæc facit, ſed vt
ſcientiam eorum, quæ agendis iſtis ſcrutatur,
acquirat. Finis potiſſimus eſt rerū omniū: vtq́;
omnibus agēdi eſt exiſtēdiq́; cauſa, ita plurima
etiā ex ipſo accipiūt nomen. Multa vocātur bo
na, non quia ſunt, ſed quia bonis deſtinantur.

## SCHOLIA IN CAP. IX.

*A† Rtes omnes, aut ad cognitionem referuntur.]* 1
*De hac artium diuiſione multa Angelus Politia-*
*nus in libello, ſeu oratione ea, cui titulū fecit, pa-*
*nepiſtemon.* ¶ *† Quas logicas Græci, nos rationales dici-* 2
*mus.] Sunt qui exiſtiment has artes potius ſermocina-*
*les, quàm rationales dicendas eſſe. Certe vox Græca*
*vtriuſq; interpretationis eſt capax: cum λόγος nō modo*
*rationem, ſed & ſermonem, ſeu orationē ſignificet. Atq;*
*haud ſcio num Rodolphus etiam, non rationales, ſed ora-*
*tionales ſcriptum reliquerit. id quod propemodum indi-*
*care videntur, quæ cōtinuo ſubiungit. Nos inquit, ratio-*
*nales dicimus, quæ ad formandam orationem pertinent.*
*Laurentij Vallæ hac de re diſputatio huc ſpectat, quaſi lo-*
*gice dicta ſit rationalis ſcientia, quòd circa rationem, hoc*

*Logicæ artes an dicēdæ rationales.*

*Laurentius Vallæ.*

*eſt, argumentum, ſeu medium argumentationis cuiuſq; la lib.3.*
*verſetur: quæ interpretatio quemadmodũ dialecticæ pro- in diale-*
*be aptari poteſt, ita reliquis duabus nequaquam. Id quod ctica.*
*& Boëthium ſenſiſſe apparet, qui in Porphyriũ ſcribẽs,*
*ita loquitur de ea parte philoſophiæ, quam rationalem vo*
*camus, vt dialecticam ſolam, non etiam grammaticam, &*
*rhetoricam eo nomine intellexiſſe videatur. Lõge aliter*
*Macrobius, qui rationalem philoſophiæ partem appellat Macro-*
*eam, quæ verſatur circa res incorporeas, & ea quæ ſola bius, 2. li.*
*mente, nõ etiã ſenſu cognoſci poſſunt, vt eſt anima, deus, in ſom-*
*& quas vocant intelligentias. Verum hæc non ita multũ niũ Sci-*
*faciunt ad inſtitutum noſtrum, quibus in præſentia ſa- piõis ca.*
*tis eſt, grammaticam, dialecticam, & rhetoricam, idcirco vltimo,*
*λογικὰς dictas eſſe à Græcis, quòd orationis, ſermoniſq;*
*artificium doceant: quocũq; tandem nomine eas donent*
3 *Latini.* ¶ †*De quibus cum dialecticen finiremus, ſumus*
4 *locuti.*] *Huius libri capite ſecundo.* ¶ †*Quarum radix*
*origoq́; propius ad cognitionis vim accedit.*] *Hinc cla-*
*moſiſſima illa diſputatio apud noſtros, ſit'ne dialectica*
*ſpeculatiua, an practica. In qua eouſq; hodie deſudãt qui-*
*dam, vt poſteaquã diem totum contentiſſimis vociferatio*
*nibus abſumpſerint, tũ poſt ſudores tantos, quæ artes ſpe-*
*culatiuæ, aut practicæ ſint dicendæ, ipſi etiãdum igno-*
5 *rent.* ¶ †*Quemadmodum ratio, vel mens, cui ſeruiunt,*
*eſt in actiuam, & cognitiuam ab Ariſtotele diuiſa.*]
*Facit enim Ariſtoteles tertio libro de anima, duplicem*
6 *intellectum, ſpeculatiuum, & practicum.* ¶ †*Eos*
*qui rhetori omne id de quo bene dici poſſet ſubdide-*
*re.*] *Hoc Craſſus apud Ciceronem facit primo libro*
*de oratore, & Fabius Quintilianus oratoriarum in-*
*ſtitutionum libro ſecundo.* ¶ †*Nihil ſatis dignum*
7 *tanto promiſſo ſuo protuliſſe.*] *Alludit ad carmen*

Horatianum: Quid feret hic tanto dignū promiſſor hia-
tu? ¶ † Nam deliberatiuam breui quæſtione an expediat 8
abſoluerunt.] Tradunt rhetores tria eſſe genera cauſa-
rum, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Demon
ſtratiuum eſt, quo laudamus, aut reprehendimus. Deli-
beratiuum, quod in ſuadendo, ac diſſuadendo conſiſtit.
Iudiciale, quo accuſatur quis, aut defenditur. Ergo in ge-
nere deliberatiuo Ariſtoteles illud modo quærendum pu-
tat, expediat nec'ne id quod in deliberationē venit. Quin
tilianus tria, ſit'ne vtile, ſit'ne honeſtum, & num fieri
poſsit. Porrò qui de ſola vtilitate aiunt quærendum eſſe,
ij ex ſententia Stoicorum, nihil vtile eſſe dicunt, quin ſit
idem honeſtum. Quod & Fabius attingit, & Cicero in
Officijs probat. ¶ † Et Ariſtoteles quidem.] Primo libro 9
rhetoricorum, ¶ † Quod vt recte reprehendit Quintilia- 10
nus.] Libro tertio, capite nono. ¶ † Ita recte videtur 11
apud Ciceronem ſentire Craſſus.] In libris de oratore.
Quanquā aut memoria me fallit, aut hæc non tam Craſsi
apud Ciceronem ſententia eſt, quàm Antonij. ¶ † Quod 12
autem Cicero in Topicis,] Non in Topicis ſolum, ſed in
tertio etiam de Oratore habet hoc Cicero. Quo autem pa-
ratius ſit, totum hunc locum plenius aſſequi, aſcribam
huc ipſa Ciceronis verba, quæ ſuper hac re habet in To-
picis. Quæſtionum autem, quacunq; de re ſint, duo, inquit,
ſunt genera; vnum cognitionis, alterum actionis. Cogni-
tionis ſunt hæ, quarum finis eſt ſcientia. Vt ſi quæratur,
à natura ne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi contra-
ctione hominum, & pactione. Actionis autem huiuſmodi
exempla ſunt, ſit'ne ſapientis ad rempub. accedere? Co-
gnitionis quæſtiones tripartitæ ſunt: cum aut ſit'ne, aut
quid ſit, aut quale ſit, quæritur. Harum prima, coniectu-
ra: ſecūda, definitione: tertia, iuris & iniuriæ diſtinctione
explicatur.

Tria genera cauſarum.

Demonſtratiuū.

Deliberatiuū.

Iudiciale.

Duo quæſtionū genera, vnū cognitionis, alterū actionis.

*explicatur. Et interpoſitis paucis, De cognitionis, inquit,
quæſtionibus hactenus. Actionis reliquæ ſunt: quarũ duo
ſunt genera, vnum ad officium: alterũ ad motum animi
vel gignendum, vel ſedandum plane've tollendum. Ad
officium ſic: cum quæritur, ſuſcipiendi'ne ſint liberi. Ad
mouendos animos: cum fiunt cohortationes ad defenden
dam rempublicam, ad gloriam, & ad laudem &c. Ex his
paratum eſt colligere illud, tam Ciceronem, quàm Rodol-
phum, ſuo vtrũq; modo vera ſentire: & quicquid hoc in-
ter eos eſt controuerſiæ, id in ſolis verbis, non re ipſa con-
ſiſtere. Etenim Cicero eas quæſtiones vocat cognitionis,* Quæſtio
*quarum ea eſt facies, ea natura, vt quantum in ipſis eſt,* cognitio-
*finis earum ſit cognitio. Actionis autem, quæ ex natura* nis.
*ſua, non tam ad res cognoſcendas, quàm ad officia actio-* Actionis.
*neſq; pertinent, in quacunq; tandem arte tractentur. Ro
dolphus cõtrà, diſcernit quæſtiones iſtas finibus artium:
vt actionis quæſtiones dicãtur, quæ ad artes actiuas per-
tinent: cognitionis, quæ ad cognitiuas. Ergo cum quæri-
tur quid ſit virtus, ſi Rodolphi finitionem accipias, actio-
nis nimirum quæſtio erit: ſin vero Ciceronis, cognitionis
dicetur. Quãuis enim ad moralem pertinet philoſophiã,
ac proinde actionis etiam dici poteſt: tamen quod in natu
ra ipſius eſt, nuſquam aliò quàm ad cognitionem ſpectat,
ideoq; nõ minus recte dicitur cognitionis. Secus habeat,
ſi quæratur an boni viri ſit procreare libros. Hæc enim
quæſtio, etiam quantum in ipſa eſt, præter cognitionem,
etiam actionẽ ſpectat. Ita recte vterq;, ſed diuerſo modo.*

13 ¶ † *Cõtemplantur enim, vt inquit Ariſtoteles, etiam qui agunt, ſed alium in vſum.*] *Contemplantur, inquit, non vt in contemplatione cognitioneq; gradum ſiſtant, ſed vt progrediantur ad actiones.*

*¶ Omni differenti propoſitam eſſe quæſtionem: & quomodo, cum ipſa, tum etiam ſtatus, in diuerſis dicendi generibus inueniatur.*

CAPVT. X.

*Omni differēti propoſita quæſtio.*

QVando igitur omni differenti pro-
poſita eſt quæſtio, nō eis modo qui
diſputationibus res ambiguas ia-
ctant, aut qui tradēdis artibus, vel
certiorem, vel (quod diſcentibus perinde eſt)
meliorē fidē facere conantur: ſed & hiſtoria, &
poëma quoq; quæſtionē explicāt. Si quis enim
interroget, †quomodo geſtū ſit bellū Pelopo- 1
neſſiacū, nihil poteris rectius reſpōdere, quàm
quæ Thucydides ea de re conſcripſit. Nec
† quomodo pugnatum ſit cū Iugurtha, quàm 2
quæ Salluſtius monumētis earū rerū reliquit.
Sic, & quomodo Græcia ad Troiam bellaue-
rit: &, Æneas venerit in Italiā, nullus melius q̃
Homerus, & Virgilius explicarit. Cū hæc er-
go ita ſint, diligēter eſt nobis etiā atq; etiam in-
tuendū, quæ ſit quæſtio, hoc eſt, quod ſit caput
ſummaq; rerū omniū, ad quā dicenti ſint cūcta
referēda. † Nec enim abs re credendus eſt ad- 3
monuiſſe Plinius * Comēſis ſcriptorē, vt legat
ſubinde titulū ſuum, & planè exacteq; perſpi-
ciat, quid ſcribendū ſumpſerit. † ¶ Et M. Anto 4
nius itidem putauit, nihil æque iuuare dicturū,
quàm reſpicere q̃creberrime ad id, de quo
ſis dicturus. Quod nedū in id prodeſt, vt quæ

** Nouocomenſis.*

latent in eo, facilius acriori mentis intentione eruas: ſed obſerues (quod pleriſq; difficillimũ eſt) vt nec plura, quàm opus eſt, nec pauciora, nec quę nihil ad rem attinẽt, dicas. Hoc autem facere nemo poteſt, qui nõ antè fixã exploratamq; quæſtionẽ habuerit, de qua ſibi ſit dicendũ. quod quò facilius fieri poſſit, quomodocũq; poterim⁹ conabimur explicare. ¶ Omnis dictio, aut aduerſariũ habet, & inter duarũ partiũ certamina cõſiſtit: aut vnius ſolũ eſt partis. Duarũ partiũ ſunt, vt cõtentiones, vel ſcholaſticæ, vel ciuiles, quæ inter diſſidẽtes fiũt. Vnã ſolũ partem habet, quæ fit ad obſequentẽ auditorem: quales ſunt cohortationes, conſolationes, laudationes, cõciliationes, quæq; reliqua huius ſunt generis. Nõ quòd nequeat & in his in ambas diſſeri partes, neq; enim aliter quæſtio intelligi poſſet: ſed quia cũ illis ferè negocium eſt, qui vltro vinci ſe cupiunt, & nõ mo

*Duplex dictio.*

5 do non repugnãt, †ſed laxiſſimas etiam (quod dici ſolet) habenas ſequuntur. ¶ In his ergo dictionibus, quæ poſitæ ſunt in cõtentione, expeditiſſimã rationem inueniendæ quęſtionis aduerſarius dabit. Quoniam ſemper petitur aliquid ab altero, cui alter contradicit. Quandiu enim conſentanea dicunt, certum eſt quæſtionem eſſe non poſſe. Vbi cœperint cõſiſtere, ita vt alter non progredi longius alterum patiatur, quæſtio erit. Sed hæc quæ ſit, in ſcholaſticis

*Quomodo inuenienda quæſtio in dictione ea quæ habet aduerſarium.*

quidem dubium eſſe non poteſt:quia expoſitũ ſemper certumq́; eſt,de quo dubitatur.In ciuilibus vero quæſtio quidẽ:hoc eſt, caput certaminis ſemper eſt apertum. Neq; enim deliberat quiſquã,qui non certam habeat deliberandi ſummã:neq; qui in iudiciũ vocat aliquem, ignorat qua lege reum faciat,hoc eſt,quid petat ab eo,vel quas expoſcat pœnas.Sed de ſtatu quæſtionis perſæpe ambigitur, in iudiciis

*Quid ſtatus.* præſertim.†Status autẽ quæſtionis id eſt, quo 6
vel probato vel cõfutato,in hanc vel illã partem de quæſtione pronunciari oportet.† Vt 7
Laterenſis ait,ambitu aſſecutus eſt ædilitatem Plãcius:Plãcius negat.quæſtio eſt,aſſecutus'ne ſit Plancius ædilitatẽ ambitu : hoc eſt enim de quo pronunciare iudices oportebit. Non poteſt autẽ iſtud ex ſe probari. Dicit igitur Laterẽſis† Dignitate enim à me vincebatur.Quod 8
ſi det id Plancius,videbimus an idcirco neceſſe ſit,ipſum ambitu ſuperiorẽ fuiſſe. Quod ſi eſt,hic erit ſtatus:hinc enim tota pẽdebit quæſtio,fuerit'ne dignitate Laterẽſis ſuperior. Sin vero poterit Plancius cedere dignitati Laterẽſis,& cauſam tamen tenere,non erit hic ſtatus: vt dicat,non vtiq; ſi Laterenſis dignitate ſuperauit me,idcirco ego ambitu illũ vici in petitione,non ſolũ enĩ populus alterũ horũ ſequitur,ſed ſtudio diligentiaq́; candidatorum,ſed amicorũ precibus, ſed officiorum cõmenda-

tione;permouetur.Ergo iã ab eo ſtatu quem
Laterẽſis fecit,detorta eſt à Cicerone quæſtio:
& huc delata,an ſoleat his rebus moueri popu
lus,& an fuerit Plancius iſtis ſuperior:hicq; fit
ſtatus huius quæſtionis.Sic etiam aduerſarius
9 dicit.†Milo tenetur lege Cornelia de Sicariis.
Milo negat.Quæſtio,an teneatur. Probat ad-
10 uerſarius.†Occidit enim Clodiũ.Quid ſi Mi-
lo negat,hic erit ſtatus quæſtionis, an occide-
rit:ſin fatetur,oſtendat oportet, non teneri ea
lege,quiſquis aliquem occiderit,vt inſidiato-
rem,aut latronem.Id ergo quoniã grauius ab
aduerſariis preſſum erat,Cicero diſputandum
etiam ſibi credidit,deinde Clodiũ inſidiatum
fuiſſe:qui præcipuus eius quæſtionis fit ſtatus:
fitq; adeò perfectus ſyllogiſmus.Quiſquis in-
ſidiatus eſt,iure occiditur:Clodius inſidiatus
eſt,iure ergo Clodius occiditur.¶ Quẽadmo-
dum contingit autem plures quæſtiones eodẽ
11 peragi iudicio,†vt in Cluentii cauſa, quæſtio-
nes iudicii corrupti,& veneficii:ita contingit
vnius quæſtionis plures eſſe ſtatus. Vt in ea-
dem iudicii corrupti cauſa, nec id iudicium à
Cluentio corruptũ eſſe, nec ſi eſſet, idcirco ta-
men lege corrupti iudicii Cluentium teneri.
12 †Sed in Verris repetundarũ iudicio, quæſtio
vtrum in legem repetundarũ admiſerit Ver-
res:ſtatus ſunt tot, quot ſunt crimina: quodli-
bet enim per ſe defendẽdum eſt, quẽadmodũ

*In eadem quæſtione plures quãdoq; ineſſe ſtatus.*

& probādum. Et diuerſa eſt interim defendendi ratio: cum aliud negatur factum, aliud in legem repetundarum non venire, aliud recte factum dicetur. Status ergo eſt (vt diximus) id, quo dato, neceſſe eſt de cauſa in hanc vel illam partē decerni. Quæ ſi plura erūt, quorū vnum probādo alteri nō adhibetur, poſſitq́ quodlibet firmamentum eſſe quæſtionis, plures erūt etiā & ſtatus. ¶ At in negotijs illis, quæ vnius tantū ſunt partis, nonnunquā plus aliquanto curæ habet inuenire quæſtionem. Idcirco quatenus poſſumus, iuuemus & hac in parte quærentis curam. Mihi quidem videtur quæſtio omnis, in huiuſmodi cauſis triū iſtarum rerū conſideratione inueniri expeditiſſime poſſe, perſonarum, rei, & (vt ita dicam) conatus. Perſonas dico nūc eas, inter quas agitur, vt ſint beneuolæ aut infenſæ, alienæ aut coniunctæ, pares aut dignitate diſcretæ, quæq́ aliæ maxime in cōgreſſu hominum perſpici ſolent. Qui perferunt autem mandata, perſonam ſemper ſuſtinent mādantis. Res conſideranda eſt, quæ euenit, aut futura eſt, cuius cauſa dicere ſtatuimus. Vt in conſolatione, vel propinqui, vel amici, vel opes amiſſæ. In gratulatione, honores accepti. In gratiarum actione, beneficium collatum. Conatus deinde eſt id, quod ob hāc rem velimus dicendo conficere. Vt in conſolatione, videmus hunc deſideratæ rei iactura dole-

*Quomodo inuenienda quæſtio in dictione ea quæ aduerſarium non habet.*

*Perſonæ.*

*Res.*

*Conatus.*

re:hæc quidem res eſt. Perſonæ deinde ſunt, hic nobis, nos huic amici, quo fit, vt offendamur eius dolore. Conatus ergo ſequitur, quo damus operam, ne huic doleat, idq; dicendo conſequi laboramus. Ergo ſi conatum atque rem coniungas, quæſtionem habebis. Ea eſt, ſit'ne huic dolendum huius rei amiſſæ cauſa. In gratulatione perſonas primum neceſſe eſt beneuolas eſſe. Res vero erit, vt aliquid eius cui gratulamur cõmodis aut dignitati acceſſerit. Conatus autem, quoniam ob beneuolentiam fauemus rebus illius, vt oſtendamus nos lætari. Quæſtio ergo erit, an illius præſenti cõmodo lætemur. In gratiarum actione, perſonæ ſunt itidem amicæ. Res eſt meritum vel munus ab eo cui aguntur gratiæ tributum. Conatus, vt grato ob id animo doceatur eſſe qui accepit. Quæſtio erit, ſit'ne hic illi huius meriti cauſa gratus. Agendarum autem gratiarum, cum multa apud Ciceronem, tum pul-
15 chrum mihi propriumq; videtur eſſe† apud Auſonium exẽplum, in ea oratione, qua Gratiano ob conſulatum agit gratias. Sunt autem diligenter expendendæ perſonæ ad quas habetur oratio. vt enim quandoque certæ ſunt & ſingulares, ſicut in his exemplis quæ propoſuimus: ita nonnunquam, vel qui dicit, multorum ſuſtinet perſonam. vt qui populi nomine cum principe vel magiſtratu agit: vel cum

multis vnam agit,†vt Cicero, qui ſenatui,qui 14
P.R. gratias de reditu ſuo agit.† Ariſtides, 15
qui Rhodo terræ motu ſubuerſa,ciues cõſola-
tur. Qui diligẽter enim perſonam vel eius qui
dicit,vel cuius nomine dicitur, & eius cui fiũt
verba,perſpexerit,ſiue ſingulæ ſint hæ,ſiue plu
res:deinde rem cum perſona contulerit, & vi-
derit quid ea perſonæ interſit,vel qua parte cõ
tingat eam,facile id quod diximus conatũ ex-
plicabit. Vt qui in nuptijs dicit. (humilibus
enim oportet vtamur exemplis, quoniã in hu
iuſcemodi rebus, quæ ad morẽ magis quàm
ad vſum ſpectant, eò facilius erratur, quò ha-
bẽtur negligentius. † Neceſſitas perſpicax eſt, 16
† neque(quod dici ſolet)docenda eſt fames.) 17
Quid petet is ergo qui dicit in nuptijs? Si nu-
ptias quæ fiunt cõferat nubentibus, hocq́ ora-
tione proſequi velit,quia ſint eis expetẽdæ nu-
ptiæ,quemadmodũ & expetũtur, in hortatio-
nẽ flectet oratio,eritq́ quæſtio, an ſint iſtis ex-
petẽdæ nuptiæ.Sin turbæ amicorum circũſtan
tium nuptiæ conferantur,nihil ad eos pertine-
bit,præterquã ex nubẽtibus gaudium:conabi-
turq́ oſtendere gaudendũ eis eſſe,& fiet quæ-
ſtio,ſit'ne tã feliciũ nubentiũ matrimonio gau
dendũ.Vnde eſt in prõptu videre,quomodo
in eadẽ re,eodẽ in loco,mutatis perſonis, mu-
tari oportebit etiã quæſtionem.In funebri lau-
datione,pleroſq́ videas orationẽ ad conſola-

tionem cōferre, quæ primum oratio ſola cum propinquis haberi poteſt. Contrà videtur laudatio magis ad alienos qui adſunt funeri pertinere. Deinde intempeſtiuū uidetur, tam recē-
18 tem dolorē† & in ipſo (ut dicitur) ictu velle cōſolādo mulcere. Aut enim fruſtra tentabimus
19 ibi ſiccare lachrymas, † aut ſi quis tum cōſolationis eſt capax, is cōſolatiōe nō eget. Mihi videtur, quia res quæ in manibus eſt, mors eſt præſtātis viri, ex qua ad præſentē hominum numerū honor tantū funeris pertinet, oſtendēdum id eſſe, merito tā laudato uiro hunc honorē haberi. Fit tamen, vt in fine ad conſolationē
20 aliquā reſpectet qui dicit, quēadmodū† apud Thucydidē Pericles, cum eos qui primi in eo bello ceciderant laudaret, in fine conſolationem ſubiecit. quod quidem à grauitate perſonæ Periclis, & temporis interuentu, quo primus doloris impetus deferbuerat, haud erat alienū. Quinetiā cum mors eorū qui laudabātur ad exemplū pertineret audientiū, quæſtionē à laude ad hortationē deflexit. Itaq; omnis vis ingeniumq; dicentis eò tendit, vt oſtendat tam fortes viros, qui tam conſtanter pro tam inſigni patria ceciderūt, viuis eſſe ſectandos. Sed de his ſatis. Nec enim omnia exempla cōplecti in animo eſt, nec poſſem. Sufficiet hoc pacto quærere uolentibus aperuiſſe viam.

## SCHOLIA IN CAP. X.

*Pelopo neſſus.*

Q†Vomodo ſit geſtum bellum Peloponeßiacũ.] 1
Peloponeſſus παρὰ τὸ πέλοψ καὶ νῆσος nomen
habet: vt ſi dicas, inſula Pelopis. Eſt autem
peninſula inter mare Ægæum & Ionium, vbi nobiliſsi-
ma quondam vrbs fuit Corinthus: quæ initium dedit bel-
*Bellũ pe-loponeſ-ſiacum.* lo illi, quod grauißimum aduerſus Lacedæmonios ac Si-
culos geſſere Athenienſes: quod bellum accuratiſſime
octo libris deſcripſit Thucydides. ¶ † Quomodo pugna- 2
tum ſit cum Iugurtha.] De hoc nihil attinet dicere, quã-
do in omnium manibus ſunt, quæ de eare ſcripſit Sallu-
ſtius. ¶ † Nec enim abs re credendus eſt admonuiſſe Pli- 3
nius Comenſis ſcriptorem, vt legat ſubinde titulũ ſuũ.]
Extat inter epiſtolas Plinij libro quinto epiſtola multo
pulcherrima ad Appollinarem. In ea poſteaquam copio-
ſißimè deſcripſiſſet villam ſuam in Thuſcis, deinde pro-
pe calcẽ epiſtolæ hæc adiecit: Vitaſſem (inquit) iãdudũ,
ne viderer argutior: niſi propoſuiſſem omnes angulos te-
cum epiſtola circumire. Neq; enim verebar, ne laborio-
ſum eſſet legenti tibi, quod viſenti non fuiſſet: præſertim
cum interquieſcere, ſi liberet: depoſitaq; epiſtola, quaſi re-
ſidere ſæpius poſſes. Præterea indulſi amori meo: amo
enim, quæ maxima ex parte ipſe inchoaui, aut inchoata
percolui. In ſumma, (cur enim non aperiã tibi vel iudi-
*Scriptor titulum ſuũ ſubinde legat.* cium meum vel errorem.) Primum ego officium ſcripto-
ris exiſtimo, vt titulum ſuum legat: & identidem inter-
roget ſe quid cœperit ſcribere: ſciatq́; ſi materiæ immora-
tur, non eſſe longum: lõgißimum, ſi aliquid accerſit atq;
*Quis in ſcribendo longus.* attrahit. Et quæ ſequuntur. ¶ † Et M. Antonius itidem 4
putauit.] intellige M. illum Antonium oratorem, auum
eius Antonij, qui poſt dictus fuit Triumuir. Is porrò An-
tonius apud Ciceronem de oratore, vtiliſsimum fore cen

*ſet,ſi ſubinde mentem reijciamus ad id,de quo dicturi ſu-*
*mus:ita enim futurum eſſe, vt & cauſæ ſatisfaciamus:*
*& nihil quod vel obſit illi, vel certe non proſit, affera-*
5 *mus.* ¶ †*Sed laxiſſimas etiam ( quod dici ſolet ) habe-*
*nas ſequuntur.* ] *Ductum ab equis,facile ſeſſori paren-*
*tibus. Quanquam alluſiſſe videri poteſt & ad Hercu-*
6 *lem illum Gallicum, de quo multa Lucianus.* ¶ †*Status*
*quæſtionis id eſt.* ] *Multa de ſtatu Fabius libro tertio.*
*Cicero in rhetoricis conſtitutionem vocat, Græci* ςάσιν.
7 ¶ † *Laterenſis ait,ambitu aſſecutus eſt ædilitatem Plan-*
*cius.* ] *Exemplum ſumptum ex oratione, quam pro* *Ambitus.*
*Plancio habuit Cicero. Ambitus, vt quidem hic loqui-*
*mur, eſt illicita honorum ſeu magiſtratuum adeptio:*
*videlicet cum quis largitione, aut alijs quibuſuis modis*
*illicitis, magiſtratum adeptus eſt. Aduerſus hunc le-*
*gem tulerat C. Calphurnius Piſo, quæ primum Cal-*
*phurnia, deinde dicta fuit & Iulia de ambitu. In ea le-* *Lex Calphurnia de ambitu.*
*ge præter alias pœnas, pecuniaria quoque ( vt Pædiani*
8 *verbis vtar ) pœna erat adiecta.* ¶ † *Dignitate enim à*
*me vincebatur.* ] *Laterenſis argumẽtatio, id quod ex Ci-*
*ceronis oratione facile intelligi poteſt, fuit eiuſmodi:*
*Dignitate à me in petenda ædilitate Plancius vinceba-*
*tur, ergo ambitu vicit. Hanc bifariam refellere reus po-*
*teſt: primum, vt neget ſe dignitate inferiorem fuiſſe: de-*
*inde, vt illo dato, neget tamen inde ſequi, ſe ambitu aſſe-*
*cutum eſſe ædilitatẽ. Quòd ſi priore defenſione vtatur,*
*ſtatus controuerſiæ erit, fuerit'ne Plancius dignitate infe-*
*rior: ſin autẽ illo altero, tum ſtatus hic erit, ſit'ne hoc ne-*
*ceſſarium, vt qui dignitate in magiſtratu petendo vin-*
*catur, is cũ nõ niſi ambitu obtineat: id quod ita nõ eſſe co-*
9 *pioſiſſime Cicero docet.* ¶ † *Milo tenetur lege Cornelia*

Lex Cornelia de ſicarijs.

de ſicarijs. ] Lex Cornelia de ſicarijs erat, gladio vltore
perſequendum eſſe, quiſquis hominis occidendi cauſa cũ
telo inambularet, etiamſi me non latet, hac præterea le-
ge teneri & alios quoſdam: vt videre eſt apud iurecon-
ſultos, Pandectarum libro duodequinquageſimo, ad legẽ
Corneliam de ſicarijs, de qua dicemus & libro tertio.
¶ † Occidit enim Clodium. ] Monui ſuperius tres à rhe- 10
toribus enumerari cauſarum ſtatus, coniecturalem, fini-
tiuum, & qualitatis. Ergo ſi neget Milo Clodium à ſe oc-
ciſum eſſe, ſtatus erit coniecturalis, num occiderit: ſin ve-
rò fateatur quidem occiſum eſſe, cæterum id iure ſe feciſ-
ſe contendat, ac proinde non teneri lege Cornelia de ſica
rijs, ſtatus qualitatis erit, nempe iurè ne an iniuria occi-
ſus ſit Clodius: &, ecquis ita occidi poßit, vt is qui cædẽ
fecit, lege ea non teneatur. ¶ † Vt in Cluentij cauſa quæ- 11
ſtiones iudicij corrupti & veneficij. ] Duo enim cũ pri-
mis obiecta erant Cluentio: alterum, quòd iudicium id,
quo Oppianicus damnatus fuit, corrupiſſet pecunia: al-
terum quòd C. Vibium Capacem, & ipſum etiam Oppia
nicum iam exulem veneno ſuſtuliſſet. ¶ † Sed in Verris 12
repetundarum iudicio. ] De cauſa Verris dicemus libri
tertij capite duodecimo. Quod attinet ad legẽ repetunda

Lex repetundarũ.

rum, eã tulit Manlius Acilius Glabrio, adeò ſeueram, vt
ne comperendinari quidẽ ſineret reum. Poſtulabantur ea
lege maxime ij, qui magiſtratum gerentes, à prouinciali-
bus pecunias, ſigna, tabulas, nauigia, precioſa vaſa aut
veſtes, aliáq; eiuſmodi, ſeu vi ſeu dolo per iniuriam ab-
ſtuliſſent. Marcellus iureconſultus: Lex Iulia (inquit)
repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in ma
giſtratu, poteſtate, curatione, legatione, vel quo alio offi-
cio, munere, miniſterio 've publico acceperit, vel cum ex
cohorte, cuius eorum eſt. ff. ad legem Iuliam de repetun-

dis.l.lex Iulia.Porrò ne quem conturbet, quòd dixi legē
repetundarum latam eſſe à Manlio Acilio Glabrione,
cum apud iurecōſultos dicatur lex Iulia:fuit is mos Ro=
manis,vt leges eædem innouari apud eos ſolerent non=
nunquam,atque ita nomen quoque accipere illius, à quo
ſecundo aut tertio latæ eſſent.Cuius rei & Macrobius
meminit libro Saturnaliorum tertio,capite decimoſepti=
mo.Comperendinari autem (quando in eius etiam ver=
bi mentionem incidimus) Aſconius Pedianus ſic expli=
cat.Comperendinatio verò,inquit, vtriuſque partis re=
citatio eſt.Alij ſic annotant.Comperendinatio eſt ſecun=
da actio. Item Comperendinatio eſt ab vtriſque litiga= Cōperen
toribus inuicem ſibi denunciatio in perendinum diem. dinatio.
13 Hactenus ille.¶ †Apud Auſonium.] Extat hodieq́; ea
oratio,aut ſi epiſtolam dicere malis,qua is gratias agit
Romano principi Gratiano,pro demandato ſibi conſu=
14 latu.¶ †Vt Cicero,qui S. P. Q. R. gratias de reditu
ſuo agit.] Pulcherrimæ duæ hac de re Ciceronis extant
orationes,quarum altera ſenatui,altera Quiritibus gra=
15 tias agit,quòd ſe ab exilio reuocaſſent.¶ †Ariſtides,qui Ariſti=
Rhodo terræ motu ſubuerſa, ciues conſolatur.] Hunc des.
Ariſtidem rhetorem ac ſophiſtam fuiſſe tradunt Adria=
nopolitanum:vſumq́; eſſe præceptoribus,primum Pole=
mone illo Laodicenſi Symrnæ,deinde Athenis Herode:
qui & ipſi vnà cum hoc dicendi arte clari fuerunt, circa
tempora imperatorum M.Antonij & Commodi. Multa
dicitur ſcripſiſſe Ariſtides, ſed quorum mihi nihil adhuc
videre contigit,præter duas orationes,quarum alteri πα=
ναθηναϊκὸς nomen eſt,alteri ῥώμης ἐγκώμιον. Quā autē ora=
tione conſolatus eſt Rhodios, eam non modo ipſe non
vidi,ſed ne apud alios quidē quicquam de ea legiſſe me=
16 mini.¶ † Neceſſitas perſpicax eſt.] Quos enim premit

neceßitas, diligentes perſpicacesq́ eſſe ſolent paràdis ijs, quibus neceßitati atq́ indigentiæ ſuæ ſuccurrânt. Vnde illud Virgilij,

Tum variæ venere artes, labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Et apud Perſium:

Quis expediuit pſittaco ſuum χαῖρε?
Coruos quis olim concauum ſalutare,
Picasq́ docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis ingeniq́ largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

¶ †Nec docenda eſt fames.] Nemo inquit docendus eſt quando eſuriat. ſiquidē fames ipſa ſeſe in occulto eſſe non ſinit. Vnde & hodie in prouerbio eſt, acutißimum gladium, eſſe famem. Et Græcus ſenarius : λιμῷ γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἀντιτεῖνον ὅπλον. ¶ † Et in ipſo vt dicitur ictu.] Statim poſtquam acceptus eſt dolor. Ductum à ſaucijs, ſeu vulneratis. ¶ †Aut ſi quis tum conſolationis eſt capax, is conſolatione non eget.] Simulat enim dolorem, cum re vera nō doleat. quod qui faciunt, ad tumulum nouercæ flere dicuntur. ¶ †Apud Thucydidē Pericles.] Extat hæc Periclis oratio apud Thucydidē belli Peloponeßiaci libro ſecundo. Porrò hic eſt Pericles ille Athenienſis, de cuius eloquentia tam multa paßim apud authores leguntur: qui fulgere, tonare, ac permiſcere Græciam dictus eſt. 17 18 19 20

Pericles.

¶ Quomodo quæſtio vna diducenda in plures.

CAPVT. XI.

Quomodo quæſtio vna in plures diducat.

QVemadmodū autem, ſicuti modo oſtēdimus quæſtio quādoq; latet, & ratione quadam eruenda eſt, ſic alius eſt labor propoſitā iam quæ-

ſtionẽ in multas quæſtiones (quas intra ſe ple-
runq; cõplectitur) diducere. Perſępe eñ quæ-
ſtio quæ in ſpeciẽ ſimplex eſt, vi atq; effectu in
multas dilabitur quæſtiones. Id quomodo fiat
dicemus. Diuiditur igitur quæſtio in plures *Vnã quæ*
1 quæſtiones, † quæ trahũtur, vel ex verbis quæ *ſtionem*
poſita ſunt in quæſtione: vel ex eis quæ verbis *duobus*
2 cõtinentur. Ex verbis, vt qui quęrit, † an Cato *modis in*
recte tradiderit Martiã Hortẽſio. Quæſtio eſt, *plures di*
ex tribus quæſtionũ generibus illis quę prima *duci.*
poſuimus ſecundi generis, id eſt, an hoc ſit il- *Pluralis*
lud. Præcedat ergo oportet, an eſt quęſtio, quã *tas quæ*
per omnia verba ꝓpoſitæ quæſtionis ducere *ſtionũ ex*
poſſumus, hoc pacto, an fuerit Cato, an fuerit *verbis.*
3 Hortẽſius, an fuerit Martia, † an ſit etiã rectũ.
Nanq; nõ defuerũt philoſophi, qui nihil neq;
rectũ neq; prauum eſſe per ſe dicerẽt in rebus.
De verbo autẽ (tradiderit) nõ eſt qđ forme-
tur fortaſſe quęſtio an eſt: quia eſt verbũ, quod
qdẽ ſemper pronũciati prædicatũ eſt. de quo-
cunq; autẽ dicetur, ſemper faciet quęſtionẽ, an
hoc ſit illud. Neq; tamen credat quiſquã, per
omnes has eũdũ eſſe quæſtiones. Sed admone
mus in præſentia, quã multæ ex vna poſſint eli
ci quæſtiones. Iudicij autẽ eſt videre deinde,
quæ quæſtionũ illarũ habeat aliquid, quod ſit
propoſito noſtro conueniens. Quemadmodũ
enim in hac quæſtione, iſta quę diximus, inqui
rere ineptum ſit, & ſuperuacuum: ita eſt alias

dare quæſtiones, in quibus plurimum loci ſibi
vendicent. Vt, ſi quæratur †, vicerit' ne Ama- 4
zones Hercules. Primum quæras, an fuerint
Amazones, an fuerit Hercules. Sic etiã, † an 5
pugnent cum gruibus Pygmæi. non abſurdũ
erit primum quærere, ſint' ne Pygmæi.

¶ Vbi ergo quæſtionẽ an eſt, explicuerimus, proximũ eſt, vt partes quæſtionis ꝓpoſitæ coniungamus. Primũ eſt ergo, an Cato tradiderit Martiã. Deinde, an Hortẽſio tradiderit eã. Poſtremũ, id quod ſumma quęſtionis complectitur, an recte tradiderit. Hæ quęſtiones ergo hactenus omnes poſitæ ſunt in verbis.

*Pluralitas quæſtionũ ex his quæ verbis cõtinentur.*

*Contẽta verbis neceſſario.*

¶ Quæ cõtinentur autẽ in verbis, duplicis ferè ſunt generis. Quædã enim neceſſario cõtinentur in verbis, quẽadmodũ genus ſpecie continetur, aut alioquin quæ certũ definitumq́ eſt ineſſe verbis. Alia cõtinentur velut ex cõditione quadã, & nõ neceſſario. Ea cuiuſmodi ſint, facilius exempla oſtenderint. Catonis ergo nomine, quoniam nihil aliud eſt Cato quàm hic homo, velut genus homo continetur. Tradendi verò verbum, tria neceſſario complectitur. Quiſquis tradit enim aliquid, habeat primum oportet, deinde dimittat, tum cõferat alteri. In Martia (quoniam id nomen iſto loco pro hac ſingulari vxore ponimus) vxor in commune intelligitur. In Hortenſio, quemadmodum in Catone, hominẽ accipimus. In recte nomine,

quia

quia generaliter ponitur, nõ eſt quòd aliud in eo quæramus. Verũ, quia aduerbiũ eſt, & tradendi verbum ponitur, videtur poſſe ferri ad ea, quæ verbo illo clauduntur. Vt, an recte habuerit, recte dimiſerit, recte alteri conceſſerit. Erit igitur prima quæſtio ex generalib9 omnibus, hoc pacto. An quiſquã recte tradiderit vxorem ſuã alteri. In qua continentur adhuc, an quiſquã habuerit vxoxem, an habuerit recte, an dimiſerit, an recte dimiſerit, & an tradiderit. Nam, an recte tradiderit, ipſa totius generalis quæſtionis eſt ſumma. Hinc paulatim pro generibus ſpecies ſubiicimus: proq; eo, qđ (an quiſquã) diximus, dicimus iam an Cato. Iterumq; omnia de illo, qnemadmodũ de genere quærimus. Vt ſit, an Cato habuerit vxorem, an Cato habuerit recte. Reliquaq; in hunc modum, quæ ſequuntur. Deinde, pro vxore, hanc vxorem, id eſt Martiã ponimus, ſimilisq; rurſus fit ordo, an Cato habuerit Martiam, an recte eam habuerit, an dimiſerit eam, eodẽ ſanè ordine quo prius. Poſtremo, pro eo quod vltimo loco poſitum erat, an alteri homini, ponimus Hortenſium: fitq; quæſtio, an Cato tradiderit Martiam Hortẽſio. Vltima hinc ſequitur ea, quæ primum propoſita eſt. An recte Cato tradiderit Martiã Hortenſio. Quæſtiones ergo quæ in verbis neceſſario clauduntur, in hunc ferè inueniuntur modum.

A

*Quæ ex cõditione quadam verbis cõtineãtur.*

¶ At quæ cõditione quadam in verbis latent, eæ ſunt, quæ fiunt de his, quæ propoſitã quæſtionẽ ab eo, †quod propoſitũ antea, id eſt θέσιν 6 diximus, deflectũt eò, vt fiat ὑπόθεσις, id eſt controuerſia. Si quis enim Catonẽ accipiat, vt ſit hic homo, neq; ferat aliò mentẽ, nihil intererit, de Catone quæramus, tradiderit´ne recte, an generalẽ faciamus quęſtionẽ, an quiſquã recte tradiderit. Cũ circũdamus autẽ Catoni ea, quę dicuntur de illo: talemq́; effingimus eũ, qualẽ nobis qui res ſcripſerũt tradũt fuiſſe, id eſt, nõ ſolũ hunc aliquem hominẽ, quod neceſſario fuit: ſed ciuẽm Romanũ, & Senatorij ordinis, & Stoicæ ſectæ philoſophũ, ſpectatæ ſeueritatis, quæq́; reliqua eſſe in Catone in cõfeſſo eſt: quot ſunt illa quę tribuuntur hoc modo Catoni, tot poſſunt fieri quæſtiones. Vt, an ciuis Romanus recte habeat vxorẽ, recte omittat, recte tradat alteri. An ſi Senatorij ſit ordinis, hęc eadem recte faciat. An ſi philoſophus, an ſi Stoicæ ſectæ: perq́; reliqua, quæ nõ neceſſario ſunt in Catone, ducũtur quæſtiones eo ordine, quo ꝓpoſuimus, cũ eas quæ neceſſario inſunt verbis, paulò antè ordinaremus. Deinde in verbo tradiderit inſunt, quã ob cauſam tradiderit, quomodo, quo tẽpore, quo loco, quęq́; alia in ipſo tradẽdi actu poterũt per cõditionẽ aſſumi. Poſt hæc ex Martiæ perſona quæritur, an debuerit nobilẽ mulierẽ habere, dimittere, tra-

dere alteri:an opulentam,an vitæ genere con‑
cordem,an pudicitia conſpicuam,an trium ex
ipſo liberorum matrem. Tum demũ ex Hor‑
tenſio quærimus itidem,quæ inſunt illi : an re‑
cte tradiderit nobiliori, liberius viuenti, con‑
ſulari,opibus,gratia,facundia claro.

¶Et vt ſemel dicamus, omnia argumẽta quæ primum ex re ducũtur, ſi dubia adhuc probãdaq; ſunt,in quæſtionẽ vertuntur.Si dicas em̃, philoſophus nõ recte dimittit vxorẽ, nõ ergo Cato recte dimiſit vxorẽ.argumentũ eſt quod dicitur, philoſophũ nõ recte dimittere vxorẽ. Quod ſi iam in dubiũ vocetur,quemadmodũ poteſt id copioſe lõgaq; oratione diſputari, an philoſoph9 recte dimittat vxorẽ, quæſtio erit primæ ſubſeruiẽs quęſtioni.Hinc fit,vt nõ eędẽ quęſtiones oriãtur ſemper ex vtraq; parte diſſerẽtibus: ſed proinde vt hæc, vel illa pars, plura habuerit pauciora ve firmamẽta ei9 qđ tuetur,plures etiã naſcẽtur pauciores ve quęſtiões. Quod in hac cõtrouerſia haud difficile *Argumẽtũ de quo dubitet, verti in quæſtionem.*

7 erit videre.†Alexãder ſubuerſis Thebis, Theſſalis quorũ erat vſus cõmilitio,tabulas inuentas dono dedit, qbus cõtinebatur, Theſſalos centũ talenta mutuo à Thebanis accepiſſe.Re‑

8 ſtitutis poſtea † à Caſſandro Thebis, Thebani

9 Theſſalos † apud Amphictyonas centũ talenta repoſcũt. quæſtio eſt, an debeant Thebanis Theſſali centũ talenta. Ex Theſſalorum parte,

ſi videamus quid ſit, quo ſe defendũt, aperta erit quæſtio. Negant debere ſe. Atqui accepiſſe eos, & non reddidiſſe certũ eſt. Quid dicunt ergo? Dono ea ſe accepiſſe ab Alexãdro. Quęſtio igitur erit, an Alexander Theſſalis donauerit centũ talẽta debita Thebanis: quod cum probatũ fuerit, nihil habebunt Thaſſeli, quod amplius ex ſua parte dicant. Reliqua em̃ oĩa, quæcunq; diſputabuntur, ab aduerſario poti9 naſcentur: qui quæret, an potuerit Alexander dare ius crediti, rem incorporalẽ, & quæ venire in arbitriũ victoris non poſſit. Primũ ergo quæretur, an dederit. Et quia tabulas dedit, an idem valeat tabulas dare quod debitũ: quę quidem quęſtio ex Theſſalorũ defenſione (vt diximꝰ) naſcitur. Deinde, an iure dederit, quæ poteſt per generales quęſtiões diuidi, an quiſquam iure poſſit auferre rem alienã, an donare alteri, an Alexãder, an à Thebanis, an Theſſalis donare. Sequitur hinc alia quæſtio ex conditione propoſita, quæ ſumitur ex reſtitutione. An ſit perinde habẽda reſtitutio, ac ſi nihil eſſet actũ omnibus his, quæ præceſſerũt eã. Videmꝰ hic nihil habere Theſſalos, quod tãquam propriũ dicant, quodq; robur ſit cauſæ ſuæ, niſi id quod initio dixi, quòd Alexander donauerit. Reliquæ omnes quæſtiones ex cõtradictione Thebanorũ oriũtur. Communiter tamen vtriq; parti diſputandæ ſunt. Neq; em̃

poteſt quiſquam ſatis conſtanter ſua confir-
maſſe, niſi quæ dicuntur ab aduerſario diligē-
ter confutauerit. ¶ Sunt autem aliæ quęſtio-
nes, aliis fœcundiores, & quæ in plures ſpargi
quęſtiones poſſunt. Alię tenuiores ſunt, & mi-
nus (vt ita dicam) ſinuoſæ. Magni autem eſt
acrisq́ in primis iudicii, videre quas ex pri-
mis quæſtionibus deductas diſputandas acci-
piam⁹. Pleræq́ eiuſmodi ſunt, vt nihil, aut mi-
nimum ſummæ rerū afferant, exequiq́ eas fa-
ſtidium potius quàm fidem paret. Aliæ cōtrà
ſunt, quæ totum prope euentū intra ſe victo-
riæ continent. Circa quas diligentiſſimus incū-
bit diſſerenti labor. Cicero in quinq́ Tuſcula-
narum diſputationū libris, cum ſolum (quan-
10 tum mihi videtur) id efficere voluiſſet, † ſolā
ab bene beateq́ viuendū ſufficere virtutē: vi-
debat plurimum ad id docendum adiumenti
ſibi collaturum, ſi docuiſſet animorū immorta
litatem. Quia tamē id difficile probatu vide-
bat, ſubiecit homo ingenioſiſſimus in locum
11 eius, id quod proximum erat, † nihil mali eſſe
in morte. Ex quo velut excurſu quodam dela
tus eſt eò, vt tentaret efficere, quod præcipue
cupiebat, nō interire animos. Quod iam ſi mi
nus poſſet obtinere, ne nihil tamen egiſſet, id
12 peruincebat vtiq́, malū nō eſſe mori. † Hinc
iam trib⁹ ſequētibus libris ſubdidit, nō cadere
dolorem in ſapientem, non ægritudinem, non

*Non oēs quæſtiones, ex principali quæſtione ortas, diſputari debere, ſed eas tā tum, quæ plurimū faciūt ad probationem.*

*Inſtitutū Ciceronis in Tuſculanis quæſtionibus.*

perturbationem. Quæ cum probata ſunt, quis non videt facillimũ permanere ad probãdũ, ſi mors non eſt mala, ſi reliqua quæ mala putãtur, non cadunt in ſapientem, ei cui hæc mala non ſunt, virtutẽ ſummũ eſſe bonũ? Sic ſi quis

*Manium apparitiones.* quærat, an manes nocturnis moleſti apparitionibus, poſſint carminibus coërceri. Primũ 15
vtique fuiſſet in hac quæſtione excutiendũ priſcæ philoſophiæ, quod toti⁹ diſputationis difficillimum fuiſſet, an ſint vlli manes. At nobis religio hanc quæſtionẽ ſuperuacuã fecit, quãdo fide certum eſt, animas non interire. Deinde eſt id quod nobis nunc eſt primũ, an appareant. Nam & hoc multi non putauerunt, ſed vanã ex noſtra cogitatione, vel metu imaginẽ ſimulachrumq́ capere. Poſt hæc, an noctu poſſint apparere: cũ etiã ea quæ natura conſpicua ſunt, deliteſcant. Iam ſi manes ſunt, quomodo poſſint eſſe moleſti: videtur ẽm ſi quid noxiũ habuerint in natura, id ẽ corporib⁹ fuiſſe, idq́ depoſuiſſe cũ corporibus. Hinc iam ſequitur, an poſſint vlla ope humana coërceri, an poſſint quicquam carmina, an poſſint eos coërcere carmina. Hæ autem quæſtiones oẽs, in ipſis primæ quæſtionis ſunt poſitæ verbis: qđ ipſa res indicat. At in priore Ciceronis quæſtione, quatuor illæ quatuor librorũ quæſtiones includuntur in vno eo verbo (ſolã) in quæſtione poſito. Si enim ſolam virtutem ſufficere ad

beatè viuendum docendum eſt, prius oſtendatur oportet, mortem malum non eſſe. Si cũ ea mala ſit, opus erit ad beatam vitam immortalitate. Deinde, dolor ſi malus eſt, cadit in ſapientem, deerit rurſus aliquid voto ipſius. Cicero igitur conatus eſt docere, non cadere eũ in ſapientem: quod vt ſplendidius erat, ita impetrabilius forte fuiſſet. propiusq́ fidem, non eſſe malum dolorẽ: ægritudinem autẽ, & perturbationem, ſi non veniunt in ſapiẽtem, nihil omnium extra ſe expetendũ eſſe ſapienti, propter quæ iſta ſuſcipiuntur, oſtendunt. Ergo nudus iam ſapiens, nudæ relinquetur virtuti.

14 †Sed de quæſtione, quotuplex ſit, & quomodo ſtatus quæſtionum, quomodo etiam nonnunquam ipſa quæſtio inuenienda ſit, & vna in plures diducẽda quæſtiones, hoc pacto nobis ſit explicatum.

SCHOLIA IN CAPVT XI.

1 *Q†Væ trahũtur vel ex verbis.*] *Ex verbis quæſtiones ducuntur, quoties verba ipſa quæſtionis principalis, vel ſeorſum ſingula inſpicimus, vel quædam eorum cum quibuſdam conferimus. Cõtineri verbis dicuntur illa, quæ cum rebus eis, quæ verbis*
2 *ſignificantur, certo quodam nexu cohærent.* ¶ †*An Cato recte tradiderit Martiam Hortenſio.*] *Huius facti*
3 *mentionem fecimus, capite huius libri octauo.* ¶ † *An ſit etiam rectum, nanque non defuerunt philoſophi, qui nihil, neque rectum, neque prauum eſſe per ſe dicerent in rebus.*] *Ab hac ſententia non ita multum* An aliqd rectũ p ſe.

Lib. 17. abhorrent, quæ in ſympoſio Platonis dicit Pauſanias.
cap. 20. Cuius verba Au. Gellius hunc in modum Latina fecit:
Omne, inquit, omnino factũ ſic ſeſe habet. Neq; turpe eſt
quantũ in eo eſt, neq; honeſtũ: velut eſt, quas nũc facimus
ipſi res, bibere, cãtare, diſſerere. Nihil nãq; horũ ipſum ex
ſeſe honeſtũ eſt. Quale cũ fieret modo factũ eſt, tale extiſ-
tit. Si recte honeſteq; factum eſt, tum honeſtũ fit: ſin parũ
recte, turpe fit. Sic amare, ſic amor non honeſtus omnis,
neq; omnis laude dignus, ſed q facit, nos vt honeſte ame-
Amazones. mus. ¶ †Vicerit nc Amazones Hercules.] Strabo libro 4
vndecimo inter fabulas refert, quæ de Amazonibus di-
cuntur. Nomen habent à priuatiua particula α & μαζὸς,
quod mamillam ſignificat: eò quòd mamillã dextrã inde
à pueritia vſq; aduſtam haberent: quò ſi quando poſceret
vſus, expeditius eo brachio vterentur. Quæ loca tenue-
rint, non vſquequaq; inter authores cõuenit, neq; in iiſdẽ
ſemper locis manſere. Aiunt fuiſſe genus mulierum, quæ
ſine viris, atq; adeò in contemptũ quendam virorũ, per ſe
rempub. adminiſtrarint, bella geſſerint, alijs etiam impe-
rarint. Harũ reginã quandam, inter cæteros labores ſuos
fertur viciſſe Hercules, baltheumq; ei ablatũ Euryſtheo
Pygmæi num pugnent in grues. tradidiſſe. ¶ †An pugnent cum gruibus Pygmæi.] Pli- 5
nius libri ſeptimi capite ſecũdo: Super hos, inquit, extre-
ma in parte montiũ Spithamæi Pygmæi narrãtur, ternas
Spithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrãtes nõ exce-
dentes: ſalubri cælo, ſemperq; vernãte, mõtibus ab Aqui-
lone oppoſitis, quos à gruibus infeſtari Homerus quoq;
prodidit. Fama eſt inſidẽtes arietum caprarumq; dorſis,
armatos ſagittis, veris tempore vniuerſo agmine ad ma-
re deſcendere, & oua pulloſq; earũ alitũ conſumere, ter-
nis eam expeditionem menſibus cõfici, aliter futuris gre-
gibus non reſiſti. Caſas eorum luto penniſq; & ouorum

putaminibus conſtrui. Ariſtoteles in cauernis viuere
6 Pygmæos tradit. ¶ † Quod propoſitũ antea, id eſt, theſim
7 diximus.] Lege caput octauum. ¶ † Alexãder ſubuerſis
Thebis.] Sumptũ exemplũ ex quinto libro inſtitutionũ
Fabij. Tractat idẽ Eraſmus in copia, & in Pandectas ſcri
8 bens Budæus. ¶ † A Caſſandro.] Hic vnus fuit ex duci- Caſſander.
9 bus Alexãdri, qui illo mortuo Thebas reſtituit. ¶ † Apud
Amphictyones.] Amphictyones, inquit, Budæus, conſeſ- Amphictyones.
ſus quidã fuit Græcus, apud Thermopylas cõuenire ſoli-
tus: ab Amphictyone Deucalionis filio ſic dictus, qui &
ipſe populos cum regnaret, ad cõuentus conuocaſſe dici-
tur &c. Lege Budæi annotationes in Pandectas, &
10 Eraſmi Chiliadas. ¶ † Solam ad bene beateq; viuendum
ſufficere virtutẽ.] Hoc docet Cicero Tuſculana quinta.
11 ¶ † Nihil mali eſſe in morte.] Id prima Tuſculana varijs
12 argumentis oſtenditur. ¶ † Hinc iam tribus libris ſequen
13 tibus.] Id eſt Tuſculana ſecunda, tertia, quarta. ¶ † An
manes nocturnis moleſti apparitionibus poſſint carmini
bus coërceri.] De hac manium apparitione nouũ eſt mi-
raculum in epiſtola quadã Plinij. Quæ autem & quantæ
ſint vires carminum, ſeu incantationũ, explicat in Phar-
maceutria Virgilius. Et apud Pliniũ, de verbis & incan-
tamentis carminum, caput eſt libro vigeſimooctauo.
14 ¶ † Sed de quæſtione quotuplex ſit.] Epilogus eſt eorum Epilogus dictorũ.
quæ de quæſtione dixit. Quæ quoniã multa ſunt, & diſ-
fuſe tractata, age nos quoq; velut enumeratione quadã
omnia in memoriam reuocemus.

¶ Quæſtio, eſt cum interrogatione elata oratio, ad quam Quæſtio quid.
ita eſſe, aut non eſſe reſponderi queat.

¶ Ea, quomodo ex ſententia Rodolphi diuidatur, ſubie- Quæſtionum diuiſio.
cta indicat deſcriptio.

¶ Quæſtionum diuerſitas ſumitur trifariã.

- Primũ ex parte ipſarũ rerũ: Atque ita duo earũ ſunt genera
  - Vnum ſimplex qđ ex ſimplici pnũciato naſcitur: ſuntq; tres eius differẽtiæ.
    - Aut enim quærimus an ſit res.
    - Aut num hoc ſit illlud.
    - Aut quõ hoc ſit illud, qđ eſt rurſum quadruplex. nam id quod prædicatur,
      - Aut eſt finitio,
      - Aut genus,
      - Aut proprium,
      - Aut accidens.
  - Compoſitũ, qđ eſt duplex.
    - Copulatum, vt voluatur'ne cælũ, & terra quieſcat.
    - Diſiunctum, Sit'ne aut dies, aut nox.
- Deide ex mõ quærẽdi: atq; hinc duplex orit̃ diuerſitas.
  - Prior, qua quæſtionũ.
    - Aliæ prædicatiuæ dicũt, vt ſit'ne homo bipes.
    - Aliæ cõditionales, an ſi quis currit, is & mouet.
  - Altera, qua quæſtionum
    - Aliæ puræ ſunt, vt an ſit anima immortalis.
    - Aliæ modales, in quibus aliquis horum quatuor ineſt modorũ, poßibile, contingens, impoßibile, neceſſarium.
- Poſtremo, pro diuerſitate artium ad quas pertinent, quomodo tanta quæſtionũ diuerſitas ſit oportet, quanta ipſarum eſt.

¶ Iam quiſquis ſcribit aut dicit, quæſtionem aliquam tractat.

¶ Ea in altercationibus tum apparet, cum quod alter affirmat, id alter negat.

¶ In cæteris orationibus inueniri ſic poteſt, ſi perſonam, rem, & conatum inuicem comparemus.

¶ Præterea quæſtiones eæ, in quas prima quæſtio diducitur, partim in verbis ipſis poſitæ ſunt, partim in ijs quæ verbis continentur. Verbi cauſa:

¶ Prima quæſtio eſt:

An recte Cato Martiam Hortenſio tradiderit.

¶ Quæſtiones incluſæ in verbis:

An fuerit Cato, an Martia, an Hortenſius, an ſit aliquid rectum, an Cato Martiam tradiderit, an tradiderit eam Hortenſio, an recte Cato Martiam Hortenſio tradiderit.

¶ Quæſtiones incluſæ ijs quæ verbis continẽtur.

An homo quiſquam vxorem habuerit, an recte habuerit, an dimiſerit, an recte dimiſerit: an tradiderit alteri, an recte tradiderit. Deinde, num Cato vxorem habuerit, num recte habuerit: num dimiſerit, num recte dimiſerit: num tradiderit alteri, num recte tradiderit. Hinc iam ecquid Cato habuerit Martiam, ecquid eam dimiſerit, ecquid eam tradiderit alteri, ecquid Hortenſio: & vnumquicque iſtorũ, recte an ſecus. Inde iam poſtremo loco ſequuntur illa. An ciuis Romanus, ſenator, philoſophus, & quidẽ Stoicus, homo ſeuerus: habuerit, dimiſerit, tradiderit: & an recte habuerit, dimiſerit, tradiderit: vxorẽ, atq; hanc quidem nobilem, iuuenem, pudicam, denique Martiam: homini alteri, nobiliori, liberalius viuenti, conſulari, diuiti, gratioſo, eloquenti: idq; hoc tempore, hoc modo, propter has cauſas. Quæ tam latè diduxit Rodolphus,

*nō quòd omneis haſce quæſtiones explicādas exiſtimet, ſed vt ex multis, ea quæ noſtro potiſſimū inſtituto cōmoda fore videant, eligamus. Atq; hactenus de quæſtione.*

## ¶DE INSTRVMENTO DIALECTIC.

*¶Inſtrumentum dialectices eſſe orationem, & quomodo ea diuidatur.*

### CAPVT XII.

*Inſtrumē tum dialecticæ eſſe orationē.*

PROXIMVM eſt, vt quia de materia dialectices, hoc eſt, quæſtione diximus, nunc de inſtrumē to ipſius ꝓſequamur, inſtrumentū autē eius eſt oratio. Per eam nanq; qui diſſerit, fidem conatur facere de illo quod ſibi docendum aſſumpſit. ¶Orationis multæ poterāt fieri diuiſiones, nobis duę maxime ſufficiēt, quarum altera ā ſtructura ipſius accipitur, altera

*Prima orationis diuiſio in conciſam & continentem.*

ab effectu. ¶ † Struitur autē omnis oratio, aut 1
ſic, vt continens ſit: aut vt ſit conciſa. Continēs eſt, quales ſunt oratorum actiones, laudationes, hortationes. Conciſa, vt diſputationes, & alternantia ſcholaſticorum certamina. Hanc zeno contractæ in pugnū palmæ, illā explicitę manui ſimilem dicebat. Et illam quidē perpetuam orationem vocant, attribueruntq; eā rhetori: hanc vero in foro altercationem, volueruntq; propriam eam dialectices eſſe. † Equi- 2
dem cum poſſit vtraq; oratione & conciſa, & perpetua, probabiliter ornateq; dici, vtrāque etiam ad dialecticum communiter & rhetora

*Tam cōtinentē q̄ conciſam orationē cōmuniter & ad dialecti-*

3 crediderim pertinere :† cum antea rationem *cũ & ad*
probabiliter diſſerendi dialectico:ornate, rhe *rhetorem*
4 tori aſſignauerim.† Ergo & in foro ingens *pertine-*
etiam ſemper fuit oratoribus in altercationibꝰ *re, ratio*
labor:ſeu cum teſtem interrogarẽt, ſeu cum ex *prima.*
perpetuæ dictionis decurſu in id ſunt delati, *Secunda.*
vt per ſingula argumenta premerent aduerſa-
rium, vel illius ſilentio cõfeſſionem exprime-
rent. Vnde & editas adhuc in eum vſum à *Tertia.*
Quintiliano altercationes videmꝰ. Comici ve *Quarta.*
ro & tragici poëtæ, quod nemo negauerit, ci-
uili orationis generi, ſi illud proprie rhetori-
cum eſſe volumus, magis ſunt vicini, quàm
ſcholaſtico philoſophorum: qui tamen ipſi, in-
terciſa conſtant oratione. Contra, quæcunq; fe
rè Ariſtoteles, permultiq; alii præclari in philo
ſophia nominis ſcripſerunt, perpetuo oratio-
nis connexa ſunt textu. Sed & alius dialogo *Quinta.*
eandem rem, alius vnius tantum perſonę ora-
5 tione tractauit. Vt de amicitia† Cicero in Læ-
lio perſonas alternis dicentes induxit, Ariſto-
teles in ethicis eandem rem ſuis ipſe verbis eſt
executus. Hæc idcirco dixi, quia de oratione
& partibus eius dicturus ſum nonnulla, quæ
ſolent etiam à rhetoribus explicari: ne quis ea
cum legat, egreſſum me terminos inſtituti mei
credat. Cum enim ſit (quod ſæpe iã diximꝰ) *Sexta.*
dialectices munus, accommodatè ad fidem
pro cuiuſque rei natura diſſerere: fatendum

vtiq; erit, quoniã id oratione velut inſtrumẽto fit, quacunq; id oratione fieri poſſit, eã dialectico intra artis ſuæ inſtrumẽtum eſſe numerandam. ¶ Nec ego tamen negauerim multum hæc duo orationum genera diſtare, cum ſint inſtantiora magisq; vrgeant conciſa, & pluriũ vtiq; fraudum ſint capacia, earũ maxime, quæ aduerſario laqueis captioſarum interrogationum ſtruuntur. Quo fit, vt perſæpe oratores in perpetuis actionibus, ſi quando acrius premunt aduerſarium, imitentur altercantem, interrogentq;, ecquid habeat quod reſpondere velit? quid poſſit iſtis contradicere? Perpetua vero dictio, tractu æqualitateq; ſua iudici eſt aptior: vt qui nõ adeò quæ prorſus ſunt vera, ſed è duobus magis ſequatur veriſimiliora dicentem: quiq; ex toto orationis complexu, omniumq; eorum quæ dicuntur comparatione, accipere malit, quid probet aut auerſetur: aduerſarios vero nihil vellet prætermiſiſſe, quod ipſum offendere poſſet: ſed potius ſtatim vnumquicq; apprehendere cupiet, ſingulisq; inſiſtere, neq; quicquã è manibus niſi vi dicentis abreptum dimittere. Eſt itaq; (vt ſic dicã) in perpetua oratione veritatis color plerunq; ſpecioſior: in altercatione diſquiſitio exactior. Qualeſcunq; tamen ſunt orationũ iſtæ differentię, quia vtraq; docemus, vtraq; intra dialectici veniet tractatum. ¶ Alterã orationis

*Continẽs & conciſa oratio quo differant.*

diuiſionem ab orationis effectu diximus acci- pi. Is eſt, docere, quoad eius fieri poterit. Qui docetur autem, aut paratus eſt credere, aut eſt orationis vi cogendus. Sic & oratio, aut ſatis habet explicare rem de qua dicit, cuiuſmodi ſit, ſecura fidei opinionisq́ue eius qui audit: aut talem eſſe peruincere etiam renitente auditore conatur. Illud expoſitione fit, iſtud argumẽta- tione. Omnis igitur oratio, & prorſus omne quicquid dicitur, aut expoſitio erit, aut argu- *Secunda orationis diuiſio, in expoſitionẽ & argumentationem.*

6 mẽtatio. † Expoſitionem priore libro diximus eſſe orationem, quæ ſolã dicentis mentem ex- plicat, nullo quo fides audienti fiat adhibito. Argumẽtationem vero orationem, qua quis *Expoſitio.* *Argumẽtatio.*

7 rei de qua dicit fidem facere conatur. ¶ † Inter narrationem & expoſitionem, argumentatio- nem item & confirmationem, nulla ſane eſt dif ferentia: niſi quòd narrationem & cõfirmatio- nem, duas orationis partes facimus, quibus certus eſt in cauſis locus. expoſitio autem & argumentatio, generalia ſunt nomina: & in procemio ſæpe exponimus, ſæpe argumenta- mur: & in narratione interim argumentamur, & in confirmatione exponimus, & in perora- tione itidem vtrunq́ue nonnunquam facimus. itaq́ue vt quàm minimum confunderemus no- mina iſta cum illis, placuit hæc ſic potiſſimum nominare: quanquam ſit ea nonnunquã apud authores inuenire confuſa. Expoſitio ergo *Expoſitio.*

(quemadmodũ dicimus)eſt,quę rem recenſet
ſolũ talem aliquã eſſe,velut credenti auditori.

*Argumẽtatio.*

Argumẽtatio,quæ talem eſſe rem ratione per-
uincere nititur. Vt ſit expoſitio. † Vrbs anti- 8
qua fuit , Tyrij tenuere coloni , Carthago.
quæq; ſequuntur. Cauſas enim propter quas
oderat Æneam Iuno,recẽſet poëta. Eaſq; ſi ſic
accepiſſet,vt dubiũ faceret, an odiſſet Æneam
Iuno,harumq; cõmemoratione cauſarũ vellet
id docere,argumentatio eſſet.Nunc quia odiũ
Iunonis velut certum indubitatumq; ſumitur,
cui cauſæ ſubduntur,non vt oſtendatur odiſſe
Æneam Iuno, quippe pro certo id eſt, quem-
admodum diximus:ſed propter quas odium
ipſum prouenerit, expoſitio eſt. Quod ſi iam
conuertamus orationẽ,dicamusq;, non dubiũ
eſt quin oderit Æneam Iuno, quoniã Cartha-
ginem amabat,cui exitium ab Æneæ poſteri-
tate venturũ erat,& quia contra Troianos ſte-
terat pro Argiuis ſuis in bello, & reliqua quæ

*Idem expoſitionẽ & argumentationem eſſe poſſe, mutata tantum orationis forma.*

poëta ſubdidit,argumẽtatio fiet.Vt obiter ad-
moneamus, idem quandoq; expoſitionem &
argumentationem,mutata tantũ orationis for
ma, fieri poſſe: † cum poſſit idipſum & cauſa 9
rei eſſe, & ratio. In præſentia dico rationẽ, per
quam res cognoſcitur: cauſam, per quam eſt.
Ergo ſi quis, cum videat deficere lunam, diſſe
ratq; id euenire, quoniã terra interpoſita ſit in-
ter ſolem & lunam, excludatq; radios ſolis, ne
miſſi

miſſi ad lunam illuſtrare poſſint eam fulgore
ſuo:cauſam dicet,expoſitioq; erit. Si quis autē
cum videat lunam deficiētem, probet terram
interpoſitam eſſe inter ſolem & lunā, quoniā
aliter deficere luna non poſſit,rationem tātum
reddet. At ſi cras defectum ire lunā prædices,
idq; oſtendas,quia doceas terram inter ſolem
& lunam interuenturā:idem iam hic interuen-
tus terræ inter ſolem & lunam,cauſa erit defe-
ctus lunæ,quia per eam eueniet:& ratio quoq;
fiet, quia per eam euentura eſſe cognoſcetur.
Argumentatio autē eſt, quod paulò pòſt ſub-
10 iecit poëta.†Mene incepto deſiſtere victā?Nec
poſſe Italia Teucrorū auertere regem? Et reli-
qua. noti enim ſunt loci. Nō dicit Iuno ſibi ipſi
tanquam credēti, nolle ſe deſiſtere propoſito:
ſed addita ratione, docet ipſa ſe, quare indi-
gnum ſit vt deſiſtat:hortaturq;, vt in ſententia
permaneat. Huius autem admonendū vide-
11 tur,† nōnunquam in expoſitionem venire ar-
gumentationem,& ſæpius in argumentationē
12 expoſitionem venire.† Eaq; ſi per ſe accipian-
tur, poterit quicq; vocari idipſum,quod eſt.
13 Argumentatio erit itaq;.†Aſſenſere omnes,&
quæ ſibi quiſq; timebat Vnius in miſeri exitiū
conuerſa tulere. Quo magis enim potuiſſet
probare,omnes aſſenſiſſe, quàm quòd gaude-
14 bant ſecuritate ſua? † Ita apud Ciceronem pro
Milone. Seruos ex Appennino deduxerat,

*Cōmiſceri argumentatio nē & expoſitionem.*

quos videbatis : res enim erat minime obſcu-
ra. Et paulò pòſt iterum. Quam vocem eius
ad hũc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.
Et iterum. Vt ante ſuum fundum (quod re
intellectũ eſt) Miloni inſidias collocaret. quæ
omnes argumẽtationes ſunt, breues quidem,
ſed argumentationes tamen. Contrà inter ar-
gumentãdum expoſitio eſt.† Vt pro lege Ma- 15
nilia, rerum à Lucullo contra Mithridatem ge
ſtarum.† Item pro Murẹna explicatio inſtitu- 16
torũ philoſophiæ Stoicæ, quam Cato ſectaba-
tur.† Et pro eodem, verba minæq; L. Catilinę, 17
& in domeſtica concione, & in ſenatu iactata.
Laudationes ſæpe vituperationesq;, totæ pro-
pemodum expoſitione conſtant. Quæ cauſa
fuit nonnullis, vt crederent in eis controuer-
ſiam non eſſe. Verum quia & inter exponen-
dum argumentatio, & inter argumentandum
expoſitio, vtraq; ſit alterius rei acceſſio, trãſeũt
in nomen quoq; illius cuius ſubſtantiæ iungũ-
tur. Quanquam enim partem quampiam ex-
poſitionis nodulo aliquo argumentationis in-
iecto firmemus, non tamen tunc circa id ſum-
ma cõſiſtit inſtituti noſtri. Et expoſitiones quæ
inter argumentandũ fiunt, quanquã ſint vtiq;
per ſe exceptæ expoſitiones, tamen quia argu-
mentationum pars ſunt, & illis confirmandis
deſtinantur, argumentationes vocãtur.† No- 18
mina enim data rebus eſſe voluit Anaxago-

ras, non ab eo quod ſolum, ſed quod maxime eſſent.

## SCHOLIA IN CAP. XII.

1 *S+Truitur autem omnis oratio, aut ſic vt continens ſit.] Fabius Quintilianus libro ſecundo: Itaq; cum ea duo, inquit, ſint genera orationis: altera perpetua, quæ rhetorice dicitur, altera conciſa, quæ dialectice: quas quidem Zenon adeò coniunxit, vt hanc compreſſæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem: etiã diſputatrix virtus erit. adeò de hac, quæ ſpecioſior atq; apertior tanto eſt, nihil dubitabitur. Et Cicero in oratore ad Brutũ: Zeno quidem ille, inquit, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet. Nam cum compreſſerat digitos, pugnumq́; fecerat, dialecticam aiebat euiuſmodi eſſe: cum autem diduxerat & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat.*

Dialectica pugno, rhetorica palmæ ſimilis.

2 *¶ +Equidem cum poßit vtrunq; oratione.] Probat rationibus aliquot, vtrunque orationis genus communiter & ad rhetorem & ad dialecticum pertinere. Quanquam hic quoq; verborum magis, quàm rerum inter Rodolphum & alios pugna eſt. Etenim Rodolphus de rhetorica & dialectica loquitur, quatenus hæ communes quædam miniſtræ ſunt artium omnium: ita vt ab rhetore ornatus petatur ſermonis, à dialectico probabilis. Quo certe modo tam conciſam quàm continentem ſeu perpetuam orationem, vtrique harum artium communem eſſe oportet: cum vtroque genere orationis probabiliter ornateq́; diſſeri poßit. Qui diuerſam ſunt ſecuti ſententiam, hi dialecticen ad ſcholaſtica illa vmbraticaq; certamina*

coartarunt: & officio rhetoris eos demum fungi arbitrati ſunt, qui forenſibus illis actionibus operam ſuam addixiſſent. At enim nónne & in forū interim cōciſum illud orationis genus venire poteſt? Poteſt quidem: verum id rarius. Et qui hunc in modum diſcreuere res iſtas, eos nō tam quid fieri poßit, quàm quid plerunq; fieri ſoleat, tradere voluiße apparet. ¶ † Cum antea rationem probabi- 3
liter diſſerendi dialectico. ] Id fecit libri huius capite ſecundo. ¶ † Ergo & in foro ingens etiam ſemper fuit ora- 4
tionibus in altercationibus labor. ] De his altercationibus caput eſt apud Fabium libro ſexto. Quod autem addit Rodolphus, editas eſſe à Quintiliano altercationes in hunc vſum, de ea re dicemus nonnihil libro tertio, capite decimoquinto. ¶ † Cicero in Lælio. ] In libro de ami 5
citia, qui Lælius inſcribitur. ¶ † Expoſitionem priore li- 6
bro diximus eſſe orationem. ] Libri primi capite itē primo. ¶ † Inter narrationem & expoſitionem, argumenta- 7
tionem item & confirmationem. ] His ad plenum intelligendis multum momenti attulerit lectum huius libri caput decimumſeptimum. ¶ † Vrbs antiqua fuit. ] primo 8
Æneidos. Locus notior, quàm qui aſcribi debeat. ¶ † Cū 9
Cauſa. id ipſum poßit eſſe & cauſa rei & ratio. ] Cauſam nūc
Ratio. dicit, per quam res habet vt ſit. Rationem, per per quàm res habet vt cognoſcatur. Ergo res eadem, inquit, & cauſa eſſe poteſt & ratio: cauſa, quatenus per ipſam res eſt: ratio, quatenus per ipſam cognoſcitur. Exempla quæ addit, ſatis dilucida ſunt: modo ne ignoremus, defectum ſiue eclipſim lunæ prouenire inde, quòd terra, inter ſolem & lunam interpoſita, obſtat, quò minus luna radijs ſolaribus illuſtretur. ¶ † Me ne incepto deſiſtere victā. ] 10
Verba Iunonis primo Æneidos, indignātis ſe tot annos contra Æneam fruſtra bella geßiſſe, animantíſque ſe

*ipſam,ne ab incepto deſiſtat. Locus eſt notus vel pueris,*
*quocirca nihil cauſæ erat, cur huc plura aſcriberentur.*
11 ¶ † Nonnunquam in expoſitionem venire argumenta-
*tionem.* ] *Quintilianus libro quarto: Argumẽtabimur,*
*inquit,in narratione nunquam: argumentum ponemus*
12 *aliquando.* ¶ † *Eaq́; ſi per ſe accipiantur, poterit quicq;*
*vocari id ipſum quod eſt.* ] Quoties argumentatio, in-
quit,venit in expoſitionem,tunc per ſe quidem inſpecta
poſſet ſuo nomine,hoc eſt,argumentatio dici, ſed quia in
eiuſmodi oratione expoſitio dominatur,hinc eſt vti tota
expoſitionis nomen recipiat.Idem fit, quoties expoſitio
13 incidit in argumẽtationem. ¶ † *Aſſenſere omnes & quæ*
*ſibi quiſque timebat &c.* ] Verba ſunt Sinonis, ſecundo
14 Æneidos:quorum mentio fiet & capite ſequenti. ¶ † Ita
apud Ciceronem pro Milone. ] Continentia loci Cice-
roniani habet ad hunc modum. Vbi videt homo ad omne
facinus paratiſſimus,fortiſſimum virum,inimiciſſimum
ſuum,certiſſimum conſulem:idq́; intellexit, non ſolum
ſermonibus, ſed etiam ſuffragijs populi Romani ſæpe
eſſe declaratum,palàm agere cœpit,& aperte dicere,oc-
cidendum Milonem.Seruos agreſtes, & barbaros, qui-
bus ſyluas publicas depopulatus erat,Hetruriamq́; vexa
rat,ex Appennino deduxerat,quos videbatis,res erat mi
nime obſcura.Etenim palàm dictitabat,conſulatum Mi-
loni eripi non poſſe,vitam poſſe. Significauit hoc ſæpe
in Senatu,dixit in concione, quin & Fauonio fortiſſi-
mo viro,quærenti ex eo,qua ſpe frueretur Milone viuo,
reſpondit,triduo illum,ad ſummũ quatriduo periturum:
quam vocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauo-
nius detulit.Interim cum ſciret Clodius, (neque enim
erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum,neceſſarium
ante diem XIII. calendarum Februarij, Miloni eſſe

*Lanuuium,ad flaminem prodendum,quòd erat dictator*
*Lanuuij Milo,Romá ſubito ipſe profectus pridie eſt, vt*
*ante ſuum fundum,quod re intellectum eſt, Miloni inſi-*
*dias collocaret.* ¶ + *Vt pro lege Manilia,rerum à Lucul-* 15
*lo geſtarum.* ] *In ea oratione explicaturus Cicero, quo*
*modo magnum adhuc poſſet eſſe id bellum,quod cũ Mi-*
*thridate gerebat populus Romanus:initio Lucullũ lau-*
*dat,atq; res eius aduerſus Mithridatem geſtas exponit.*
*Longum foret huc totum locum aſcribere,neq; ita multũ*
*momenti attulerit ad eorum quæ ab Rodolpho dicuntur*
*intelligentiã.* ¶ + *Item pro Muræna explicatio inſtitu-* 16
*torum philoſophiæ Stoicæ.* ] *Hunc Ciceronis locum to-*
*tum aſcripſimus huius libri capite octauo.* ¶ + *Et pro eo-* 17
*dem verba minæq; L. Catilinæ.* ] *Dixerat enim Catilina*
*in domeſtica concione,miſerorum fidelem defenſorẽ in-*
*ueniri non poſſe,niſi eum qui ipſe miſer eſſet:minime ti-*
*midum,& valde calamitoſum eſſe oportere eũ, qui eſſet*
*futurus dux,& ſignifer calamitoſorum. Dixerat idẽ in*
*ſenatu,duo corpora eſſe in republica:vnum debile,firmo*
*capite:alterum firmũ,ſine capite:huic cum ita de ſe meri-*
*tum eſſet,caput ſe viuo non defuturum &c.* ¶ + *Nomi-* 18
*Anaxagoras.* *na enim rebus data voluit Anaxagoras.* ] *Philoſophus*
*hic fuit Aſiaticus. Claruit Athenis eodem tempore, quo*
*Perſarum rex Xerxes. Cum poſt annos complures ex*
*Græcia in patriam eſſet reuerſus,videretq; deſertas poſ-*
*ſeſſiones ſuas:Non eſſem, inquit, ſaluus ego,niſi iſtæ pe*
*riſſent. Ei qui annunciarat mortem filij,nihil noui nun-*
*tias, inquit, ſciebam enim me genuiſſe mortalem. Porrò*
*quod hic de eo dicit Rodolphus,id (ſi recte memini) tri-*
*buit ei in phyſicis Ariſtoteles.*

¶ *Dupliciter orationi fidem contingere,rebus, & oratione ipſa. Atq; inde argumentatio quid ſit.*

CAPVT XIII.

SED nos ſingulatim de vtraq;,primumq; de argumẽtatione dicam, quoniam ſunt in ea robur neruiq; differentis. Expoſitio enim inuenit (vt ita dicam) fidem, argumentatio facit eã. Si quid autem habet expoſitio, ſi quid habet vtiq; artis, quod dialectico præcipiendum ſit, id ferè ex argumentandi ratione deſcendit.

¶ Cum petatur autem fides argumentatione, dicendum videtur in primis, fidem orationi duplititer contingere, rebus ſcilicet, & oratione. ¶ Rebus cõtingit fides, quam is qui audit velut tacita apud animum ſuum argumentatione colligit: & ex perſona eius qui dicit: quia vel is putatur, cui tutò poſſit credi: vel affectus aliquis, vt beneuolentia, vt miſericordia, propenſiorem facit animum audientis ad credendum. Ex ex reliquis, vt ſunt tempus, locus, res, & ipſius etiam qui audit perſæpe cupiditas, vel æquitas vtcunque animi, cuius parui refert, ſiue ita eſſe ſiue aliter credat: & ipſe dicendi modus. Vnde & perſæpe dubitatio dicentis, noſtram opinionem confirmat, non quia id verba efficiant, ſed quia credendum videtur maxime ei, qui nihil improbius affirmet. Contráque argumentoſius & ſolicite dicenti, minus habetur interim fidei. Putamus

*Fidẽ orationi contingere duobus modis. Primum rebus.*

enim non fuiſſe de fide noſtra dubitaturũ: niſi
fidem ſibi ipſe non haberet: & quia ſciret non
dicere ſe vera, in eam perſuaſionem venire, vt
ne veriſimilia quidẽ nobis putaret viſum iri.
Vnde ductum in prouerbium eſt, † neminem 1
ſatis credibiliter aliis mentiturum, niſi qui fue-
*Cur Troiani crediderint Sinoni.* rit antea ſibi mẽtitus.† Sinon ille Virgilianus 2
nihil habet in verbis ſuis, quo fidem faciat eis,
quæ de caſu ſuo deq́ue fabricatione equi confin-
*Ratio prima.* git. Vnde ergo fides illi venit? Primũ credeba-
tur auectos hoſtes: vnde dimoto metu, liber-
tas iã Troianis negligentius omnia & ſecurius
audiẽdi, minuſq́ue ſuſpecta verba Sinonis acci-
*Secunda.* pere, vt quæ nihil poſſent nocere. Deinde Si-
nonẽ relictũ hoſtibus, nõ videri, niſi offenſum
*Tertia.* ſuis, & inimicũ eſſe poſſe. Ad hæc præſens pro
*Quarta.* viro fauor, & miſericordia ex periculis. Pala-
medes Troianis Vlyſſis æmulatione, & vetã-
*Quinta.* dis bellis acceptior. Vlyſſes contrà Troianis
*Sexta.* aſtu doliſq́ue inuiſus. Troiani cupiẽtes vera eſſe
quæ dicebantur: & paratiores ad credendum,
*Septima.* quia nullum videbant eſſe præmium menda-
cio. Præterea Palladiũ à Græcis de Troia fur-
*Octaua.* to ablatum. Equus animal aptũ bellis, & deæ
*Nona.* præſidi bellorũ ſacrum. Pòſt Laocoon à draco
nibus peremptus, qui equũ violauerat. Quia
narrantur omnia cõſentanea iſtis, quanquam
nihil ſit in oratione, quo vera, quæ dicuntur,
probentur, ipſe tamen auditor collectione col-

lationeq́ rerum,& earum inter ſe ordine,& cõgruentia,ſic eſſe ſibi perſuadet. Ergo creduntur alia,quia vera eſſe certũ eſt,quale eſt quod primum narratur de Palamede. Quem falſa ſub proditione Pelaſgi Inſontem infando indicio, quia bella vetabat, Demiſere neci. Et iterum, Omnis ſpes Danaûm, & cœpti fiducia belli Palladis auxiliis ſemper ſtetit. Alia creduntur,quia ſunt per ſe probabilia, Vt, Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta Moliri, & longo feſſi diſcedere bello. Et, Eripui (fateor) leto me,& vincula rupi. Et, Aſſenſere omnes, & quæ ſibi quiſq; timebat Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere. Alia creduntur, quia aliis veris ſimilia ſunt. Vt, Sanguine qnærendi reditus. Creditur enim, quia ſimile illius eſt, Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa. quod certũ eſt. Sic etiam, Hinc ſemper Vlyſſes Criminibus terrere nouis, hinc ſpargere voces In vulgum ambiguas. Certũ erat antea talia ſolitum illum facere. Quædam velut in numerum creduntur, quia non eſt cur falſa ea putemus. Vt, Illi me comitem,& conſanguinitate propinquum Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis. Et, Bis quinos ſilet ille dies, tectusq; recuſat Prodere voce ſua quenquam, aut opponere morti. Et, Limoſoq; lacu per noctem obſcurus in vlua Delitui. Non enim eſt, cur iſta, vel ſic, vel potius nõ ſic facta

*Primus eorũ ſex modorũ, quibus creditur aliquid eſſe verum in expoſitione.*

*Secũdus.*

*Tertius.*

*Quartus*

*Quintus.* credamus. Quædam etiam fidem habent, quia inter duo prorſus vera, velut via, vel tranſitus quidam ſtatuuntur: occupantq; ea mentem, quia ad alia non reſpicimus, vt hæc vera credamus. Vt Palamedem fraudibus Vlyſſis occiſum eſſe pro confeſſo eſt, & Sinonem relictum à Græcis in patriam profectis res ipſa indicat. Connectit hæc duo capita Sinon, hinc ſumpto fundamento fraudis, quòd conſanguineus eſſet Palamedis. Quod cum videatur nihil ſummæ rerum allaturum, & velut extra rem, & nihil ad rem pertinens, pro vero accipitur, originemq; fidei præbet omnibus illis, quæ poſtea dicuntur. Vt interim admoneamus, nulla parte illum qui contra nos diſſerat, acrius inſpiciendum, quàm vbi minimum vrgere nos, vel etiam ridiculus nobis firmare partes noſtras videbitur. Ea nanque quæ palàm nos premunt, velut aperta vis, vi repelluntur, ipſaq; vel indormientes nos impetu ſuo excitant. Quæ vero tanquam ſtolida, & nonnunquam etiam vt profutura, proferuntur, quò tectius plerunque, eò grauius difficiliúſque vitatu pe-

*Sextus.* riculum ferunt. Poſtremo creditur dicenti ipſi, quia vel grauis vir, vel beneuolus putatur. Ad id figurandum pertinet quod dicit, Fas odiſſe viros. Et, quod dii prius omen in ipſum Conuertant. Quãquam ſint autem hæc omnia

in ipſa oratione, nō tamē altera adhibetur alteri, tanquam fidem factura: ſed ſingulæ per ſe poſitæ, reputatione audientis, & apud animū ſuum comparantis eas, parant fidem. Pleraq; vero ſe ipſis, ſola rerum ęſtimatione, quia apte accommodateq; omnia naturæ ſuæ dicuntur, idcirco videntur credibilia. Hocq; fidei genus, cum omni orationi nonnunquam eſt neceſſarium, tum expoſitioni maxime, cum habeat ea fidem, niſi ex rebus. ¶ Fides autē quæ fit oratione, eſt, quæ conficitur argumentando, cum rem dubiam probabili colligimus ar-
3 gumento. † Id vero, quo ſimul complectimur rem quam probare volumus, & illud inuentum quo probare conamur, eam argumenta-
4 tionem eſſe dicimus. † Sanè quo pacto argumentum rei probādæ argumentādo adhibeatur, in commune, prioris libri initio, quàm potuimus apertiſſime conati ſumus explicare. In hoc loco, quæ argumentationis, hoc eſt, orationis ſunt propria, dicentur.

*Alter modus quo orationi fides contingit.*

*Argumētatio quid.*

SCHOLIA IN CAPVT XIII.

1 *N†Eminem ſatis credibiliter alijs mentiturum.] Mendas Quintilianus libro duodecimo. Prodit enim ſe, ciū diffis inquit, quamlibet cuſtodiatur ſimulatio: nec vnꝰ culter tes quam tanta fuerit eloquendi facultas, vt non titubet, ac gitur.*
2 *hæreat, quoties ab animo verba diſſentiunt. ¶ † Sinon ille Virgilianus.] Video moleſtum fore lectori, ſi quis tamē hæc leget, quòd toties integros locos & quidē obuios*

huc aſcribo. Sed veniam mereor, quippe qui ſatisfactum velim & iis, qui locos eos memoria non tenent, neque libros ſemper habent ad manum. Atque ſunt ſanè nonnullæ ex iis quæ adducit Rodolphus eiuſmodi, vt intelligi nullo modo poſsint, niſi totum locum eum, vnde ea educta ſunt, eis accommodemus: qualis vel cum primis hæc eſt expoſitio Sinonis, ex ſecundo Æneidos. Quocirca boni conſulet (opinor) æquus lector, ſi totam eius loci continentiam huc aſcribamus. Ea habet ad hunc modum.

Oratio Sinonis. Cuncta equidem tibi rex, fuerit quodcunq;, fatebor
Vera inquit, neq; me Argolica de gente negabo.
Hoc primum, nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit: vanum etiam mendacemq; improba finget.
Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria, quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demiſere neci: nunc caſſum lumine lugent.
Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis: regnumq; vigebat
Conſiliis: & nos aliquod nomenq; decusq;
Geſsimus: inuidia poſtquam pellacis Vlyſsi
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſsit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris luctuq; trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: & me, fors ſi qua tuliſſet,
Si patrios vnquam remeaſſem victor ad Argos,
Promiſi vltorem: & verbis odia aſpera moui.
Hinc mihi prima mali labes: hinc ſemper Vlyſſes
Criminibus terrere nouis: hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas: & quærere conſcius arma

Nec requieuit enim: donec Calchante miniſtro.
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?
Quid've moror? ſi omnes vno ordine habetis Achiuos,
Idq́; audire ſat eſt: iandudum ſumite pœnas,
Hoc Ithacus velit: & magno mercentur Atridæ.
Tum verò ardemus ſcitari: & quærere cauſas:
Ignari ſcelerum tantorum: artisq́; Pelaſgæ.
Proſequitur pauitans: & ficto pectore fatur.
Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.
Feciſſentq́; vtinam: ſæpe illos aſpera ponti
Interclusit hyems, & terruit auſter euntes.
Præcipue cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus: toto ſonuerunt æthere nimbi.
Suſpenſi Eurypilum ſcitatum oracula Phœbi
Mittimus: isq́; adytis hæc triſtia dicta reportat.
Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras.
Sanguine quærendi reditus: animaq́; litandum
Argolica: vulgi quæ vox vt venit ad aures
Obſtupuere animi: gelidusq́; per ima cucurrit
Oſſa tremor: cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ ſint ea numina diuûm
Flagitat: & mihi iam multi crudele canebant
Artificis ſcelus: & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies: tectusq́; recuſat
Prodere voce ſua quenquam: aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus
Compoſito rumpit vocem: & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes, & quæ ſibi quiſq́; timebat
Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.

Iamq; dies infanda aderat: mihi ſacra parari:
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) leto me, & vincula rupi:
Limoſoq; lacu per noctem obſcurus in vlua
Delitui, dum vela darent, ſi forte dediſſent:
Nec mihi iam patriam antiquam ſpes vlla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumq; parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt:
Quod te per ſuperos, & conſcia numina veri:
Per ſi qua eſt quæ reſtat adhuc mortalibus vſquam
Intemerata fides, oro, miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.
His lachrymis vitam damus, & miſereſcimus vltro.
Ipſe viro primus manicas, atq; arcta leuari
Vincla iubet Priamus, dictisq; ita fatur amicis.
Quiſquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios:
Noſter eris, mihiq; hæc ediſſere vera roganti.
Quò molem hanc immanis equi ſtatuere? quis author?
Quid've petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?
Dixerat: Ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga
Suſtulit exutas vinclis ad ſydera palmas.
Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait, vos aræ enſesq; nefandi
Quos fugi, vittæq; deûm quas hoſtia geſsi.
Fas mihi Graiorum ſacrata reſoluere iura:
Fas odiſſe viros: atq; omnia ferre ſub auras:
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.
Tu modò promiſsis maneas: ſeruataq; ſerues
Troia fidem: ſi vera feram: ſi magna rependam.
Omnis ſpes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxilijs ſemper ſtetit: impius ex quo

Tytides:ſed enim ſcelerumq́; inuentor Vlyſſes
Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo
Palladium,cæſis ſummæ cuſtodibus arcis:
Corripuere ſacram effigiem:manibusq́; cruentis
Virgineas auſi diuæ contingere vittas:
Ex illo fluere:ac retro ſublapſa referri
Spes Danaûm:fractæ vires:auerſa deæ mens.
Nec dubijs ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
Vix poſitum caſtris ſimulacrum:arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis:ſalſusq́; per artus
Sudor ijt:terq; ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit:parmamq́; ferens haſtamq́; trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas,
Nec poſſe Argolicis excindi Pergama telis:
Omnia ni repetant Argis:numenq́; reducant
Quod pelago,& curuis ſecum aduexere carinis.
Et nunc quòd patrias vento petiere Mycenas:
Arma deosq́; parant comites:pelagoq́; remenſo
Improuiſi aderunt:ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio moniti:pro numine læſo
Effigiem ſtatuere:nefas quæ triſte piaret.
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis:cæloq́; educere iuſſit:
Ne recipi portis:aut duci in mœnia poſſit:
Neu populum antiqua ſub religione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Mineruæ:
Tum magnum exitium (quod dij prius omen in ipſum
Conuertant) Priami imperio Phrygibusq́; futurum.
Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in vrbem:
Vltro Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam:& noſtros ea fata manere nepotes.

3 ❡ †Id verò quo ſimul.] Itaq; argumentatio eſt oratio ea,

*quæ & rem probandam & argumentum quo probare
rem eam volumus, complectitur. Cicero in partitionibus
ait argumentationem eſſe explicationem argumenti. Idē
in rhetoricis, nomine argumentationis duo ſignificari
dicit, argumētum ipſum, & artificioſam inuenti iam ar-
gumenti expolitionem. ¶ † Sanè quo pacto argumentum 4
rei probandæ argumentando adhibeatur.] Lege libri ſu-
perioris caput ſecundum.*

*¶ Duas eſſe argumentādi formas perfectas, ſyllogiſmum & inductionē, ſiue (vt Rodolphus mauult) enumerationem. Duas item imperfectas, enthymema atq; exemplum. Tum, quo hæ formæ inter ſe diſtent: & quando perfecta, quando imperfecta argumentatione vtendum.*

## CAPVT. XIIII.

*Fidē quæ fit argumentādo aut à ſenſibus aut à mente profiſciſci.*

FIdes omnis quę fit argumentādo, aut à ſenſibus primum cœpit, deſijtq́; in mentē, in qua neceſſe eſt fidem omnē conſiſtere. Aut ipſa per ſe mens, alterū ex altero, res perceptas cōferēdo, collegit. Prius eſt, vt quia vidimus lunā, iam plenilunio deficere, & iterum tertio, quartoq́; itidē fieri, dicimus: luna tūc & tunc & alio item alioq́; tēpore plenilunio defecit, nec vnq̄ aliter eſt viſum: colligimus, ergo luna nūquā niſi plenilunio deficit. Priora enim illa ſenſu percepta ſunt ſingulatim, poſterius autē quod eſt, lunā nunquā niſi plenilunio deficere, mēte ſola percipitur. Secundū, cū mens alterū colligit ex altero. Vt cum dicimus, luna nuuquam

deficit

deficit niſi plenilunio, ergo neceſſe eſt id fieri
interuentu terræ lunā obumbrantis. Horum *Duæ ar*
1 enim vtrūq;,niſi mente percipi nequit. ¶†Pro *gumentā*
hac diuerſitate duæ natæ ſunt perfectæ formæ *di formæ*
2 argumentandi,quarū alterā inductionē,† alte *perfectæ.*
ram vulgo vocant græco nomine συλλογισμόν.
3 †Cicero apte (vt omnia) & prope ad verbum,
4 ratiocinationem dixit. †Mihi rectiſſime vide-
tur inductio dici, enumeratio: quēadmodum
Cicero dixit argumentationem quandam eſſe
ex partium omnium enumeratione. Inductio-
nis vero nomen magis conuenire imperfectæ
enumerationi,cū duobus tribuſ've propoſitis
inducitur auditor,vt in omnibꝰ ita credat eſſe.
5 ¶†Eſt autem inductio,vel (vt nos dicimus) *Inductio*
enumeratio,argumētatio,qua ex pluribus vel *ſiue enu*
partibus vel ſpeciebus,vnum vel totū vel ge- *meratio.*
nus vniuerſaliter colligitur. Genus in præſen-
tia voco,quod aliqua ratione in plura diuidi-
tur. Species, in quas id diuiditur. Ex partibus
6 hoc modo:† Plebs Romana optime de Milo-
ne ſentit,& equeſter ordo,& ſenatus.totus er-
go P.Ro.optime ſentit de Milone.Ex ſpeciebꝰ
7 hoc modo:†Pompeius habet virtutē,habet pe
ritiā rei militaris, authoritatē, felicitatē, habet
ergo cūcta Pompeius in ſummo duce ſpectan *Quid ſyl*
8 da.†¶Ratiocinatio (ſi latino malumus vti no *logiſmus*
mine) eſt,vt inquit Ariſto.oratio,in qua poſi- *ſiue ratio*
tis quibuſdam, neceſſe eſt aliud præter ea quæ *cinatio.*

poſita ſunt euenire.† Vel, eſt argumẽtatio, in 9
qua poſitarum duarum propoſitionũ duo ter
mini ſic iunguntur in tertio aliquo, vt neceſſe
ſit eos eodẽ modo inter ſe cõiungi. Vt, omnis
inſidiator iure occiditur, Clodius eſt inſidia-
tor, ergo Clodius iure occiditur. Hic in his
duabus propoſitionibus, iure occidi & Clo-
dius, iunguntur affirmatiue, in eo quod eſt in-
ſidiatorem eſſe. iunguntur& inter ſe etiam affir
matiue. Sic & negatiue, nullũ qui fatetur à ſe
hominem occiſum fas eſt viuere, Milo fatetur
à ſe hominẽ occiſum, ergo Miloni fas non eſt
viuere. Hic Milo & fas eſſe viuere diſiungun-
tur negatione, in eo quod eſt fateri hominẽ à
ſe occiſum, diſiunguntur ergo itidem inter ſe.
¶ Sed quæ ſit lex, quot& ſint ratiocinationum
earum figuræ, ad iudicandi pertinet rationem
exacte perſequi. In præſentia, quoniã neceſſe
eſt vſu venire nomina iſta, ne ſint ignorata,
obiter quantũ præſentis rei ſufficit inſtituto di-
cantur.† Id ergo quod efficitur argumentatio- 10
ne, alij concluſionẽ, alij intentionẽ vocãt: quo-
niam ſit id, quod intendimus argumentando
cõficere. Ea vero, per quæ conficimus conclu
ſionẽ, propoſitiones dicũtur. Et in inductione
quidẽ nullum inter ſe ordinem habent propo-
ſitiones, nec numerũ præfinitũ. Pro multitudi
ne enim partiũ aut ſpecierum, creſcat is neceſſe
eſt, & quælibet ex æquo adhibetur concluſioni

*Concluſio.*

*Propoſitiones.*

ti cōficiendæ.† In ratiocinatione autem, tantum duæ ſunt propoſitiones. Quarum altera plus virium habet ad conficiendum, quia concluſionē ferē intra ſe cōplectitur, & idcirco ea vel maior propoſitio, vel expoſitio vocatur. *Maior, vel expoſitio.* Altera minus habet virium, quam vocant minorē propoſitionem, vel aſſumptionem. *Minor, vel aſſūptio.* Et omnis quidem propoſitio duobus continetur vel extremis, vel terminis. Quorum hic ſubiectū dicitur, de quo dicitur aliquid. *Subiectū.* Hic vero prædicatum, quod dicitur de aliquo. *Prædicatum.* Neceſſe eſt igitur in duabus propoſitionib⁹ ratiocinationis, quatuor eſſe terminos, interq; hos quatuor, quia vnus bis ſemper accipitur, vſu quidē & miniſterio quatuor ſunt, reuera tamen non plures ſunt tribus. Quorū qui bis ſumitur, mediū *Mediū.* dicitur quoniā in eo alij duo iungūtur. At qui cū medio ſumitur in maiore, maius extremū: *Maius extremū.* in aſſumptione vel minore, extremū min⁹ vocatur. *Minus extremū.* In hac ergo ratiocinatione, oīs inſidiator iure occiditur, Clodius eſt inſidiator, ergo Clodius iure occiditur, cōcluſio eſt, Clodius iure occiditur: ea eſt enim quā ꝓbare volumus. Maior eſt, omnis inſidiator iure occiditur. Minor, Clodi⁹ eſt inſidiator. Mediū eſt, inſidiator: quoniā in eo, iure occiditur, qđ eſt maius extremum, & Clodius, quod eſt minus, iunguntur.

¶ Prꝑter has duas ſpecies argumētādi pfectas, aliȩ ſunt impfectȩ duæ: quȩ niſi captioſȩ ſint, & *Duæ argumentandi*

*formæ imperfectæ.*

** conficiant Enthymema*

non in ſpeciem tantum ſed vere * cōficiantur,
ad iſtas ſemper redigi poſſunt.†Quarum quæ 12
ad ratiocinationem ducitur,enthymema dici-
tur,id eſt( vt Quiutilianus interpretatur) com
mentū,quo quidem cū poſſint omnia mentis
noſtræ ſignari cogitata,argumentationē ſigni-
ficauerunt ex altera ratiocinationis propoſi-
tione,hoc eſt,maiore vel minore , & cōcluſio-
ne cōpoſitā.Ex maiore,vt inſidiator iure occi-
ditur,ergo Clodius iure occiditur.Ex minore,
vt Clodius eſt inſidiator , iure ergo Clodius
occiditur. Quæ vero naturā habet inductio-

*Exēplū.*

nis ,exemplū vocatur.†Quid ſit exemplū ,ſu- 13
periore libro, cū cōparata tractaremus,à no-
bis eſt dictū.Sed nō omne exemplum,redigi-
tur ad inductionē,nec omnis imperfecta indu

*Primo libro monuimus nō Sp. Melium, ſed Gracchum ab Scipione occiſum fuiſſe.*

ctio eſt vtiq; exemplū.†Illud enim, P. Scipio 14
occidit iure Melium,ergo Cicero iure occidet
Catilinā,nemo negauerit exemplū eſſe.Nō eſt
inductio tamen,ſed ratiocinatio. Nec eñ Sci-
pio pars eſt Ciceronis,nec ſpecies illius. Sic &,
quanquam ſit exemplū,hæc imperfecta indu-
ctio.†Omnis poteſtas impatiens cōſortis erit, 15
quoniā fraterno primi maduerunt ſanguine
muri:hæc tamen argumentatio ,† Quid ſatis 16
eſt,ſi Roma parum:quæ ſic explicatur . Roma
non eſt ſatis,ergo nulla res eſt ſatis , inductio-
nis quidē ſimilitudinē habet,nemo tamen di-

*Ariſtoteles*

xerit eā exemplum.† Ariſtoteles autem dixit 17

*lis ſententia de enthymemate.*

enthymema ratiocinationem rhetoricam:de-
finiuítque enthymema eſſe ratiocinationem
ex veriſimilibus& ſignis. Sunt itaq́, qui putēt
Ariſtotelē nō diſcreuiſſe forma argumētandi
ā ratiocinatione enthymema: ſed certo tātum
18 rerū genere enthymema cōſtare voluiſſe.†Ple
riq́ rhetores hoc nomē velut dignatione qua-
dā dederūt ei argumētationis generi,quod ex
19 cōtrariis cōficitur.Quale eſt.†Quē alienū fidū
inuenies,ſi tuis hoſtis fueris?Et id quod modo
20 dixi.† Quid ſatis eſt,ſi Roma parum? Et apud
21 eūdē authorē.† Audes fulcire ruinā, Sub qua
22 Roma iacet?†Et, Cū meretricis ſit qđ amator
odi,cuius putatis eſſe, quod pauper adamaui?
Sed hæc plerunque magis conſtant eloquendi
ratione, quàm inueniendi vel argumentandi
forma.

*Perfectas argumētationes hactenus ab imperfectis diſferre, qđ in illis de ſolo antecedēti, in his etiam de cōſecutione ambigi poſſit*

Omnis autē ratiocinatio perfectaq́ inductio, ſi modo legitime riteq́ fiant, certæ ſemper exploratæq́ fidei ſunt in colligēdo. Si nanq́ vera ſunt,quæ proponūtur in eis, neceſſe eſt & ea eſſe vera quæ colliguntur. Ex falſo enim verū poteſt effici:cōſequēs eſt enim ſi homo eſt aſinus, hominē eſſe animal. Ex vero autē nihil niſi verum efficitur. Eſtq́ idcirco vſus eorū, vt efficaciſſimus, ita crebro difficillimus etiā:quoniā facillime perſpicitur in eis, expoſitis omnibus per quæ fit probatio, velut in corpore cuius oīa detegūtur mēbra ſi quid

vitii errorũmve ſubſit. Deinde, quemadmo-
dum in inductione perſæpe enumeratio om-
nium partiũ aut ſpecierũ difficilis eſt, ſed dua-
bus quandoq; tribúſve iam ꝓpoſitis, reliqua-
rum fides ex eis facile colligitur: ſic in ratiocina
tione frequẽter, aut propoſita maiore, minor:
aut minore ꝓpoſita, maior apertior eſt, quàm
vt proponenda ſit, ſed vltro incurrunt in ani-
mum, alteraq; ex altera perſpicitur. Quapro-
pter non rhetores modo quibus imperfectas
has argumentandi formas Ariſtoteles attri-
buit: ſed & dialectici, (ſi quid tamen hi diuer-
ſum habent in argumentandi ratione ab aliis)
& mathematici, & phyſici, & (vt vno verbo
dicam) quicunq; diſſerunt, ſiue verbis in al-
tercatione, ſiue ſcriptis poſteritati tradẽdis, cre
berrime enthymemate, nonnunquam & indu
ctione imperfecta † colligunt cõprehenſiones 33
ſuas. Rhetor vero perſæpe plena ratiocinatio-
ne ꝓbationes cõplectitur, ſi maior vtiq; res, &
fuſius ſit atq; latius demõſtrãda. Sed obruun-
tur copia & orationis vbertate ſingulæ propo-
ſitiones, nec ad ſcrupuloſam illam argumẽtan
di legẽ, quæ vulgo præcipitur, explicantur, di-
cunturq; populi auribus parata populariter.
†Ergo (vt alio loco diximus) tota pro Milone 24
oratio in ratiocinationem coniecta eſt. † & pro 25
Plancio itidem. Quid pro lege Manilia? An
non ſunt hæ* argumẽtationes, hoc in bello agi

*Falſum eſſe illud quod dicũtquidã, perfectas argumentationes pertinere ad dialecticũ, imperfectas ad rhetorem.*

** Ratiocinationes.*

dignitatem populi Romani: quod multis primum verbis oſtenditur. Hinc ꝓbat omne bellum eſſe ſuſcipiēdū, in quo agitur dignitas populi Romani: quod ſuis argumētationibus colligitur: eſtq́ hæc maior propoſitio, quæ ſecundo loco ponitur: minor, quæ priore loco. Ex quibus apertū eſt, ſi iungamus eas, ratiocinationem fieri. Vt, omne bellū eſt ſuſcipiendū, in quo agitur dignitas populi Romani: hoc bellum eſt in quo agitur dignitas populi Ro. hoc ergo bellū eſt ſuſcipiendū. Cōtinuo iterū. Hoc in bello agitur ſalus ſociorū, eſt autē omne tale bellū ſuſcipiendū, ergo hoc bellū eſt ſuſcipiendum. Rurſus, quiſquis præcipue habet quatuor illa, virtutē, ſcientiā rei militaris, authoritatem, felicitatē, maxime eſt ad hoc bellū deligendus: Cn. Pompeius præcipue habet quatuor illa, ergo eſt ad hoc bellū maxime deligēdus imperator.

26 ¶ †Loci quidē communes (vt rhetores vocant) non ſunt aliud quàm maiores ratiocinationum propoſitiones: vt quæ in proditorem, in veneficum, adulterum, ſicarium, dicuntur. Cum volumus enim probare *Loci communes.*

27 †Cœlium damnandum, oſtendimus veneficum eum eſſe, quod vbi explicatum eſt, quid reſtat aliud, quod ratiocinationi deſit, niſi maior, veneficus eſt damnandus? Hoc autem ne *Notatio.*

28 quem fallat, annotandum videtur. † Quoniam vniuerſaliter pronunciata, qualem

plerūq; maiorem ratiocinationis propoſitionē
faciunt,† ſupina ſæpe videntur, & ocioſa,& di 29
ſtantia magis à re propoſita,idcirco ſolere ora
tores,quò arctius rebus adhæreant, in particu
laria in dicendo conuertere. Et cum dicendū
eſſet,omne bellum eſt ſuſcipiendū, in quo agi
tur ſalus ſociorū:& omnis veneficus eſt dam
nandus, vt inſtare magis premereq; videan
tur,dicere malunt:hoc bellum eſt ſuſcipiendū,
quia agitur in eo ſalus ſociorum:&, hic venefi
cus eſt damnandus.In quo & hoc meo iudicio
ingenioſiſſimi homines ſequūtur, quòd vni
uerſalia velut late ſparſa ſint animo audientis
tanquam in aëre interq; nubes apprehēdenda:
cum vero ad rem præſentem aſtricta,& † ante 30
oculos interq; manus ſunt poſita, mouendis
affectibus aptiora ſunt,qui ſoli in audientium
dominantur animis:quos nihil æque, vt aſpe
ctus primum rei,& imago proxime,velut præ
ſentis negocij,animo ſubiecta † irritat. Nihil 31
eſt ergo,quod quiſquam putet, certis artium
generibus has vel illas argumentandi formas
addici poſſe. Rerum ipſa præſens conditio,vt
quæq; diligentius eſt & conſtantius affirman
da,conſilium præbebit. Et quemadmodum
in pleriſq; rebus ſemel poteſt in perpetuū præ
cipi,quid fieri oporteat: ita in hoc, vt in aliis
multis,hoc ſolum perpetuum eſt, quod perpe
tuum ſtatui nihil poteſt.¶ †Cum ergo ( vt præ 32

diximus) in ratiocinatione & inductione nulla in concludendo poſſit eſſe dubitatio: & neceſſe eſt, ſi quã repugnet eis aduerſarius, idcirco id euenire: quoniam quæ proponuntur, vera eſſe neget: in enthymemate & imperfecta inductione, vtrunque eſt quod dubitari poſſit, an verum ſit quod propoſitũ eſt, & an quod intendimus, ex eo efficiatur, Vt cum dicitur, Cluentius pecunia fidem iudicum ſubuertit, ergo lege corrupti iudicij tenetur. Primum negat Cicero Cluentium ſubuertiſſe fidem iudicum. Quòd ſi ipſum verum non eſt, neque habetur ei fides, non poteſt alteri quod probandum eſt, fidem parare. Deinde, vt verum ſit ſubuertiſſe eum iudicum fidem, non tamen conſequitur, teneri eum lege, quoniam non vtique quiſquis iudicium pecunia tentauerit, lege iudicij corrupti tenetur. Sic & in inductione imperfecta negare poteſt aduerſarius, vel non eſſe verum quod proponitur, vel nõ enumerata eſſe omnia, ex quibus colligi intentio poſſit: vt nihil ſit neceſſe, quanquam dentur vera eſſe quæ ſumuntur in probationem, conſequi tamen idcirco, quod efficere conamur.

*Explicatur differentia ſuperius cæpta.*

33 VT ergo affirmandæ rei cuiuſque per argumentationẽ rationem paucis abſoluamus, & oſtendamus etiam vbi perfectis opus ſit argumentationibus, vbi ſufficiant imperfectæ: †

*Quando perfecta, quãdo imperfecta argumẽ-*

34 hæc primum lex proponenda eſt

*tatione vtendũ.* argumentationum omnium, ex vero nihil colligi poſſe niſi verum. Quare ſi falſum eſt quod colligitur, neceſſe eſt falſum eſſe quod antecedit, ſi rite collectum ſit. Hinc ergo cõſequitur, vt ſemper quemadmodum ex propoſito concluſio colligitur, vt ſi verum ſit propoſitũ, neceſſe ſit verum eſſe quod concluditur: ſic ex cõtradicente concluſionis, ſemper propoſiti contradicens colligatur. Nam cum nequeat in legitima argumẽtatione colligi falſum ex vero, quoties tanquã verum proponimus id quod contradicit concluſioni, neceſſe eſt concluſionem falſam eſſe, cum duo cõtradicentia ſimul eſſe vera non poſſint. Falſum erit ergo propoſitum id, ex quo collecta eſt ea concluſio. Conſequitur igitur, propoſiti contradicens eſſe verum. Vnde fit quod intendimus, quẽadmodũ ex ꝑpoſito cõcluſio, ſic ex cõtradicẽte cõcluſionis ꝑpoſiti colligi cõtradicẽs. Vt, ſi hominẽ eſſe detur, neceſſe eſt dem⁹ & animal eſſe: quòd ſi animal eſſe falſum eſſe dicamus, verum erit contradicens eius, quod eſt, nullum animal eſt. Falſum ergo id eſt, ex quo animal eſſe colligimus, quod erat hominem eſſe. Ergo verũ itidem contradicens iſtius, quod eſt, nullus homo eſt. Itaque quemadmodum neceſſario cõſequitur, homo eſt, ergo animal eſt: ita conſequitur, & nullum animal eſt, ergo nullus homo eſt.

*Tres certiſsimi dialecticorũ canones.*

*Duplex* ¶ † Duplex eſt ergo ductus cuiuſque 35

rei probandæ. Vnus directus, vt cum propo- ſito aliquo velut recta via colligimus id quod probare volumus. Vt qui probare volet ſa- pientem eſſe diuitem, dicat, Sapiens nullius indiget, ergo ſapiens eſt diues. Alius eſt du- ctus obliquus. Vt cum accepto contradicen- te eius quod probare volumus, colligimus ex eo aliquid quod falſum ſit, vnde regreſſi, do- cemus falſum id eſſe, ex quo collectum eſt: idq́, quia contradicens eſt eius quod intendi- mus probare, conſequens eſt, iſtud ipſum eſſe verum. Vt, ſapiens eſt diues. Si enim non ſit diues ſapiens, cupiet aliquid, ſed falſum eſt hoc: falſum ergo ex quo colligitur id, hoc eſt, non eſſe diuitem ſapientem: verum igitur erit, quod intendimus, ſapientem eſſe diui- tem. Non ſunt autem hæ argumentandi for- mæ: per omnes enim formas quas expoſui- mus, duci poſſunt, ſed viæ quædam colligen dæ intentionis. Quapropter ductus eos vo- cauimus. Quo pacto autem verũ eſſe aliquid oſtendimus, eodem etiã in contradicente ſuo falſum eſſe monſtramus. Cum probauerimus enim contradicens ſuum verum, neceſſe eſt, vt id quod intendebatur, apertum ſit falſum eſſe. ¶ Vbi fuerit igitur expoſita argumenta- tio, ſi ſit imperfecta: vt enthymema & indu- ctio, quemadmodum prædiximus, duo ſunt quæ dubitari poſſunt. Aut enim negatur

*ductus vniuſcuiuſq́; rei probãdæ.*

*Quomodo in imperfectis argumẽtatio-*

*nibus oſtēdens dũ ſit conſequi concluſionẽ ad propoſitũ, ſiue (vt nũc loqmur) anteceſdens.*

conſequi hoc ex illo, aut verũ eſſe, quod pro•
poſitum eſt. Conſequens oſtendemus eſſe, vt
imperfectas argumentationes ad perfectarũ
formam: vt, ſi enthymema ſit, ad ratiocinatio•
nem: ſi inductio, ad enumerationẽ conferam?.
Ratiocinatio, & enumeratio, ſi præſcripto mo•
do, recteq́ fiunt, nullũ poſſunt admittere cõſe•
cutionis incertũ. Enthymema eſt: Clodius ſtru
xit inſidias, ergo iure cæſus eſt. Ratiocinatio
fit cum ſubiicimus, omnis enim inſidiator iure
occiditur. Ea eſt enim maior propoſitio ratio•
cinationis. Sic in inductione: †Piſiſtratus acce• 36
pto publico præſidio tyrannidem inuaſit, † & 37
Phalaris itidem: ergo quiſquis ẽ publico præ•
ſidium poſcit, tyrannidem vult inuadere.
† Quia difficile eſt hic omnes enumerare, pro 38
reliquorũ enumeratione ponimus plerunq́,
(neq́ quiſquam eſt qui non hoc pacto fecerit)
aut ſimile quicquam in eã ſubdimus ſentẽtiã,
deinde colligimus iam, quod intẽdimus. Vn
de ſolent plerunq́ altercantes, quandoq́ etiã
perpetua dicentes oratione, cũ difficile ſit affir
mare, in omnibus aliis ſimiliter ſe rem habere,
petere ab aduerſario, vt ille dicat, in quo non
ita ſit: & confeſſionẽ illius, vel ignorationẽ pro
ſua petere aſſeueratione. In quibuſdam etiam,
quia non tam quærimus quid verũ ſit, quàm
vtrũ veriſimilius, idcirco quanquã non poſſi•
mus inductionẽ perfectã facere, ſufficit tamen

audientis fidei,quanquam non ſemper, aut in omnibus,aliquando tamen, & in aliquibus factum eſſe,& fieri ſolere,quod tum nos oſtendere conamur. Quod in deliberationibus, & coniectando futurorū exitu pleruncp ſatis eſſe ſolet documenti.Conſequi ergo quod intendimus,ad id quod propoſitū eſt, hoc pacto docetur.¶ At ſi verū eſſe negat aduerſari⁹ quod Quid faciendū, ſi

39 proponitur, † idipſum rurſus alia colligendū ppoſitū, erit argumētatione,ſimili via, qua id cui probādo adhibetur iam colligi debere mōſtrauimus,idq; tā diu fiat oportet, donec tandē veniamus ad aliquid,quod certū ſit,taleq; vt negare id aduerſarius nō poſſit. Ex quo cū fidē parauerimus ei quod proxime colligitur ex ipſo,deinde ex hoc iam collecto rurſus aliud probamus,& ex illo aliud donec tandē perueniamus ad primū illud,quod efficere reliquarum argumentationū ſerie conamur. Vt Stoicus qui probare volet diuitē eſſe quiſquis ſit ſapiens,primū dicat,quoniam nullæ opes deſunt ſapienti.Quod ipſum etiā eſt dubiū, probat ergo, quoniam habet opes quantaſcunq; vult,certū eſt ergo nullas ſibi deeſſe. Sed & id propoſitū probandū eſt,ſubiicit igitur, nullas enim cupit opes. Probat & hoc, quia nullas bonas putat. Quod iam pendet ex eo, quod Stoico tanquam foci, & aræ defendēdum eſt, id eſt autem, ſolam in bonis eſſe virtutē. Ergo

ſeu antecedens negetur.

iam ex hoc quod poſtremum eſt, priorum omnium ſumitur fides. Nam ſi ſapiens ſolam in bonis numerat virtutem, nõ putat opes eſſe bonas, non ergo cupit eas, habet igitur quantaſcunq; vult: quo fit, vt nullæ deſint ſibi: certũ eſt ergo diuitem eſſe, quiſquis ſit ſapiẽs. Quia ſunt autem hæc enthymemata cuncta, per quæ ductæ ſunt hæ argumentationes, idcirco ſi de eorum conſecutione dubitet aduerſarius, neceſſe erit ſingula, quæ parum cohærere videbũtur, in ratiocinationis formã conijcere. Vt, ſi dicat aduerſarius, non vtiq; quia nihil deſit ſapienti, diuitem eum eſſe: addat oportet qui diſputat, maiorem ratiocinationis propoſitionem, quæ eſt, cuicunq; nihil deeſt, is eſt diues. Quæ quoniam negabit eam aduerſarius, alia rurſus eſt argumentatione colligenda. † Quæ 40

*Tantum tres eſſe p̃tes ſyllogiſmi, nõ quinq;.*

cauſa fuit pleriſq;, vt quinq; partium facerent ratiocinationem, cum cuiuſlibet propoſitionis probationem pro parte numerarent. Quod ſi ſequimur, quãuis multarum partiũ ratiocinationem facere licebit: cum & vna quæq; probatio ſuam poſſit iterum habere probationẽ, & hæc rurſus aliã. Quapropter probationes propoſitionũ non ſunt argumẽtationis partes, ſed nouæ per ſe fiunt argumentationes. Sicut autẽ recto ductu cœpimus ꝓbare, quòd quiſquis eſt ſapiens, eſt diues, primumq; caput totius probationis fecimus id, quod confeſſum eſt,

ſolam virtutem à ſapiente bonum æſtimari: ſic per obliquum ductum, accepto contradicente eius quod probare cupimus, licebit eiſdē gradibus, ſed verſo ordine colligere cōtradicens eius, à quo primū directæ probationis duximus initiū. Quod colligere conamur eſt, quòd quiſquis eſt ſapiens, diues eſt. Id ergo ſi nō eſt, erit ex aduerſarij ſententia aliquis ſapiens, qui non ſit diues, ergo deerit illi aliquid, non habebit igitur quātas opes volet, cupiet ergo opes: quod ſi facit, bonas eas putabit, ergo iā ſapiēs aliquid præter virtutem habebit inter bona: quod ſi falſum eſt, falſa ſint neceſſe eſt, ex quibus id collectum eſt: ergo verū erit, quiſquis ſapiens eſt, eum diuitem eſſe. Nihil differunt autem hi ductus ad argumentandi euentum: quamlibet enim argumentationem paratum eſt vtrouis horum ductuum explicari. Sed aduerſarius forte diſcrimen aliquod in his faciet.

*Quid diſcriminis inter ductum rectum, & obliquū.*

In altercationibus præſertim cōfidens, & qui ſe decipi parum timeat, facilius directo capietur ductu, ſi per multas probationes ducenda ſit confirmatio eius, quod intendimus. Ea em̄ quæ longius diſtāt, & nihil cum re negocij habere videbūtur, facile dabit, ſecurus, & firmus (vt ſibi perſuadet) aduerſus inſidias. Contrà, qui metuet fraudes, illi quę velut tutiſſima proponentur, erunt maxime ſuſpecta: putabitq́; periculoſiſſime credi eis, in quibus minime ſe

prodant pericula. Hic ergo proximis, & ſenſim à propoſito deflectẽtibus, facilius accedat. Acrius & inſtãtius videtur vrgere obliquus ductus, cum per eum falſa intentantes aduerſario, & negãda, grauius premere videamur, quàm ſi directo ductu colligentes vera veris, velut ducere ipſum docereq́ credamur. Directus itaq́ monenti, obliquus eſt exprobranti ſimilior. Ex his nequaquam difficile eſt videre, vbi perfectam neceſſe ſit adhibere argumẽtationem, vbi ſufficiat imperfecta. Nã ſicubi explicata re per imperfectam, conſecutio ſit indubitata, nihil erit opus perfecta, etiam in eis rebus de quibus ſcrupuloſiſſime diſputatur. Sic ſi quando hæreat, vel orator in conficienda argumẽtatione: quia dubitetur, an ſit conſequẽs, quod efficere voluit: ad perfectam argumentandi formam tũc eſſe redeundum, & res ipſa, & eloquentiſſimorum virorum vſus oſtendit.

*Explicat id quod ſuperius appoſuit, quando perfectis, quãdo imperfectis argumentandi formis vtendum.*

## SCHOLIA IN CAP. XIIII.

*Quandoquidem caput hoc multa complectitur, & quæ non ſatis expoſita videantur eſſe ijs, qui parum exercitati ſunt præceptis dialecticorum: expediat fortaſſis quædam repetere paulò altius, & quæ habet Rodolphus, ea in breueis quaſdam velut ſummas colligere.*

*Quæſtio.* ¶ *Quæſtio igitur (vt auſpicemur inde) eſt id de quo diſceptatur. Hoc eſt, quemadmodum ait Boëthius, quæſtio eſt in dubitationem ambiguitatemq́; adducta propoſitio. Vel, vt Rodolphi verbis vtamur, quæſtio eſt cum inter*

rogatione elata oratio, cui eſt aut nō eſt reſpōderi queat.

2 ¶ Argumentum eſt, quo alteram quæſtionis partem verā, aut falſam eſſe oſtendimus. Vel, vt inquit Quintilianus, argumentum eſt res, quæ alterius probationi adhibetur.

Argumē tum.

3 ¶ Argumentatio, eſt oratio ea, qua inuentum iam argumentum rei propoſitæ accommodamus. Ea interim pauciſsimis abſoluitur verbis, interim latiſsime funditur: pro arbitratu eius qui dicit.

Argumē tatio.

4 ¶ Duæ ſunt eius formæ perfectæ, ſyllogiſmus, & enumeratio: quam alij vocant inductionem.

Argumē tationis ſpecies duæ.

5 ¶ Syllogiſmus, eſt oratio, in qua poſitis aliquibus, & cōceſsis, aliud quiddam quàm ſunt ea quæ poſita ſunt, per ea quæ poſita ſunt, neceſſe eſt euenire. Aut ſi mauis hoc pacto: Syllogiſmus, eſt argumentatio, in qua ex propoſitione, & aſſumptione, neceſſario ſequitur concluſio. Vt, nulla ars citra exercitationem perdiſci poteſt, dialectice ars eſt, nequit ergo ea citra exercitationem perdiſci.

Syllogiſmus.

6 ¶ Conſtat ſyllogiſmus quiſq; partibus ternis, quarū prima ab Rodolpho dicitur expoſitio, altera aſſumptio, tertia intentio, ſiue concluſio. Cicero primā illam nominat propoſitionem, aſſumptionem alteram, tertiam complexionem. Expoſitio, eſt pronunciatum, generalem lateq; patentem complectens ſententiam, ex qua omnis vis totius argumentationis emanat. Cicero ſic finit, propoſitio eſt, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet ratiocinationis. Aſſumptio, eſt pronunciatum, quo generalis illa ſententia accōmodatur rei propoſitæ. Concluſio, illud eſt pronūciatum, quod ex expoſitione, & aſſumptione neceſſario colligitur. Vt, ſi probare velis, epiſcopū omnem oportere eſſe virum bonū: hic initio generalem aliquā ſententiam proponas oportet: ea eſſe poſsit eiuſmodi: Cuius hæ partes ſunt, vti homines

Syllogiſmi ptes.

Expoſitio, quæ propoſitio.

Aſſumptio.

Concluſio, quæ & complexio.

cæteros ſuo exemplo reddat meliores, is ipſe ante omnia
bonus ſit oportet. Hæc eſt propoſitio, quæ quãtum in ipſa
eſt, multo pluribus, atq; noſtro huic inſtituto poteſt ac-
cõmodari. quãobrem excipit hãc aſſumptio, ita eam pro-
poſito noſtro aſtringens, vt quod in cõmune prius dictũ
erat, id iam huic inſtituto incipiat eſſe propriũ. Ea aſſum
ptio hæc ſit: Epiſcopi cuiuſq; id munus eſt, vti homines
cæteros ſuo exemplo meliores reddat. Hinc iam, velis no-
lis, ſequitur ea quam initio propoſueramus cõcluſio: nẽpe
hæc, debet ergo epiſcopus vnuſquiſq; eſſe vir bonus.

¶ Iam cum pronunciatũ quodq; duobus cohæreat termi- 7
nis, ſubiecto, & prædicato: alter ex iis, duabus illis prio-
ribus partibus ſyllogiſmi debet eſſe communis, ita vt ſe-
mel in expoſitione poſitus, deinde in aſſumptione etiam
repetatur. Atq; is terminus vtrobiq; hoc modo poſitus,
Mediũ. dicitur medium. Cui qui in expoſitione cõiungitur, dici-
Maius tur maius extremũ: quod ferè latius pateat. Qui in aſſum
extremũ. ptione, extremũ minus: eò quòd de paucioribus dici poſ-
Minus ſit. Verbi cauſa: Cuius officium eſt erudire alios, ipſum
extremũ. eruditum eſſe oportet. In hoc ſyllogiſmo, mediũ eſt, alios
erudire: maius extremum, ipſum oportere eſſe doctũ: mi-
nus extremum, epiſcopus.

Cauilli amotio. Quòd ſi cui videantur hæc parũ conuenire tertiæ ſyl-
logiſmorum figuræ: ei hoc ego reſponſum volo in præſen
tia, rarum aut nullum potius eſſe huius figuræ apud eru
ditos vſum: ac proinde indignam viſam fuiſſe, cuius nos
cura hic angeret.

Enumera tio, ſiue inductio. ¶ Porrò enumeratio (inductionem alij vocãt) eſt argu- 8
mẽtatio, qua ex pluribus, vel partibus, vel ſpeciebus, vnũ
vel totum, vel genus vniuerſaliter colligitur. Sed de hoc
paulò pòſt explicatius.

Duæ ar- ¶ Interim ſciendũ illud, quòd præter has duas argumen- 9

*tandi formas, aliæ duæ ſunt argumentandi ſpecies imperfectæ, enthymema, & exemplum. Enthymema, eſt ſyllogiſmus, cui altera propoſitionū deeſt. Vt, anima à ſe ipſa mouetur, ergo mouetur ſemper. Et, quod ſemper mouetur, id immortale eſt, ergo immortalis eſt anima. Exemplum eſt, quo vnum particulare probatur per aliud. Vt; non potuit Romam capere Annibal, ergo nec Gotthi. Hæc rudius. cætera poſt dicemus explicandis verbis Rodolphi.*

*[Margin: gumentādi formæ imperfectæ. Enthymēma. Exemplū]*

10 ¶ *Quidam imperfectas haſce argumentationes à ſuperioribus illis diſcreuere hoc pacto, vt has dicerent pertinere ad rhetorem, illas ad dialecticum. Quorū ſententiam non ſatis eſſe veram, id vel hinc liquet: quòd & dialectici enthymematis exēpliſq;, & rhetores perfectis interim ſyllogiſmis vtantur.*

*[Margin: Quo diſtent formæ ab illis prioribus.]*

11 ¶ *Itaq; ſi quis accuratius volet iſta ſecernere, is hoc dicet: in perfectis illis, ſolum antecedens vocari in dubium poſſe: in imperfectis, non modo antecedens, ſed & conſecutionem.*

12 ¶ *Ac proinde quoties res eſt eiuſmodi, vt in imperfectis hiſce formis certa ſit conſecutio, non eſt cur perfectis vtamur: ſin verò ambigi de conſecutione poßit, iam perfectis vti præſtiterit, ſiue in rhetorum, ſiue in dialecticorum campo verſeris.*

*[Margin: Quando perfectis, quādo imperfectis vtēdum.]*

13 ¶ *Poteſt autem vnaquæq; harum ſpecierū duplici ductu tractari, directo, & obliquo. Directus eſt, cum propoſito aliquo, velut recta via colligimus id quod probare volumus. Obliquus, cum accepto cōtradicente eius quod probare volumus, colligimus ex eo aliquid quod falſum ſit: vnde regreßi, docemus falſum id eſſe ex quo collectum eſt: idq; quia contradicens eſt eius quod intendimus, conſequens eſt, iſtud eſſe verum.*

*[Margin: Duplex tractādarū argumentationum ductus.]*

Hi duo ductus quo diſtent.

¶ Inter hos ductus illud modo intereſt, quòd prior ille aptior eſt aduerſus ſecurum, ac intrepidum aduerſarium: hic poſterior, contra ſolicitum, & tergiuerſantem.

¶ Hæc ferè ſumma eſt eorum, quæ toto hoc capite explicantur. Iam ſingulatim ea quæ difficultatis aliquid habere videbuntur, explanare incipiamus. Quanquam illud adhuc in commune dicendum eſt. Video ego partes ſyllogiſmorũ, apud diuerſos authores, diuerſis itẽ nominibus ſignificari. Proinde ne quid caliginis afferat multitudo iſtorum nominum, hunc in modum ea diſcernat iuuẽtus.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Syllogiſmi. | Pars prima. | Ab Ariſtotele | Dicitur | Propoſitio maior. |
| | | A Cicerone | | Propoſitio. |
| | | A Quintiliano | | Intentio. |
| | | A Boëthio | | Propoſitio, aut ſumptum. |
| | | Ab Rodolpho | | Expoſitio. |
| | Partem ſecundam. | Ariſtoteles | Nominat | Propoſitionem minorem. |
| | | Cicero | | Aſſumptionẽ. |
| | | Quītilianus | | Aſſumptionẽ. |
| | | Boëthius | | Aſſumptionẽ, vel aſſumptũ. |
| | | Rodoldhus | | Aſſumptionẽ. |
| | Pars tertia. | Ab Ariſtotele | Appellatur | Concluſio. |
| | | A Cicerone | | Complexio. |
| | | A Quintiliano | | Connexio. |
| | | A Boëthio | | Concluſio. |
| | | Ab Rodolpho | | Concluſio, vel intentio. |

*Quanquam dum Quintiliani verba conſidero diligentius, videtur is mihi intentionis nomine intelligere concluſionem, nondum probatam, ſed in hoc propoſitam, vt probetur: deinde aſſumptionem vocare eam, quæ à Cicerone dicitur propoſitio: connexionem autem, quæ ab alijs aſſumptio dicitur, eò quòd hæc intentionem cum propoſitione connectat. Verum hæc excutere ſcrupuloſius, difficilius fortaſſe quàm cõmodius fuerit: idcirco ea in medium relinquamus. Nam quod Boëthius his tantum nominibus vtatur in deſignandis partibus ſyllogiſmi hypothetici, id certe leuius eſt, quàm quod admoneri oporteat. Ergo iam ad ſingula.*

1 P†Ro hac diuerſitate duæ natæ ſunt perfectæ formæ argumentandi. ] *Perfectas dicit propterea quòd enthymema quoq;, & exemplum formæ argumentandi ſunt, ſed imperfectæ.*

2 ¶ † *Alteram vocat Græco nomine* συλλογισμόν. ] παρὰ τὸ συλλογίζεσθαι, *id eſt, colligere, & ratiocinari.*

3 ¶ † *Cicero aptè, vt omnia, & propè ad verbum, ratiocinationem dixit.* ] *Cicero primo rhetoricorũ: Omnis autem, inquit, argumentatio, aut per inductionẽ tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Et rurſus. Ratiocinatio eſt, inquit, oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe vi, & ratione confirmet.*

4 ¶ † *Mihi rectiſſime videtur inductio enumeratio dici: quemadmodum Cicero dixit &c.* ] *Ego, inquit Rodolphus, exiſtimo eam, quæ ab alijs dicitur inductio, rectius dici poſſe enumerationem, eò quòd partiũ, aut ſpecierum quædam in ea fiat enumeratio. Cicero primo rhetoricorum, poſteaquam duo docuit eſſe genera argumentandi, vnum neceſſarium, alterum probabile: atq; prius illud trifariam tractari poſſe, per complexionem, per enumerationem, & per ſimplicẽ concluſionẽ: deinde*

Enumera- ( *quod ad hunc attinet locum* ) *Enumeratio eſt, inquit,*
tio apud *qua pluribus rebus expoſitis, & cæteris infirmatis, vna*
Ciceronē. *reliqua neceſſario confirmatur: hoc pacto: Neceſſe eſt, aut inimicitiarum cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia: aut ſi horum nihil eſt, non ab hoc eſſe occiſum: nam ſine cauſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus vllus, nec ſpes ex morte illius alicuius commodi, neq; ad amicum eius aliquē mors eius pertinebat, Relinquitur ergo vt ab hoc non ſit occiſus.* ¶ † Eſt autem inductio, vel vt nos dicimus enumeratio. ] *Varie vſurpatur nomen inductionis apud authores: quæ res eſſe in cauſa ſolet, vt cum legerint omnia quæ de ea apud diuerſos ſcripta ſunt iuuenes, nondum tamen quæ vis & natura eius ſit aſſequantur. Quocirca viſum eſt mihi, quædam paulò altius de ea repetere: quæ ſi eiuſmodi non erunt, vt ſatisfaciant doctis, profuerint tamen in hoc, vt alij his reprehendendis meliora afferant, & ſi non aliud, hoc certe eſfeciſſe videamur, vt anſam præſtiterimus alijs, accuratius res iſtas tractandi. Ergo, vt quidem mihi videtur,*
Inductio. *inductio eſt argumentatio, qua vel ex partibus totū, vel ex ſpeciebus genus, aut certe alia pars, aliáve ſpecies colligitur. Partes in præſentia intelligo eas, quæ vulgo dicuntur partes integrales. Speciem id ipſum quod Rodolphus. Cum ſint autem quatuor inducendi modi, quos in finitione attigimus, eorum primi hoc eſſe poßit exemplū.*
Ex partibus totū. *Concutitur hodie bellis Germania, Italia armis vaſtatur, concurrunt infeſtis ſignis Hiſpani & Galli, Angli cum Scotis belligerantur, in Dacia nullus paci eſt locus: quantulum ergo abeſt, quo minus vniuerſus orbis Chriſtianus bello à ſeipſo diſsideat, & ſuo quod dici ſolet gladio iuguletur?*
Ex ſpecie genus. *Secundi hoc: Romulus fratrem ſecum regnan-*

*tem ferre non potuit, neq; Pompeium Cæſar, nec Augu-
ſtus Antonium: & tu adhuc aliquem putas eſſe in ter-
ris, qui æquo animo ſit laturus conſortem imperij? Illud* Ex parti-
*tertij: Quid? manus ſi ſit ita infecta, vt nec ipſa ſanari* bus pars.
*queat, & periculum ſit, ne in reliquum corpus is morbus
prorepat, antea quàm id fiat abſcinditur: idē fit brachio,
pedi, naſo, labris: & capiti videlicet idem non fiat? Quar-* Ex ſpe-
*ti hoc: Age inter poma quodnam generoſiſſimum dici-* ciebus
*tur? an nō id quod optimum eſt? quid equus, piſcis, ager,* ſpecies.
*pratum? nónne horum quicque ita demum generoſiſſi-
mum dicitur, ſi ſit idem & optimum? dicitur profecto:
quocirca inter homines quoque generoſiſſimum eſſe eum
dicemus, non qui natalium ſplendore anteit cæteros, ſed
qui virtute ac probitate morum reliquos omneis præſtat.*
*Duo eius genera fieri poſſunt. Eſt enim inductio omnis,* Duæ ſpe-
*aut perfecta aut imperfecta. Perfectam voco, quæ neceſ-* cies indu
*ſario colligit. Imperfectam, quæ tametſi admodum colli-* ctionis.
*git probabiliter, nulla tamen ſubeſt concludendi neceſſi-* Perfecta.
*tas. Prior duobus fit modis. Principio, quoties omnibus* Imperfecta.
*vel partibus vel ſpeciebus enumeratis, totum aut genus* Perfecta
*inde colligitur. Deinde, cum non enumerantur omnia inductio
quidem, cæterum apponitur tamen clauſula aliqua, qua rurſum
ea quæ enumerata non ſunt comprehendantur. Imperfe-* duplex.
*cta & ipſa duobus fieri modis poteſt. Primum, cum ex* Imperfecta
*quibuſdam tantum, aut etiam quandoque ex ſola vna & ipſa
parte aut ſpecie aliqua ad totū aut genus progredimur.* duplex.
*Deinde, quoties vna aut altera parte, aut ſpecie enumera-
ta, non genus aut totū, ſed aliam quampiam partem ſpe-
ciémve inde colligimus. Atque hæc demum ea eſt, quàm
rhetoricam inductionem vocant, quæq; alio nomine di-
ci ſolet exemplū. Quod nomen ab Ariſtotele eis etiā argu
mētationibus datur, vbi ex pluribus particularibus vnū*

*Si neſcis, ne auunculo quidem ſuo homini innocẽtiſſimo, verum ſuis iſtis ſceleratiſſimis conatibus reſiſtenti pepercit: & nos adhuc fore ſperamus ſcilicet, vti huius tam crudelis belluæ, ſi quando voti cõpos erit, gladios ciuis quiſquam euadat? Equidem mihi videre videor, nihil eũ aliud animo deſtinaſſe, niſi vt totam hanc rempubl. funditus euertat atq; in nihilum redigat. Nam qui conſulibus palàm cædem minatur, qui prætores etiam hoc tempore dubijs adhuc rebus à dicendo iure deterret, hic quid aliud quàm totius reipub. meditatur interitum? Profecto quiſquis non parcit capiti, totum corpus extinctum vult. Et qui magiſtratus è ciuitate tollit, nõ vult ſaluam rempub. Nunquam 'ne legiſtis, quo modo olim tyrãnidem inuaſerit apud Athenienſes Piſiſtratus, Dionyſius apud Syracuſanos, apud Agrigentinos Phalaris? quorum mores nõ tam referret nouus hic Phalaris noſter, niſi & finem quem illi quærebant quæreret. Anni ſunt vixdum triginta, cum auus eius ſimile quiddã in hac ipſa vrbe molitus eſt: qui ſi eo tempore ijs quibus dignus erat excẽplis eſſet affectus, nunquam hic illi ſimilis eſſe voluiſſet: nunc verò etiam gloriæ ſibi apud poſteros fore exiſtimat, ſi vel ſuperaſſe ſcelus illius, nedũ æquaſſe videatur. Itaq; prouidendum eſt vobis, ne quemadmodum hic nunc illius, ita alius quiſquam poſt annum vnum aut alterum huius eſſe ſimilis velit. Id quod hac demum ratione commode fiet, ſi ab hoc nunc vltimum ſupplicium ſumetis. Nam ſi in humano corpore, quoties membrũ aliquod ita affectũ eſt, vt nec de eius ſalute ſperari poſſit, & periculum ſit, ne reliquum etiam corpus contagione ſua totum inficiat, tum id membrum ſine cunctatione præcidi ſolet: ſi idem fieri videmus in ramis arborum, idem in vitium putatione, quis ſit, qui hoc membrum tam peſtilens, hũc inquam*

do ſpeciebus colligitur genus.

Vbi ex vna ſpecie genus

Vbi ex aliquot partibus totum.

Vbi ex vna parte totum.

Secundi modi exẽplũ, vbi ex aliquot ſpeciebus fit progreſſus ad aliam ſpeciem.

A ſpecie ad aliam ſpeciem.

A pluribus partibus ad vnam.

*Ab vna parte ad alteram.* *perniciosiſsimum non dico ciuem ſed hoſtem è Reipub. adhuc corpore nolit reuelli? Credite mihi, quemadmodū ouis ſæpenumero vna totum inficit gregem: ita vnus peſtilens ciuis ſæpe vniuerſam rempublicam. Laurentius*

*Contra Laurētiū Vallam.* *Valla contra Boëthium diſputans, negat inductionem dicendam eſſe, quæ vel interrogationibus careat, vel à particularibus ad vniuerſale progrediatur. Id quod miror equidem excidere potuiſſe homini ingenioſiſsimo, quando neutrum ex ijs vſquequaque verum eſſe, facile probatiſsimorum authorum ſcriptis oſtendi queat. Quod autem Socrates apud Platonem ferè interrogationibus vtitur, id non ea de cauſa facit, quòd omnino aliter inductio fieri non poſsit, ſed quòd eiuſmodi ratio elocutionis maxime ſit apta dialogis. Alioqui non eſſe ſemper neceſſarias interrogationes, facile declarant verba Ciceronis tertio libro de finibus: quo in loco cum dixiſſet, nouis rebus noua item eſſe imponenda & nomina, deinde hæc*

*Exemplū primū inductionis quæ interrogatiōes nō habet.* *verba ſubiecit. Quod quidem nemo medioeriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte cuius vſus ſingularis cōmuniſq́; non ſit, multam nouitatem nominum eſſe: cum conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaq; arte verſantur. Itaque & dialectici & phyſici verbis vtūtur ijs, quæ ipſi Græciæ nota non ſunt. Geometræ verò, muſici, grammatici, etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſæ rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis. Atque vt omittam has artes elegantes & ingenuas, nec opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis vterētur nobis incognitis, vſitatis ſibi. Quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia: tamen eas res, in quibus verſatur, nominibus notauit nouis: quo magis hoc philoſopho faciendum eſt. Apud eun-*

dem primo de oratore: Ego verò (inquit Antonius) per‑ Exemplũ
gam: & id faciam, quod in principio fieri in omnibus di‑ ſecũdum.
ſputationibus oportere cenſeo: ne vagari & errare coga
tur oratio, ſi ij qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe il‑
lud de quo agitur intelligent. Nam ſi quæreretur, quæ
eſſet ars imperatoris, conſtituendum putarem principio,
quis eſſet imperator: qui cum eſſet conſtitutus, admini‑
ſtrator belli gerendi: tum adiungeremus de exercitu, de
caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppi
dorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs facien‑
dis atque vitandis, de reliquis rebus, quæ eſſent propriæ
belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo & ſcien‑
tia compotes, eos eſſe imperatores dicerem: vtererq; exẽ‑
plis Aphricanorum, & Maximorum: Epaminundam,
Annibalem, atque eius generis homines nominarem. Sin
autem quæreremus, quis eſſet is, qui ad rempub. mode‑
randam, vſum & ſcientiam & ſtudium ſuum cõtuliſſet,
definirem hoc modo, qui quibus rebus vtilitas reipub. pa
raretur augereturq; teneret, iisq; vteretur: hunc reipu‑
blicæ rectorem & conſilij publici authorem eſſe haben‑
dum: prædicaremq; P. Lentulum principem illum, &
Tyberium Gracchum patrem, Q. Metellum, & P.
Aphricanum, & C. Lælium, & innumerabiles alios,
tum ex noſtra ciuitate, tum ex cæteris. Sin autem quæ‑
reretur, quiſnam iuriſconſultus vere nominaretur, eum
dicerem, qui legum conſuetudiniſq; eius, qua priuati in
ciuitate vterentur, & ad reſpondendum, & ad agendũ,
& ad cauendum, peritus eſſet. Ex eo genere Sex. Æliũ,
M. Manilium, P. Mutium, nominarem. Atque vt iam ad
leuiora artiũ genera veniam, ſi muſicus, ſi grãmaticus, ſi
poëta quærat: poſſem ſimiliter explicare, quid eorũ quiſq;

profiteatur, & quod non amplius à quoquam ſit poſtulādum. Philoſophi deniq; ipſius, qui de ſua vi ac ſapientia, vnus omnia penè profitetur, eſt tamē quædam deſcriptio: vt is qui ſtudeat omnium rerum diuinarum atq; humanarum vim, naturam, cauſasq́; noſſe, & omnem bene viuendi rationem tenere & perſequi, nomine hoc appelletur &c.

*Tertium.* Idem in oratore ad Brutum. Quod (nempe indecorum ac dedecens) ſi poëta fugit vt maximũ vitiũ, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo, ſtultóve ſapiētis: ſi deniq; pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia triſtis Calchas eſſet, mæſtior Vlyſſes, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari, ſi denique hiſtrio quid deceat quærit, quid faciendum oratori putemus? Iam quod addit Laurentius, ex particularibus vniuerſale probari non poſſe, ne id quidem ſemper verum eſſe, partim ex ijs quæ iam ex Cicerone adduximus (modo accuratius expendātur) partim etiam ex ijs, quæ ex Platone mox afferemus, liquere poteſt.

*Primum exemplũ ex Platone oſtendens vniuerſale colligi poſſe ex particularibus.*

In Phædone hunc in modum Cebetem interrogat Socrates: Ergo vtrum neceſſarium eſt, cuicunq; aliquid eſt contrarium, nullo modo aliunde id, quàm ex ſuo contrario fieri, veluti quando quid maius efficitur, neceſſe eſt ex eo quod fuerat minus poſtea maius euadere? CEBES. Ita eſt. SOCRA. Nónne & ſi quid minus fiat, ex eo quod ante maius erat, poſtea fiet minus? CEBES. Sic omnino. SOCRAT. Quinetiam ex robuſtiori debilius, ex tardiore velocius. CEBES. Prorſus. SOCRAT. Quid verò ſi quid euadat deterius? nónne ex meliori? & ſi iniuſtius, ex iuſtiori? CEBES. Quidni? SOC. In omnibus igitur ſatis id exploratum habemus, oīa ita fieri, contraria videlicet ex contrarijs.

Item in Euthydemo. SOC. Nunquid in effectione & vſu circa ligna, aliud præter fabrilem ſcientiam recte vti ſin=gulis efficit? CLINIAS. Non aliud. SOC. Quin etiã circa vaſa conficienda rectum vſum ſcientia præſtat. CLINIAS. Præſtat. SOCR. Nónne & circa vſum bonorũ quæ ſupra retulimus, diuitiarũ, ſanitatis, formæ, ſcientia ipſa dux erat, docens recte his vti, rationemq́; di=rigens? CLI. Prorſus. SOC. Non ſolum igitur proſpe ram rerum conſecutionẽ, ſed & bonũ vſum, vt videtur, in omni poſſeſſione actioneq́; hominibus ſciẽtia præbet. Hactenus Plato. Quem in modũ & Cicero in oratione ea quã dixit pro lege Manlia, ꝓbat in Põpeio omnes res eas ineſſe, quæ in ſummo imperatore exigant, ꝓpterea quòd in eo inſit ſciẽtia rei militaris, quòd virtus, qđ autoritas, quòd felicitas. Quæ vtiq; inductio eſt, & quidem à ſpe=ciebus ad genus. Quod habet idem, ſtultum dictu eſſe ſi quis in inductione apponat hæc verba, & ſic de ſingu=lis: aut alia fortaſſe, quorum tamen eadem ſit vis & ſigni ficatio: id planè cum eo pugnat, quod nos diximus pau=lò ante, de ſecundo perfectæ inductionis modo. Quapro=pter huius etiã rei exemplũ ex Platone afferamus: quod ſi non planè atq; omni ex parte cum illa inducẽdi forma conſentiet, hactenus conſentiet tamen vt intelligas, quo=ties partes aut ſpecies non omnes enumerantur, tum fie=ri poſſe, vt eiuſmodi clauſula aliqua, in earum, quæ enu=meratæ non ſint, locũ ſuccedat. In Gorgia igitur legimus ad hunc modum: SOC. Quid verò? qui ea quæ ad fabri cam pertinent didicerit, nónne eſt faber? GORGIAS. Eſt. SOC. Et qui muſicam, muſicus. GORG. Ita. SO. Et qui ea quæ ad medicinam pertinent, medicus. Atque in cæteris eodẽ pacto, quiſquis didicerit aliquid, talis eua dit, qualem cuiuſq; ſcientia reddit. GORG. Omnino.

Secũdum eiuſdẽ rei exẽplum ex eodem authore.

Tertiũ ex Cicerone.

Num in inductio=ne appo=nẽda hæc particu=la, & ſic de ſingu=lis.

SO. Non'ne igitur per hanc rationem iuſtus erit, quicunque iuſta didicerit? GOR. Maxime. Hucuſque Plato. Atque hæc nobis in præſentia occurrerunt, quæ de inductione obiter diceremus. Quòd ſi quando ex inſtituto hac de re agere continget, accuratius ſingula perſequemur.

¶ † Plebs Romana optime de Milone ſentit.] Sententia 6
ducta ex oratione Ciceronis pro Milone. ¶ † Pompeius 7
habet virtutem.] Ex eiuſdē oratione pro lege Manilia.

Syllogiſmus quid Ariſtoteles.

¶ † Ratiocinatio ſi latino maluimus vti nomine, eſt, vt 8
inquit Ariſtoteles, oratio.] Ariſtoteles priore τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν libro ſyllogiſmū finit his verbis: συλλογισμός δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει * τῷ ταῦτα εἶναι. Ea verba hūc in modum vertit Boëthius. Syllogiſmus eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam & cōceſſis, aliud quiddam quàm ſint ea quæ poſita & conceſſa ſunt, neceſſario contingit, per ipſa quæ conceſſa ſunt. Quo in loco illud non inutile fuerit meminiſſe, à Boëthio explicandi modo cauſa adiectū fuiſſe hunc ablatiuum conceſſis, vti ſignificaret illud poſitis apud Ariſtotelem eſſe aliud nihil, quàm ſi dixiſſet cōceſſis. Id quod manifeſtius adhuc docet Aulus Gellius, cum decimoquinto noctium Atticarum libro, hanc ipſam Ariſtotelis finitionem hunc in modum latinam fecit: Syllogiſmus eſt oratio, in qua conſenſis quibuſdam & conceſſis, aliud quid quàm quæ conceſſa ſunt, per ea quæ cōceſſa ſunt, neceſſario conficitur. Quibus planè conſona ſunt, quæ in primum librum topicorum Ariſtotelis ſcribit Alexander Aphrodiſieus, qui poſteaquam docuiſſet λόγον, id eſt orationem eade cauſa poni in finitione ſyllogiſmi, quòd eſſet ipſius genus, deinde reliquas etiam finitionis partes explanaturus, inter alia multa etiam hæc dicit: σημαίνει δὲ αὐτῷ τὸ τεθέντων, ληφθέντων τε καὶ συγχω-

*Aliâs, διὰ τῶν κειμένων

quam lectionē & Boëthiū ſecutū apparet.

ϛυκ̓ιντων &c. id eſt: Significat autem Ariſtoteli hæc vox poſitis, id ipſum, quod ſumptis atq; conceſsis. Quãquam quid tum multa in re perſpicua? niſi quòd apud quoſdam hodie religioſum eſt, vel latum (quod aiunt) culmum à
9 ſuis illis diſcedere copulatis. ¶ † Vel, eſt argumentatio, in qua poſitarum duarum propoſitionum duo termini ſic iunguntur in vno tertio.] Quòd ſi minus arrideat definitio Ariſtotelica, poteris, inquit, ratiocinationem finire & hoc modo, Ratiocinatio: ſiue (quod idem eſt) ſyllogiſmus, eſt argumentatio, in qua duo extremi termini duarum propoſitionum conceſſarum, ita accommodantur vni termino medio, vt ſi vtriſq; conueniat cum illo, ipſis etiam inter ſeſe conueniat: ſin autem alteri eorum cum illo non conueniat, tum ne ipſis quidem conuenire inter ſe poſsit. Verbi cauſa: omnis liberator patriæ ſumma laude eſt dignus, Brutus liberator eſt patriæ, ergo Brutus ſumma laude eſt dignus. Hic duo extremi termini ſunt, ſumma laude dignum eſſe, & Brutus: quibus vtriſque quia cum medio illo termino conuenit, qui eſt liberator patriæ: proinde inter ſe etiam ipſis conuenit in concluſione. Rurſus, nemo oppreſſor libertatis dicendus eſt parens patriæ, C. Cæſar libertatis oppreſſor fuit, non fuit is ergo dicendus parens patriæ. Huius ſyllogiſmi duo extremi termini ſunt, dicendum eſſe parentem patriæ, & C. Cæſar: medius, libertatis oppreſſor. cum quo medio quia conuenire non poteſt alteri extremo, nempe parenti patriæ, hinc eſt vt & ipſi termini extremi alter ab altero in concluſione diſsideant. Porrò illis terminis cõuenire inter ſe dico, quorum alter de altero affirmatur: illis non conuenire,
10 quorum vterq; de altero vere negatur. ¶ † Idergo quod

Quomodo ſyllogiſmum finiat Rodolphus.

*efficitur argumentatione, alij concluſionem, alij intẽtio-
nem vocant.] A Cicerone non concluſio, non intẽtio, ſed
complexio dicitur. Quanquam is de vnius ſyllogiſmi cõ-
plexione loquitur, non etiam de inductionis. ¶ † In ratio-* 11
*cinatione autem tantũ duæ ſunt propoſitiones.] Propo-
ſitiones appellat* τὰς προτάσεις. *Alioqui apud latinos eam
video propriè dici propoſitionem, quæ ab Rodolpho di-
citur expoſitio, Ariſtoteles maiorem vocat. Sed de his ſu-*
Enthymema *pra. ¶ † Quarum quæ ad ratiocinationem ducitur, enthy* 12
*mema dicitur, id eſt, vt Quintilianus interpretatur, com-
mentum.] Fabius libro quinto: Nã enthymema, inquit,
(quod nos commentum ſanè aut cõmentationem inter-
pretemur, quia aliter non poſſumus, græco melius vſuri)
vnum intellectum habet, quo omnia mente concepta ſi-
gnificat, ſed nunc de eo non loquimur: alterum, quo ſen-
tentiam cum ratione: tertium, quo certam quandam argu
menti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repu-
gnantibus, quanquam de hoc parum cõuenit. Sunt enim
qui id prius epicherema dicant: pluresq; inuenias in illa
opinione, vt id demũ quo pugna conſtat, enthymema ac-
cipi velint. Et ideo illud Cornificius contrarium appel-
lat: hunc alij rhetoricum ſyllogiſmum, alij imperfectum
ſyllogiſmum vocarunt: quia nec diſtinctis nec totidem*
Exemplũ *partibus concluderetur: quod ſanè non vtiq; ab oratore* 13
*deſideratur. ¶ † Quid ſit exemplũ, ſuperiore libro.] Ca-* 14
*pite 25. ¶ † Illud enim, P. Scipio occidit iure Melium.]
In hiſtoria erratũ eſſe, monuimus libro ſuperiori. Quod
autem addit Rodolphus argumentationem hanc, P. Sci-
pio iure occidit Tyberium Gracchũ, ergo Cicero iure oc-
cidit Catilinam: hanc, inquam, inductionem non eſſe ſed
ſyllogiſmum: id verum eſt, ſi vocabulum inductionis eo
intellectu ſumatur, quo id accepere Rodolphus & Ari-*

ſtoteles

ſtoteles.verum antea illud à nobis dictũ eſt, varium eſſe nominis huius apud authores vſum. Id quod etiam notauit Boëthius,qui cum initio inductionem more Ariſtotelico definiuiſſet,Inductio ( inquiens) eſt oratio,per quã fit à particularibus ad vniuerſale progreſsio: deinde paucis interpoſitis verbis, Sæpe autem multorum ( inquit) collecta particularitas,aliud quiddã particulare demonſtrat. Atq; hæc eſt illa inducendi forma,quam appellant inductionem rhetoricam, & de qua ſola in rhetoricis locutus eſt Cicero,quamq; Ariſtoteles in rhetoricis ſuis,interim exemplum,interim rhetoricam inductionem vocat. Poſſem plura,poſſem hæc explicatius,niſi vererer,ne & hæc, lectori præſertim occupato, multa nimiũ videantur. Illud tamen vel nolens addam,ſi quis hanc argumentãdi formam de qua loquimur,ſyllogiſmum quàm inductionẽ vocare malit,non id magnopere diſpliciturum mihi,modo ne obſtet nominum vſus:cum videam facillime hæc in ſyllogiſmi formam conijci poſſe.Quid enim fuerit negocij,ſi quis id,de quo diximus,exemplum, in eiuſmodi redigat ſyllogiſmum? Quicquid P. Scipio iure fecit in Tyberium Gracchum, hoc & Cicero iure faciet in L. Catilinam: atqui Scipio Tyberium iure occidit,ergo & Catilinam iure occidet Cicero.

Inductio.

15 ¶ †Omnis poteſtas impatiens conſortis erit.] Sententia eſt Lucani primo Pharſaliæ libro.

16 ¶ †Quid ſatis eſt,ſi Roma parũ?] Verba ſunt militum de Cæſare apud eundem authorem lib. 5. Neq; mirum ſi hoc non poſsit dici exemplum:quando ex particulari,nõ ad aliud particulare,ſed ad vniuerſale fit progreſsio:quod nos genus inductionis ſuperius ab exemplo ſecreuimus.

17 ¶ †Ariſtoteles autem dixit enthymema ratiocinationem rhetoricam.] Ariſtoteles primo rhetoricorum libro: Eorum ( inquit) quibus probamus, vt & in

Ariſtotelis ſententia de

enthyme- dialecticis, aliud inductio eſt, aliud ſyllogiſmus. Nam en-
mate. thymema quidem ſyllogiſmum rhetoricum, exemplū ve-
rò rhetoricam inductionẽ appello. Et 2. lib. τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν : Ἐνθύμημα μὲν οὖν ἐστὶ συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων. id eſt: Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus ex veriſimilibus aut ſignis. Et iterum in rhetoricis: quare neceſſe eſt (inquit) tam enthymema quàm exemplum de ijs eſſe, quæ vt plurimū aliter quoq; ſe poſſunt habere, exemplum quidem inductionẽ, enthymema verò ſyllogiſmum, ex paucis, ac ſæpe paucioribus quàm ea ſunt, ex quibus conſtat ſyllogiſmus. Nam ſi quid totū perſpicuum eſt, id dicendum non eſt: ipſe nanq; auditor id ex ſeipſo affert. Hinc liquet Ariſtotelem in rhetoricis vtiq; enthymema & ſyllogiſmum, non tam forma argumentandi quàm materia diſcreuiſſe, credidiſſeq; enthymematis, etſi non crebro, tamen aliquando certe totidem eſſe partes debere quot ſyllogiſmi. Quorſum enim attinebat dicere, enthymema ſæpe ex paucioribus partibus conſtare quàm ſyllogiſmum, ſi non interim & ex totidem fieret? Quorſum attinebat, vt diceret, in enthymemate ſubticenda eſſe quæ auditor ex ſeipſo afferret, niſi ſignificare ex aduerſo voluiſſet, quæ is ex ſeipſo non afferret, ea in enthymemate eſſe explicanda? Poteſt autem id fieri nonnunquam, vt neutram partium ex ſeipſo afferat auditor, quo circa tunc vtique vtræq; dicendæ erunt. Atque hoc eſt quod vult ſibi Rodolphus cum dicit: Sunt itaque qui putent Ariſtotelem non diſcreuiſſe forma argumentandi à ratiocinatione enthymema, ſed certo tantum rerum genere enthymema conſtare voluiſſe. Fabius libro quinto videtur eo ipſo diſcrimine ſecreuiſſe ſyllogiſmum & epicherema, quo Ariſtoteles ſyllogiſmum & enthymema. Verba eius

*habent ad hunc modum: Epicherema autem nullo differt*
*à ſyllogiſmis, niſi quòd illi, & plures habent ſpecies, &*
*vera colligunt veris: epicherematis frequentior circa cre=*
18 *dibilia eſt vſus.* ❡ †Plerique rhetores velut dignatione
*quadam.*] Horum ſententiam attigit & Fabius libro
*quinto. Et in topicis Cicero de adiunctis loquens, ex hoc*
*(inquit) illa rhetorum ex contrarijs concluſa, quæ ipſi*
ἐνθυμήματα *appellant: non quia non omnis ſentẽtia pro=*
*prio nomine* ἐνθύμημα *dicatur: ſed vt Homerus propter*
*excellentiam cõmune poëtarum nomen efficit apud Græ=*
*cos ſuum, ſic cum omnis ſententia enthymema dicatur,*
*quia videtur ea quæ ex contrarijs conficitur acutiſſima,*
19 *ſola proprie commune nomen poſſidet.* ❡ †Quem alie=
*num fidum inuenies, ſi tuis hoſtis fueris?* ] Verba Mi=
20 *cipſæ ſunt ad Iugurtham apud Salluſtium.* ❡ Quid ſa=
*tis eſt, ſi Roma parum?* ] Diximus eſſe verba militum
*aduerſus Cæſarem apud Lucanum quinto libro Pharſa=*
21 *liæ.* ❡ †Audes fulcire ruinam ſub qua Roma iacet?]
Photinus apud Lucanum libro octauo, perſuaſurus Pto=
*lemæo regi Ægyptiorum, vt Pompeium ad ſe confugien=*
*tem occideret, inter cætera argumentatur & hoc mo=*
*do: Tu Ptolemæe potes magni fulcire ruinam, Sub qua*
22 Roma iacet? &c. ❡ †Et, cum meretricis ſit quòd ama=
*tor odi, cuius putatis eſſe quòd pauper adamaui?* ] Ver=
*ba ſunt Fabij Quintiliani in declamatione ea, quæ in=*
23 *ſcribitur Odij potio.* ❡ †Colligũt cõprehenſiones ſuas.]
Comprehenſiones vocat τὰς καταλήψεις, quarum toties
*iam à nobis facta eſt mentio, quaſque à Cicerone, interim*
*cognitiones, interim cõprehenſiones transferri diximus.*
24 ❡ †Ergo, vt alio loco diximus.] Paulo ante in hoc ipſo
25 *capite.* ❡ †Et pro Plãcio itidem.] Maxima pars eorum,

Enthymemation quid ſignifi=cet.

quæ pro Plancio Cicero dixit, in hunc recidũt ſyllogiſmũ. Quod quis à populo impetrare poteſt diligentia, aſſiduitate, gratia, officio, precibus amicorum, id neceſſe non eſt, ambitu eum conſecutum eſſe, etiam ſi dignitate à competitore vincatur: at in creandis magiſtratibus, maxime his rebus moueri populus ſolet: proinde vt ſuperetur Plãcius dignitate à Laterenſi, non cõtinuo illud neceſſe eſt, vt ambitu ædilitatem ei obtigiſſe dicamus. ¶ †Loci quidem communes, vt rhetores vocant. ] Cicero in Oratore, de locis communibus loquens: Qui, inquit, communes ſunt appellati, quòd videntur multarum ijdem eſſe cauſarum. Sunt ergo loci communes, communes quædam formulæ virtutum, ac vitiorum, cæterarumq́; rerum, quæ ferè inter dicendum ſolent occurrere: vt quæ in ingratitudinem, luxuriam, auaritiam, loquacitatem: item de iuſtitia, prudentia, vita, morte, cæteriſq́; id genus rebus dici ſolent. Cicero in rhetoricis vocat locos communes, qui communiter & ab accuſatore & à defenſore tractari poſſunt, vt fama, tormenta, tabulæ, teſtes, argumenta &c.

*Loci communes.* 26

¶ †Cœlium damnandum. ] Pro hoc extat etiamnum 27 pulcherrima Ciceronis oratio, qua eum veneficij reũ defendit. ¶ †Quoniam autem vniuerſaliter pronunciata, 28 qualem plerunq; maiorem ratiocinationis propoſitionẽ faciunt. ] Tres faciũt dialectici ſyllogiſmorum figuras, primam, qua medius terminus in vno pronunciato ſubijcitur, in altero prædicatur: ſecundam, qua vtrobiq; prædicatur terminus medius: tertiam, qua vtrobique ſubijcitur. Iam priores illæ duæ, ſemper maiorem propoſitionẽ vniuerſalem habent: modo intra eos illarum modos conſiſtamus, quos enumerauit Ariſtoteles. Tertia poteſt illa quidem maiorem habere particularem: verum hanc nonnulli ceu ſuperuacuã, & cuius nullus ſit apud authores

*Figuræ ſyllogiſmorum.*

*vſus, reijciunt: indignamq́; eſſe cenſent, cui inter figuras*
29 *ſyllogiſmorum ſit locus.* ¶ † *Supina.* ] *Iacentia, inertia,*
30 *minime viuida, minus mouentia eum qui audit.* ¶ † *Ante*
31 *oculos interq́; manus.* ] *Sic Latinus apud Vergil. Ante*
32 *oculos, interq́; manus ſunt omnia veſtras.* ¶ † *Irritat.* ]
*prouocat, elicit.* ¶ † *Cum ergo vt prædiximus, in ratio-*
*cinatione &c.* ] *Hoc eſt, vt plebeijs verbis idem dicamus, In ſyllogiſmo, & inductione perfecta, ſi rite fiant, ſolum antecedens vocari in dubium poteſt, conſequentia non poteſt. In enthymemate autem & inductione imperfecta,*
33 *non de eo ſolo quod antecedit, ſed de conſecutione etiam, ipſa ambigi ſolet.* ¶ † *Vt ergo affirmandæ rei cuiuſque.* ] *In ſumma hoc dicit: Quoties id de quo agitur, imperfectis illis argumentandi formis ſatis oſtendi poteſt, nō eſt cur perfectis vtamur: ſin autem res eſt inuolutior, & ad quam probandam imperfectæ illæ argumentationes non ſatis habeant virium, tunc certe integris ſyllogiſmis, &*
34 *perfecta quoad eius fieri poteſt inductione vtendum.* *Quando perfectis, quando imperfectis argumentandi formis vtendū.*
¶ † *Hæc primum lex proponenda eſt argumentationum omnium.* ] *Affert per ordinem catholica aliquot præcepta, ſeu regulas dialecticorum, quarum prima eſt hæc: Ex vero antecedenti ſemper vera infertur concluſio. Altera: Quoties falſa eſt concluſio, neceſſe eſt antecedens etiam falſum eſſe. Tertia: Quemadmodum ex antecedēti ſequi-*
35 *tur concluſio, ita ex contradicente concluſionis ſequitur contradicens antecedentis.* ¶ † *Duplex eſt] ergo ductus rei cuiuſque probandæ.* ] *Id Ariſtotelici noſtri temporis dicunt hoc modo: Duplex eſt ſyllogiſmus, vnus oſtenſiuus, alter ad incommodum, ſeu impoſſibile. Partes exe-* *Generales aliquot dialecticorū canones.*
95 *quuntur eo ipſo modo quo Rodolphus.* ¶ † *Piſiſtratus.* ]
*Qui tyrannidem inuaſit apud Athenienſes. Qua de re Iuſtini verba ſic habent: Sed Piſiſtratus, inquit, quaſi ſi-* *Piſiſtratus.*

bi,non patriæ viciſſet, tyrannidem per dolum occupat. Quippe verberibus voluntarijs domi affectus,laceratoq; corpore,in publicum progreditur,& aduocata concione vulnera oſtendit:de crudelitate principũ,à quibus hoc ſe paſſum ſimulabat,queritur: adduntur vocibus lachrymæ,& inuidioſa oratione multitudo credula incenditur, amore plebis inuiſum ſe ſenatui affirmat, obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxilium, per quos occupata tyrannide, per annos trigintaquatuor regnauit.

Phalaris. ¶ †Et Phalaris itidem. [ Hic eſt Phalaris ille memoratiſſimus Agrigentinorum tyrannus, inter cuius multa crudeliſſima facinora, vnum hoc ſi nõ laudandũ, at certe minus vituperandum eſt. Perillus quidam taurum ei æneum fecerat,in quem coniecti homines, igne ſubiecto, non vocem humanam,ſed mugitum bouis vrgente dolore ederent,quo munere cum ſe homini crudeli rem in primis gratã feciſſe arbitraretur,hoc precij tulit, vt primus ipſe in tauro ipſo ſuo miſere tortus obierit. Vnde dictum illud: Nec enim lex æquior vlla eſt, Quàm necis artifices arte perire ſua. 37

¶ †Quia difficile eſt hic omnes enumerare,pro reliquorum enumeratione ponimus plerunq;,neq; quiſquam eſt qui non hoc pacto fecerit,aut ſimile aliquid in eam ſubdimus ſententiam.] Hoc parum placere Laurentio Vallæ,ſupra monuimus. 38

¶ † Idipſum alia rurſus colligendum erit argumentatione.] Ariſtoteles proſyllogiſmos appellat,quibus propoſitiones ſyllogiſmi negatas probamus. 39

Partes ſyllogiſmi quot ſint. ¶ †Quæ cauſa fuit pleriſque,vt quinque partium ratiocinationem facerent.] Ciceroni in rhetoricis maxime quinque ſyllogiſmi partes eſſe videntur, propoſitio, propoſitionis approbatio, aſſumptio, aſſumptionis approbatio,& complexio. Quintilianus,& Boëthius treis tantum faciunt partes,propoſitionem,aſſum- 40

*ptionem, & concluſionem. Quanquam Boëthius de ſolo loquitur ſyllogiſmo hypothetico, ſeu conditionali, & Fabius alio quodam intellectu tres facit ſyllogiſmi partes quàm Rodolphus. Putat enim ille idcirco illas tres eſſe, quòd propoſitio, & eius approbatio, pro vna parte accipi debeant, itidemq́; aſſumptio cum probatione ſua. Rodolphus autem probationes illas omnino non putat connumerandas eſſe inter partes ſyllogiſmi eius, ad cuius propoſitiones confirmandas adhibentur: ſed aliorum eas ſyllogiſmorũ expoſitiones, aut aſſumptiones eſſe. Quæ ſententia, vt veriſimillima eſſe mihi videtur, ita probe ei conuenit cum ſententia Ariſtotelis de ſyllogiſmi partibus, & proſyllogiſmis.*

¶ *Quot modis argumentatio vere ſoluatur, & quot rurſum modis elabi tantum contingat.*

## CAPVT XV.

1 SICVT eſt autem diſputãtis cõfirmare id, quod probãdum ſumpſit: ita eius qui diuerſa tuetur, eſt diſſoluere quæ cõfirmata ſũt. Soluitur vero argumẽtatio eiſdẽ, qb⁹ ſtruitur modis. Quemadmodũ nanq; probamus vnumquicq; per aliquid quod verũ eſſe volum⁹, & ex eo conſequi docemus, quod probare nitimur: ſic dupliciter effectam ſoluimus argumẽtationem. Aut enim falſum eſſe dicim⁹, quod propoſitũ eſt. Aut ſi res id nõ ſinit, nõ confici ex propoſito, quod aduerſarius voluit, indicamus. Idq́;, vel quia imperfecta ſit argumentatio: aut ſi ſit perfecta, videri potius talem eſſe, *Duplex argumentationum ſolutio.*

quàm quia reuera ſit talis. & eſſe aliquid in ea, quod multipliciter dicatur, nec eadem ſignificatione vtrobiq; in argumentatione ſit poſitũ. Id eſt autem quod dici ſolet, omnem argumentationem ſolui, aut negãdo eo quod propoſitum eſt, aut multiplici diſtinguendo. Vt, ſi dicatur: † Sapienti nullæ deſunt opes, ergo ſa- 2
piens eſt diues. Prima ſolutio eſt, vt reſpondeatur, non eſſe verum quod proponitur, ſapienti nullas deeſſe opes. Quod ſi probetur, quia nullas cupit: reliquũ iam eſt, vt negetur, ex hoc quod nullæ ſibi deſunt opes, conſequi, diuitem eſſe eũ. Id ſi probetur, adiecta maiore propoſitione, quia cuicũq; nihil deſit, is ſit diues, fortaſſe negabitur & iſta. Quam etiam ſi probabit, dicetq; quiſquis habet omnia quorũ indiget, eſt diues: cuicunq; nihil deeſt, habet omnia quorum indiget. Expleta iam ratiocinatio eſt, cuius vtraq; probata eſt propoſitio. Vltimum itaq; ſolumq; remedium eſt, vt qui ſoluere volet, dicat hoc verbum, deeſſe, dupliciter dici. Aliter dicitur enim deeſſe quid, qđ modo non adeſt. Aliter, quicquid modo deſideratur. Quod ſi priore ſignificatione dicatur, vera eſt maior, minor falſa. Si ſecũdo modo, minor eſt vera, falſa maior. Quare nihil mirum eſſe, ſi quæ iungere volumus, in cõcluſione non iungãtur: cum id mediũ in quo illa iungebantur in propoſitionibus, nõ numero, ſed

ſpecie ſolum fuerit vnum. ¶ Soluendi autem verbum, quanquam commune ſit neganti, & diſtinguenti, rectius tamen diſtinguenti conueniet. Nam quiſquis negat, non patitur confici argumentationem: quæ autẽ confecta non eſt, proprie ſolui nõ poteſt. At cum multiplex diſtinguitur, eſt vtiq; in ſpeciem confecta: rectius igitur ſolui dicetur. Nos tamen omnem rationẽ diſcutiendæ argumentationis, in præſentia ſoluere vocauimus. Et hæ quidem ſolutionum differentiæ quas diximus, veræ ſunt, & ad rem ipſam feruntur: idq; ipſum etiã vulgo vocantur. ¶ Sunt aliæ ſoluendi, vel (ſi magis proprium volumus eis nomen dare) elabendi rationes, quæ vulgo dicũtur ſolutiones ad hominẽ. Ad eas refugimus, quando ex re parum ſperamus auxilij. Quia firmior eſt argumentatio, quàm vt aliqua parte infringi labefactari've poſſit. Vel, quia datur occaſio de aduerſario dicendi, quẽ quia poſſumus acrius retundere, malumus in ipſum rationẽ, quàm in rem ingerere. ¶ Elabimur autem his ferè modis. Vel, quia regerimus aliquid aduerſario, quo reprimimus eum: vel eleuamus quod obiectum eſt: vel digreſſu à re facto, illataq; alterius alicuius mentione rei, auocamus auditoris mentem à propoſitæ argumẽtationis cura, & alterius obruimus cõmemoratione. ¶ Regerimus, vel in rem ipſam, per quam diſputator

*Soluendi verbũ diſtinguẽti potius cõuenire, quàm neganti.*

*Elabendi ratio, ſiue ſolutio ad hominẽ.*

*Triplici ter quempiam poſſe elabi.*

*Duplex ratio re-*

*gerendi.* probauit quod inſtituerat: vel in perſonã ad-
*In rem.* uerſarii. In rem regerimus, cum rem parem ali
quam ei quæ nobis obiicitur reponimus, vt
quantum vrget nos aduerſarius, tantũ videa-
mur nos eum ediuerſo eo quod regerimus vr
gere. Quale eſt pro Cœlio: cui cũ obiecta eſſet
luxuria maior, quàm vt eã defendere auderet
Cicero, apertior quàm vt poſſet eam negare:
molliit quidẽ aures quantũ potuit orator, &
partim temporum magis ea vitia dixit quàm
hominis, partim contendit aliquid eſſe conce-
dendum ætati. Tamen (quod huius loci pro-
prium eſt) velut remedio inuidiæ oppoſuit
ſpem futuræ induſtriæ, & probitatis, in ætate
vẽtura, ex actionibus, laboribusq;, quos Cœ-
lius iã ſuſcipiebat, ſuſtinebatq;. † Tale eſt etiã, 3
quod apud Virgilium Iuno dicit: Indignũ eſt
Italos Troiam circundare flammis Naſcẽtem.
Non negat, ſed eleuat quantum poteſt. Dein-
de indigniora regerit: Quid face Troianos
atra vim ferre Latinis? & quæ ſequuntur. Hu-
ius etiã eſt generis, quod inquit Turnus: † Et 4
nos tela pater ferrumq; haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſan 5
guis. Et in Bucolicis: † Dic quibus in terris (&
eris mihi magnus Apollo) Treis pateat cæli
ſpaciũ (non amplius) vlnas. Alter cũ nequeat
reſpondere, aliud par obiicit. Dic quib⁹ in ter-
ris, inſcripti nomina regum Naſcuntur flores,

& Phyllida ſolus habeto. In perſonam regeri- In pſonā.
mus cum dimiſſa re; oſtendimus, qualiſcunq;
ſit, non conuenire tamen aduerſarii perſonæ
6 obiicere eam, nec recte hæc ab eo dici. † Cuiuſ-
modi eſt pro Ligario, quòd Tubero accuſator
Ligarii, in eadem cauſa fuerit, cuius Ligarium
7 accuſabat. † Simile eſt in Salluſtium: Quaſi ve-
ro tu ſis ab illis viris Salluſti ortus. Et paulo
poſt: Ecquid te tui piget homo leuiſſime, cum
ea culpas, quæ in hiſtoriis mihi gloriæ ducis?
Et iterum: Quid enim mentiri turpe ducis,
qui mihi auſus ſis eloquentiam, vt vitium
obiicere, cuius ſemper nocens eguiſti patroci-
8 nio? Sic & Virgilius: † Meq; timoris Argue tu
9 Drance. † Et: Tantumq; nefas patrio excidit
10 ore? † Et apud Tragicū Iaſon inquit: Medea
amores obiicis? Hæc omnia, non de re, recta
nécne ſit, ſed de homine. ¶ Eleuamus, quoties Eleuare
contemnimus rem quę obiicitur, & velut nul- quid ſit.
lius momenti aſpernamur. Qualē totā Cœlii
accuſationē Cicero voluit videri, magis iras,
& iurgia diſſidentiū in amore, querelasq; amā
tiū eſſe, quàm vera crimina. Sic & apud Vir-
11 gilium eſt: † Italiā petiit fatis authoribus, eſto,
Caſſandræ impulſus furiis. Maieſtatem fatorū
Caſſandrę furore eluſit. Et paulò poſt, qđ mo-
do diximus: Indignū eſt Italos Troiam circū-
dare flammis Naſcentē. ſubiicit cōtinuo: Et pa
tria Turnum conſiſtere terra, Cui Pilumnus

auus, cui diua Venilia mater. Indignioris cõparatione eleuauit, oſtenditq; non oportere id ita indignum uideri. ¶ Digrediẽdi rarum eſt apud authores exemplum, ſic vt digreſſu aduerſarii vitemus laqueũ. Quod enim præſentis temporis, & vtilitatis laus eſt, quiduis dicere, vt de re non dicas, cũ nihil poſſit vtiliter de ea dici: id poſtea cum legeretur, poſſet authoris videri culpa factũ, qui dilaberetur ab inſtituto, & grauia crimina non diluta dimitteret. Pro Cœlio tamen videtur mihi Cicero hoc ſoluendi genus expreſſiſſe: cum reſponſurus ei crimini, quo obiiciebatur paratum habuiſſe domi venenũ, & vim eius in ſeruo expertũ eſſe, digreſſus eſt ad mortẽ Q. Metelli, ſuſpicionemq; fecit, Clodii ſcelere veneno ſublatum illum fuiſſe, ipſamq; mortem gemitu, & lachrymis proſequitur: ſimulq; reprimit aduerſarios, velut ſimili ictos crimine: ſimul impetu dictionis, & affectu, mentem iudicum ad huius criminis cogitationem diuertit. Sicut autem non ſatis commode modus hic elabendi in literas mittitur, ſic inter diſputandum, & in foro, & in ſcholis, creberrime ſolet expeti.

Digreſſus.

## SCHOLIA IN CAP. XV.

*Sicut autem eſt diſputantis.*] *Quæ de ſolutione argumentationum habet Rodolphus, ea ob oculos ponit ſequens deſcriptio.*

Solutio argumẽtationũ duplex eſt.

- Vna vera, quoties vere diluimus, id quod ab aduerſario propoſitũ eſt: eáque duobus fit modis:
  - Principio, ſi oſtendamus falſum eſſe propoſitum, id eſt, vt nũc loquimur, antecedens.
  - Deinde, ſi doceamus nõ eſſe ratam conſequentiam, hoc eſt, ſi probemus concluſionem non neceſſario ex antecedente ſequi.
- Altera ad hominẽ, puta quæ non rei, ſed homini ſatisfacit, eritq́; ea trifariam:
  - Primũ regerendo, idq́;
    - Vel in rem, quoties parem, aut etiam grauiorem, quàm ſit ea quæ obiecta eſt nobis, aduerſario reponimus.
    - Vel in perſonam, cum oſtendimus, non decere perſonam aduerſarij, vt hæc nobis obijciat, etiã ſi conſtet ea vera eſſe.
  - Deinde eleuando, cũ videri volumus contemnere id quod aduerſarius obiecit: dicimusq́; id tale eſſe, quod rideri magis, quàm dilui mereatur.
  - Poſtremo digrediendo, cum animum auditoris digreſſu quodam à propoſito abducimus, itaq́; alijs occupamus, vt eius quod obiectũ eſt nobis, quædam obrepat obliuio: & quanquam non ſit, tamen dilutum eſſe videatur.

2 ¶ †Sapienti nullæ deſunt opes, ergo ſapiens eſt diues.] Quis diQuẽ Stoici dixerint diuitẽ, Cicero docet in epiſtola quas nes ſecundã, ad Trebatiũ: Balbus (inquiẽs) mihi cõfirmauit, te diuitẽ Stoic.

*uitem futurum. Id vtrum Romano more locutus ſit, bene nũmatum te fore: an quomodo Stoici dicunt, omneis eſſe diuites, qui cælo & terra frui poſſunt, poſtea videro.*

¶ †*Tale eſt etiam quod apud Virgilium Iuno dicit: Indi-* 3
*gnum eſt Italos.*] Verba Iunonis ſunt contra Venerem,
Æneidos decimo. ¶ †*Et nos tela pater.*] Sic Turnus, 4
Æneidos libro duodecimo. ¶ †*Dic quibus in terris.*] 5
Verba Dametæ, ad Menalcam, ecloga tertia. ¶ †*Cuiuſ-* 6
*modi eſt pro Ligario.*] In oratione Ciceronis, quam pro
Q. Ligario habuit apud C. Cæſarem. ¶ †*Simile eſt in* 7
*Salluſtium.*] In Inuectiua, aut ſi mauis Apologia Cice-
ronis, qua Salluſtij in ſe maledictis, in Senatu reſpondit.
¶ †*Meiq; timoris Argue tu Drance.*] Turni verba ſunt, 8
Aeneidos libro vndecimo. ¶ †*Et: Tãtumq; nefas patrio* 9
*excidit ore?*] Verba Aeneæ ad patrem Anchiſen, ſecun-
do Aeneidos. ¶ †*Et apud Tragicum Iaſon inquit.*] Se- 10
necæ in Medea verba hæc ſunt:

IASON. *Perimere cum te vellet infeſtus Creon,*
*Lachrymis meis euictus exilium dedit.*
MEDEA. *Pœnã putabam, minus (vt video) eſt fuga.*
IASON. *Dum licet abire, profuge, teq; hinc eripe,*
*Grauis ira regũ eſt ſemper.* MED. *Hoc ſuades mihi.*
*Præſtas Creuſæ, pellicem inuiſam amoues.*
IASON. *Medea amores obijcis?* MEDEA. *Et cædem, & dolos.*

¶ †*Italiam petijt fatis authoribus.*] Rurſus verba ſunt 11
Iunonis, eo quem indicauimus loco.

*¶ Triplici de cauſa fieri expoſitionem, & ſuum vniuiq; expoſitionis generi eſſe propoſitum finem. Deinde, probabilem eſſe oportere expoſitionem eam, qua fides alteri rei quæritur, reiq; proban-*

*dæ accõmodatam,& quomodo id fiat. Poſtremo, cuiuſmodi eſſe debeat eius exordium.*

CAPVT. XVI.

DE argumentatione autem quid ea ſit,& quæ ſpecies eiꝰ,& quomodo conficiatur, quantum ad inueniendi rationem pertinet, hæc ſufficere videbũtur. Expoſitio ſequitur, quam ſpeciem orationis alteram fecimus. ¶Exponimus autem fere propter has cauſas, vel vt audientium voluptate demulceamus aures, vel vt rem ipſam cuiuſmodi ſit explicemus, vel vt fidem alicui aliј rei expoſitione quæramus. *Expoſitionũ genus triplex.*

1 †Primum ſequuntur poetæ. Proximum qui monumentis rerum tradendis, vel præſentes, vel poſteritatem conantur docere, vt qui hiſtorias & exempla virorum rerumq́ꝫ inſigniũ literis mandant. At qui faciendæ cauſa fidei de re aliqua exponunt, hi ſunt vt oratores, vt philoſophi, vt reliqui artifices, quibus perſæpe in alteriꝰ vſum rei alia res verboſius eſt recenſenda. ¶Trium igitur harum expoſitionum ſuus eſt cuiqꝫ finis. Qui enim voluptatem ſolam ſpectat audientis, dummodo eam ſequatur, vera an falſa, probabilia an incredibilia dicat, nihil ſua credit referre. Quòd ſi quando veriſimilia, aut vera dicit, enixiusq́ꝫ colorem tuetur veritatis, non id tantum ex ſua facit perſona, quantum ex illius perſona, *Finis primi generis, voluptas auditoris.*

cui talia tribuit: quoq́ ſint illi cõgruentiora, ſic dicũtur. Aut perſæpe in his, vbi vana affectus ſpecie mouere cupit auditorem. Aptiſſima eſt enim talibus veriſimilitudo. Quod'q́ præcepit Horatius, Ficta voluptatis cauſa, ſint proxima veris. id non in voluptate modo, ſed in

*Secundi generis finis, vt vera ſint quæ dicũtur.*

omni affectu præcipue eſt obſeruandũ. ¶ †Scri 2
ptores autem rerum econtrario, primã omniũ veritatem expetunt, poſterior voluptatis eſt cura. Si tamen legem illam, †quã ſanxiſſe Thu 3
cydides hiſtoriæ videtur, obſeruare velint, malintq́ rem perpetuo duraturam conficere, quàm gratiam breuem mereri. Vera autem dicunt hactenus, vt ſua ſint conſcientia cõtenti: neq; ſolicite quærendum putent, quomodo fiat lectori fides eorum quæ recenſent. Quãdo & grandia pleraq; & ad incredibile quandoq; accedentia, velut ex periculo petunt, vt admiratione lectorẽ detineant. Sicubi vero ponuntur aliqua faciendæ fidei, talia ferè ſunt, vt magis grauitatem authorttatemq́ ſcriptoris commendent, quàm rem probẽt. Cuiuſmodi ſunt, ſcire ſe incredibilia & fidẽ excedentia narrare, ſed ita tamen à maioribus accepiſſe, ita poſteris tradituros: vel compertum ſibi, rem ſic habere: conſtanter ſe verum in qualicunq; hominum opinione dicturos: quandoq; verò ne ſibi quidem ſatis probari, quare quemq; pro ſuo captu dempturũ addicturum've fidem.

Quare

Quare probabilitatis abunde eſt iſtis, rem tra-
di ſic, vt non ſit improbanda, id eſt, vt vera di
cantur. Deinde, ne videantur falſa: quod fit, ſi
neq; inter ſe diſſideant, neq; temporibus, per-
ſonis, locis, ea quæ traduntur, diſcrepent. Ple-
raq; enim vera, turbato ordine cõiunctioneq;
rerum, incredibilia videntur: contrà falſa, di-
ſpoſita vt ſingulæ inter ſe partes congruant,
veriſſimorum implent fidem. Cauſa autem
quamobrem parata ſit ſcriptori fides, cum ex
ſcriptoris perſona, quòd nihil tale videtur,
quare debeat potius velle falſa tradendo læ-
dere exiſtimationem ſuam, quàm vera dicen-
do ſancti grauisq; viri de ſe opinionem ad po
ſteros tranſmittere: tum quòd lectoris parum
aut perſæpe nihil intereſt ſic vel ſic rem eſſe ar-
bitrari: præſertim ſi non aliunde paratum ſit,
4 quo poſſit vanitas ſcribentis coargui. † quale
Herodoto & nonnullis aliorum quoque ſcri-
ptorum, qui indulſerunt ingeniis ſuis, conti-
git. In reliquis facile lector accedit. Mauult
enim (quod vulgo dici ſolet) credere, quàm
exquirere. Aperta ergo ſunt apud eos omnia,
erecta, ſublimia, ſecura: vt qui non timeant,
non timeantur. ¶ At in expoſitionibus eis, *Finis ge-*
quibus fides alicui rei quæritur, non ſatis eſt *neris Ter-*
eſſe vera quæ exponentur: ſed & firma, & ve- *tij, vt fi-*
lut fidem ſibi ipſis facientia oportet eſſe: tum *dē facia-*
ad id cui probando deſtinantur ita accommo- *mus ijs,*

F

data, vt capita fidei faciendæ confirmandarumq́ rerum noſtrarum omnia poſſint inde depromi. Inſtat enim aduerſarius, & ſuſpecta habet omnia, neq; quicquam impune dimittit: & vel negat, quæ nocitura ſunt: vel ſi id nequit, vertere in ſuos vſus, & ad ſe rapere conatur, efficereq́;, vt vel proſint, vel vtiq; quàm minimum obſint.

*Duo neceſſaria expoſitioni ei, qua quis fidē facere conatur.*

OMnis ergo diſputantis expoſitio, quæ probando alicui deſtinatur, neceſſe eſt duo præcipue habeat. Prius eſt, vt probabilis ſit. nec enim fides alteri rei per eam parari poterit, ſi dubiæ ſit ipſa & ambiguæ fidei. Deinde, vt accommodata ſit, id eſt, vt illi rei, quàm probare per eam volumus, apte iungatur: ſicq; expoſitio fiat, vt commode fides ex ipſa poſſit duci. Parum eſt enim, ipſam per ſe probabilem eſſe, ſi non id quod probare conamur, colligere per eam poſſumus. 5

*Trifariā expoſitionem fieri probabilem.*

¶ Probabilis fit expoſitio, ſi ſit argumentoſa, ſi conſentanea rebus, ſi per ſe conſequens.

*Quomodo eſſe poßit argumentoſa.*

¶ Argumentoſa eſt, quæ cauſas habet rerum. Cauſas autem vt habeat, non modo ſummæ rerum quas exponimus, vt ſunt cauſæ belli geſti, cauſę peſtilentiæ, aliarumq́ rerum quæ ſolent à ſcriptoribus ante ipſas res explicari. Qualis eſt etiam pro Milone tota ferè narratio. Cauſas enim habet, primum, quare Clodius annum præturæ ſuæ in Milonis conſulatum diſtulerit,

Hinc, quare Milonem occidendum deſtinauerit. Demum, quare hoc loco, hoc tempore. Sed in ſingulis etiam partibus, expoſitionis cauſas addimus, cuiuſmodi eſt: Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta Moliri. cauſam addidit, Et longo feſſi decedere bello.. Quod reuera quidem argumentatio, quanquam colorem habeat & faciem expoſitionis. Sic etiã: Aſſenſere omnes. Quare aſſenſerunt? quia quæ ſibi quiſq; timebat Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere. Sed & alia nonnunquam ponuntur argumenta. Vt: Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa. argumentum eſt eius quod ſequitur: Sanguine quærendi reditus. Et pro Milone: Etenim palàm dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Subdit orator: Significauit hoc ſæpe in ſenatu, dixit in concione. Quin etiam Fauonio, Et reliqua quæ ſequuntur. Prioris illius ſunt hæc velut indicia.

¶ Conſentanea erit expoſitio, ſi perſonis, locis, temporibus, rebus conſentiat. Perſonis quidem, ſi quales ſunt, talia facta earum dictaq; effingantur. Nec enim eadem conuenient Achilli, & Neſtori, & Vlyſſi verba: nec eadem facta erunt in his probabilia. Sic & alia fœminam, alia virum, alia doctum, alia indoctum, alia militem, alia togatum decebunt. Locis & temporibus accommodabitur, *Quomodo cõſentanea.*

ſi quo loco vnumquodq;, quo tempore veriſimile eſt factum eſſe, ſic exponatur. Rebꝰ vero conueniet, ſi lætis iucunda, ſeriis grauia, ridiculis faceta, inſignibus ornata, triſtibus acerba tribuatur expoſitio. ¶ Cōſequens autē erit, non modo, ſi prioribus ſequentia non diſcrepent: id enim potius eſt vitium fugiſſe, quàm aliquam laudem meruiſſe: ſed ſi ſic exponãtur priora, vt vel ex iis quæ poſterius dicūtur expectentur, & propemodum auditor ipſe ſibi ſubiiciat ea: vel qualiacunq; dicentur, tamē cūcta videantur ex priorum fide pēdere. Quod diligentiſſime obſeruatum eſt Ciceroni pro Milone. Quanquam enim ancipitis fidei ſit, & (vt creditur) ad inſidiarum rationem falſa narratio, quoniam fortuitam eam pugnā fuiſſe traditur: ſic tamen omnia per gradus quoſdam certa ſerie ferūtur, vt nihil percipere poſſis, quod non cohæreat prioribꝰ, & veluti vinculo connexum ſit, vt tandem veſtigiis quibuſdam ad cædem, velut manu prehendendam, veniatur. ¶ Plus habet negocii id quod diximus ſecūdum eſſe debere in expoſitione, vt accommodata ſit ad id cui per eam paranda eſt fides. Nam probabilitatis perſæpe facilis eſt ratio, cum ſint omnia quandoque quæ ſunt in expoſitione confeſſa parti vtriq;. Formare autem apte & accōmodate inſtituto noſtro expoſitionem; id fundamentum ſedesq;

*Quomodo conſequens.*

totius noſtræ diſputationis. Hoc eſt enim quo præparatur in foro iudex, & ad omnẽ ſequentium argumentationũ confirmationem cõponitur. ¶ Ante omnia igitur vidẽdum eſt, quid ſit id, quod volum⁹ expoſitione, & cui ex ipſa quæritur fides, idq́ cum omnib⁹ expoſitionis partib⁹ conferam⁹, & facile videbimus, quid habeat res q̃d iuuet partes noſtras, quid etiam quod offendat. Vbi tota enim pro nobis eſt, parum eſt quod metuamus: ſic parũ eſt quod ſperemus, vbi obeſt tota. Deinde quæ ꝓſunt, danda eſt opera, vt plurimum iuuent, & eruẽda argumentã explicandaq́: quæ tum cum dicuntur, quanquam nõ cum ſumma rerum cõiungantur, vt ipſam efficiant: ipſa tamen audientis cogitatione, colligentis apud animum ſuum, hoc ipſo maxime proſunt tunc, quia minus in id parata videntur. Quæ vero dubiã ſunt, & dicentis interpretatione poſſunt in hãc vel illam diſtrahi partem, ſic tractãda ſunt, vt nobis proſint. Quæ nocent, mollienda ſunt: curandumq́, vt quãmminimum obſtent. Fiunt autem hæc omnia argumentis, quæ ſumuntur

*Quarta tione potiſsimum expoſitiõ rei probã deſiat accõmoda.*

6 ex locis, quos ſuperiore libro deſcripſim⁹. †ſed hæc argumenta ponuntur: nã vt veniat quandoque argumentatio in expoſitionem, breuis tamen ea eſt, fitq́ non ita crebro. Quædam autem conſultò narrantur ã nobis ſic, vt plane falſa & incredibilia perſpici poſſint, quoties ea

quæ ab aduerſariis vel pro ſe expoſita ſunt, vel alioquin confirmatura partes eorum viderentur, ſic deprauantur contraria expoſitione, vt prorſus detrahatur eis fides.

*Fauorabilem eſſe debere narrationis igreſſum.*

Illud autem ferè videtur obſeruatum, vt vndecunq; petitum ſemper ponant fauorabilẽ primũ narrationis ingreſſum, & ab aliquo quod cauſam ſuam commendet auſpicẽtur. †Terentianus ille Simo, continentiam filii 7 ſui laudaturus, cum tutò etiam verſatum eum inter modeſta parum ingenia vellet oſtẽdere, videretq; meretricis perſonam præſenti laudum commemorationi indecenſius inſeri, & poſſe videri obſtare exiſtimationi filii, quòd talis perſonæ conſuetudinem expeteret, videmus vt altius petito principio molliuerit omnia: & rem ipſam, & perſonam, pro ſuſpecta & aſpera, fauorabilem reddiderit. Incipit ergo, Interea mulier quædam abhinc triennium Ex Andro commigrauit huic viciniæ. Vt iam neque ganeonis, neque omnes vrbis angulos peruagantis videri poſſit, ſi conſuetudinem tertium iam annum vicinę ſibi Pamphilus habeat. Reliqua quæ ſequuntur, ad commendationem pertinent mulieris, Inopia, & cognatorum negligentia coacta, egregia forma, atque ætate integra. Videmus hic quanta huic delinquendi excuſatio, deſertæ à cognatis & inopi: quanta facultas, iuueni & formoſæ. Hæc ta-

*4. Narratio Simonis illius Terentiani.*

men inter iſta, primum pudice, nec id ſolum, ſed parce ac duriter agebat, lana ac tela victũ quæritans: vt obſtinatio tuendi pudoris perſpici poſſit. Hinc iam paulatim velut gradib⁹ incipit labaſcere. Sed poſtquam amans acceſſit ad iuuenem, precium pollicens ad inopem: non primo tamen cõgreſſu victa eſt: ſed vnus & item alter. Quod iam conſequens erat, vt diceret proieciſſe eam pudorem, quanta id cura molliit, vt culpam eam cum omnibus communicaret, diceretq́; Ita vt ingenium eſt omnium hominum à labore procliue ad libidinem. Quod tamen cunctantis ſignum eſt, primum accipit conditionem, tum iam demum quæſtum occipit. Quemadmodum ergo pictores, qui colorem purum, & nulla circunfuſum vmbra, leuiter primum, vt prope ſenſum fallant, incipiũt adumbrare, deinde paulatim ſubcreſcente obſcuritate, cum iam poſtremo atrum vmbræ totum oppreſſit colorem, nihilq́; præter nigrum ſit, videmur tamen nobis primam illam coloris ſpeciem, quam puram accepimus, quia paulatim deficit, nec abrumpitur vſquam, etiam in ipſa vmbra vbi nullus iam eſt, inueniri. Sic & perſuaſionem primum acceptam, quia non videmus in ſequentibus eripi, licet defluat etiam paulatim, & tandem quantum ad rem pertinet, deficiat: qui audit tamen, quia nuſquam vbi auferretur

vidit, velut adhuc ſubſit, ita ſequitur animo
& adhæret. Quanquam ergo poëta à pudica
orſus, ad meretricem, hoc eſt, ab honeſtiſſima
perſona orationẽ ad fœdiſſimam deduxerit:
cõmendationem, & fauorem, quem in pudica
ſumpſit, quia per media cuncta quatenus po-
teſt retentat, etiã, cum ad impudicã peruenit,
adhuc tuetur. ¶ Circũſpicienda ſunt igitur dili-
genter omnia, nec vtiq; ſtatim ab eo quod in
præſenti eſt quæſtione incipiendũ, ſed repeten
dus plerũq; altius ordo rerum, ſi ſit in eis ali-
quid, quod proſit. † Cicero pro Cluentio non 8
ſtatim incipit à criminibus corrupti iudicij, vt
ea quatenus tueatur narret, ſed à perſona ma-
tris, quæ maxime Cluentiũ premebat, primũq;
à nuptiis matris initia duxit: quæ vt ad præſen
tium criminũ ordinẽ nihil attinebãt, ſic ſummę
defenſionis res ipſa indicat plurimum ea pro-
fuiſſe. † Quintilianus autẽ, ſicut in cæco in limi- 9
ne, ſtatim expoſitionẽ incipit ab incendio: quia
nihil erat, quare altius repeteret: & hoc ipſum
primũ, cõtinuo firmiſſimũ pro cauſa erat: † ſic 10
in milite Mariano, à ſeueritate parentũ & edu
cationis cœpit. Pater, inquit, huic emeritis bel-
lo ſtipendiis. Prius ergo iam mentem militan-
do durauerat. Ne tamen otio molliretur, ex au
toratas armis manus agreſti ſubegit labore.
Hinc eſt mater prædura, priſcis moribus, &
peruſta frigoribus ac ſolibus, & ruſtici operis

Caute eſſe exordiendũ.

difficultates obire cũ marito ſolita. Ab hac edu catum filiũ, virum, & qui iam meruerat ſtipen dia, & his aſſuetũ moribus, quiſquã de ſtupro appellabit: cum ne illã quidẽ quãuis fœminã quiſquã fuerit appellaturus impune? præſertim, cũ & hic ipſe ſemper aliquid maius annis conaretur, & omni opere primæ ætatis annos cõtra voluptates firmauerit. Sic natũ, ſic educatũ, quis iam nõ indigniſſime ferat tẽtari de

|| ſtupro? Similiter etiã cũ aliis in locis, † tũ in matris infamia, in parte matris expoſitionẽ petit ã natiuitate filij. Incipiens ergo, nõ fœmina, non mater, inquit, ſed matrona: vt ſtatim ex nominis eius reuerẽtia fauorẽ aliquem captet. Cuius puellares annos: quò incredibilius iã ſit in grãdiore natu. Et cuius primam rudemq; cõiugij mentem: quãto magis igitur aſſuetã iam & firmatã ad cõiugales affectus? nulla libidinũ reſperſit infamia. Et cui impudens rumor, qui parſurus vtiq; non fuiſſet ei: & ſuſpicax maritus, quem non potuiſſet latere: nihil vnquam potuit obiicere, niſi filium. Quis ergo iam credat incautiorem, & in iuuẽta ab omnibus aliis intactam libidinibus, ſeniorem & peritam rerum in filio demum peccare cœpiſſe? Simile eſt quod paulòpòſt ſequitur. Natum de ſe continuo, ſi quid ipſi creditis, impatientius complexa quàm reliquæ parentes, nõ in nutrices, nec in miniſteria ſepoſuit, ſuis aluit vberibus,

ſuo fouit amplexu. Quo magis potuit munire
ſequentis ætatis indulgentiam, & affectum
notabilem, quàm hac educatione? Ante cau-
ſam ſunt hæc. Sed illud etiam quod ſequitur.
Accendebat hanc erga vnicum optimæ ma-
tris impatientiam rigidus pater, aſper marit⁹.
Simul itaq; patris ſuſpicionem & rumorem,
aſperitati patris aſſignat. Et hi quidem qui
præcipui ſunt cauſæ colores, & quib⁹ ferè cau-
ſa eſt innixa, extra cauſam ſunt. Ducuntur ta-
men ex his, quæ ſunt in ea, fidemq; inde habēt.
Primæ enim iuuentæ integritas, velut certa eſt
coram tali marito, qui fuit paratus accepta ſu-
ſpicione filium occidere. Sic quod & ipſa alue-
rit infantem, reliqui temporis affectus credibi
le facit: cum ſoleat omnium matrum in recens
natos impatientiſſimus animus eſſe. Et patris
aſperitas, & mariti ex præſenti litis conditione
deſcendunt. Aſperum enim maritum fuiſſe
veriſimile eſt, quem malæ tractationis vxor
coacta eſt facere reum: aſperum patrem, qui
rumori quæſiuit filii morte ſatisfacere. ¶ Præ-
cipui verò conſilii eſt, videre, non modo quæ
primo aſpectu tanquam profutura blandiun-
tur, vel tanquam noctura terrent, ſed altius
cuncta introſpicere, & ſi quid ſubſit etiā quod
poſſit offendere, ſcrutari. In cæco in limine,
quid magis videbatur eſſe pro filio, quàm ſi
pietas in patrem maxima oſtenderetur? qui

*Nō inde continuo exordiendū, quod primo aſpectu blāditur, ſed diligēter riman*

fuerit autem illud imprudẽtius ſecutus, dicet filium cum primum in incendiũ cucurrerit, extuliſſe ſine cunctatione patrem: & quò plenius ſit meritum filii, illam miſerabiliorem, illã debiliorem reliquiſſe. Quintilianus autẽ cum videret, quantum fauoris accederet ex patre, tãtum cauſæ ex matre periturum: quinetiam viſum iri, patrem illi inuiſum quandoq; potuiſſe fieri, qui potuerit cum damno maternæ pietatis amare: facit ergo miſeros parentes propè periiſſe pietatis æqualitate, dum dubitat vtrũ prius efferat: & dicit tandem orator quãquam nolente id audire filio, patrẽ eſſe electum. Contrà videtur in matris infamia, primo aſpectu matri nocitura benignior cum filio conſuetudo. Non putauit tamen negandũ, cum ex perſona matris multo poſſit honeſtius defendi: amplectiturq; tanquã ſimplicitatẽ illã materni amoris. Omnis igitur miſerę cũ filio ſermo, õis in publicũ pariter egreſſus. Subdit deinde ſimplicem innocẽtis, nihilq; metuentis ſecuritatẽ. Gaudebat etiã quòd laudandus occurſibus, quòd omni frequentia cœtuq; conſpicuus, populo iam ipſe fateretur, quòd plus amaretur à matre. ¶ In ſumma, ſi animũ nobis ſumamus aduerſarii, & ſubinde ſingula quæ venient in expoſitionẽ apprehendamus, interrogemusq; nos, quid hoc ad rem? qua parte proderit? tum ſi viderimus, quo pacto volemus oſtendere

dum, ne quid ſubſit, quod poßit offendere.

aduerſario prodeſſe: facile videbimus etiam, quomodo narranda ſint, vt proſint. Et quomodo quæ videntur obſtare nobis, diſcutere volumus: eo etiam excludenda ſunt in expoſitione, ne noceant. ¶ Nec eſt quod quiſquã putet, quamuis à ſolis propemodum oratoribus exempla ſumpſerimus, idcirco nõ eſſe in aliis artibus locum expoſitioni. Nam & qui in Philoſophia diſputant, perſæpe exponãt oportet. Nec enim ſicubi recondita res aliqua deducitur in certamẽ, ſatis commode tractari poteſt, niſi prius expoſuerit is, cõtra quem diſſeritur, omnem ordinem rei, quomodo habere eã putet, & quo pacto affirmet eam, quo've neget. Vnde videmus in pleriſque diſputationibus, in quibus nõ expoſuit mentem ſuam qui cum diſſeritur, cum ille aliud defendat, aliud aduerſarius petat, argumẽtationes omnes effundi in ventum, & ſolum ſuperuacuis clamoribus diem teri. Ioannes Scotus itaq; ſolet perſæpe, ſicubi perplexior quæſtio incidit, velut expoſitionis præponere formam imaginandę rei. Quæ quando ſic explicatur, vt quadret, conſtentq; ſibi omnes partes eius, incredibile eſt, quantum facultatis tuendæ rei adiiciat. Id autem non aliis præceptis quàm eis quę tradidimus fieri, quiſquis experiri volet, facile videbit.

SCHOLIA IN CAPVT XVI.

1 P†Rimum ſequuntur poëtæ. ] Horatius tamen in arte poëtica, tria poëtarum genera facit, quorum alij ſolam legentium voluptatem, alij vtilitatē, alij quærant hæc vtraque.

Aut (inquit) prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ,
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
Et paulò poſt:
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

2 ¶ † Scriptores rerum è contrario primam omnium veritatem expetunt. ] Cicero ſecundo de Oratore: Nam quis neſcit (inquit) primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne quid ſimultatis. Hiſtoriæ lex.

3 ¶ † Quam ſanxiſſe Thucydides hiſtoriæ videtur. ] Hic eſt Thucydides ille Athenienſis, Olori filius, inter hiſtoriæ ſcriptores facile princeps, qui à ſuis in exiliū miſſus, bellum Peloponeſiacum, cuius ſupra mentionē feci, octo Thucydides.

4 libris complexus eſt. ¶ † Quale Herodoto. ] Hic patrem habuit Lyxum: matrem Drio. Cumq́; patria Halicarnaſſeus eſſet, propter Lygdamin tyrannum inde Samū profectus eſt: vbi & Iönicam linguam edoctus, nouem ſcripſit libros Hiſtoriarū, ſed qui plus fabularum, quàm veræ hiſtoriæ contineant. Herodotus.

5 ¶ † Omnis diſputātis expoſitio. ] Huic loco toti intelligendo exactius, non minimum momenti attulerint ea, quæ rhetores præcipiūt de narratione, in qua tria cum primis exigi aiunt, vt ſit perſpicua, vt breuis, vt veriſimilis. Porrò, quæ exempla affert ex Virgilio & Cicerone, ea partim ſuperius aſcripta à nobis ſunt: partim ſunt eiuſmodi, vt vel minimum, ſi huc aſcribantur, collatura videantur intelligendis verbis Ro-

6 dolphi. Itaq́; ea omiſimus. ¶ † Sed hæc argumenta ponuntur: non vt veniat quandoque argumentatio in ex-

*poſitionem, breuis tamen ea eſt, fitq; non ita crebro.]* Hoc ipſum quarto Inſtitutionum libro hiſce verbis dicit Quintilianus: *Argumentabimur (inquit) in narratione, vt dixi, nunquam: argumentum ponemus aliquando.* Et in eodem capite: *Ne illud quidem, inquit, fuerit inutile, ſemina quædam probationum ſpargere, verum ſic, vt narrationem eſſe meminerimus, non probationem. Nonnunquam tamen etiam argumento aliquo confirmabimus quod propoſuimus, ſed ſimplici, & breui &c.* Quæ vel idcirco aſcribenda huc videbantur, quòd hic locus Rodolphi, vt quidem videbatur mihi, non vſquequaq; vacabat mendis. Eramq; hoc quicquid erroris erat, planè aſſignaturus typographis, niſi pridie quàm in hunc locum ſcribere cœpiſſem, allatum ad me fuiſſet exemplar ſcriptum. Id in eum vſq; diem delituerat Dauentriæ, primũ apud Iacobum Fabrum, deinde apud iſtos quos vocant fratres. Quid multis? Theſaurũ aliquem inueniſſe mihi videbar. ſed poſteaquam aperui, poſtquam cœpi euoluere: aliud nihil, quàm ſyluam quandam futuri adhuc operis deprehendi: in ijs præſertim, quæ ſua manu exararat Rodolphus. Quadruplex enim ſcriptura, aut ſi id mauis, character erat: & quæ ſcripta eſſent manu ipſius, id iam conſtabat ex epiſtola quadam eius ad Lãgium, cuius nobis legendæ copiam fecerat anno ſuperiore amicus quidã. In ijs ergo alia velut obeliſcis confoſſa erant, alia rurſus ceu aſteriſci quidam in margine notata. Quædam bis ter've paucis interim commutatis verbis repetebantur: quædam immutata ſic erant, vt vix agnoſceres. Quoties autem capita tota, vel expuncta omninò, vel in alium erant locum traducta? quoties pagellæ aliquot deſiderabantur? quoties interlitis medijs, margo occupatus ſic erat, vt extrema verba legi non poſſent? quoties ita con-

*fuſa, atq; permiſta omnia, vt nec caput, nec pes vſquam exiſteret? Id ergo exemplar, quanquam hac parte alterius, quàm Rodolphi manu ſcriptum habebat ad hunc modum. Fiunt autem hæc omnia argumentis, quæ ſumuntur ex locis, quos ſuperiore deſcripſimus. ſed hic argumenta ponuntur. nam vt veniat quandoq; argumentatio in expoſitionem &c. Quæ lectio & ipſa parum arridet: apparetq; mihi hanc eſſe ſententiam eorum quæ ſcribere deſtinarat Rodolphus. Fiunt autem hæc omnia argumẽtis, quæ ſumuntur ex locis, quos ſuperiore libro deſcripſimus. verum ea hic argumenta ponuntur tantum, non etiam explicantur. nam vt veniat quandoq; argumentatio in expoſitionem, breuis tamen ea eſt, fitq; non ita crebro. Quæ lectio planè conſona eſt ei quod habet Fabius, ponendum nonnunquam eſſe in narratione argumentum, at nunquam eſſe id argumẽtum explicandum.* Hoc enim eſt quod argumentari dicimus: cum ex ſententia Ciceronis, argumentatio aliud non ſit, quàm argumenti explicatio.

7 ¶ †Terentianus ille Simo.] Verba Terentij in Andria ſic habent:

Simo. Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huic viciniæ.
Inopia & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atq; ætate integra.
Soſia. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
Simo. Primum hæc pudice vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.
Sed poſtquam amans acceßit precium pollicens
Vnus & item alter, ita vt ingenium'ſt omnium
Hominum à labore procliue ad libidinem,
Accepit conditionem, dein quæſtum occipit.

8 ¶ †Cicero pro Cluentio.] Duo diximus Cluẽtio obiecta

fuiſſe,iudicium corruptum,& veneficium.Horum prius
illud defenſurus Cicero,narrationem incipit à ſceleratiſ-
ſimis nuptijs matris, cui nomen Saßia. Ea capta amore
generi ſui Aurij Melini, primum huc impulerat iuuenē,
vti filiam ſuam Cluentiam domo exigeret, deinde ipſa
eidem nupſerat. quod factum mirè initio narrationis ex-
agitat Cicero,docens hinc omnium malorum fontem ori
ginemq́; extitiſſe.¶ † Quintilianus autem ſicut in cæco 9
in limine.] In declamatione ea, cui titulus eſt, Cæcus in
limine.¶ † Sic in milite Mariano.] Supra monuimus ti- 10
tulum hunc eſſe cuiuſdam apud Quintilianum declama-
tionis.¶ † Tum in matris infamia.] Hæc declamatio ho- 11
die inſcribitur: Infamis in matrem. In ea Fabius orditur
narrationē hoc modo. Matrona, iudices,cuius puellares
annos,primam rudemq; coniugij mentem,nulla libidinū
reſperſit infamia,cui impudens rumor,ſuſpicax maritus,
nihil vnquam potuit obijcere, niſi filium : quæ pudicitiæ
prima fiducia eſt,edidit partum, quem maritus agnoſce-
ret.Natum de ſe continuo,ſi quid ipſi creditis, impatien-
tius complexa,quàm reliquæ matres,non in nutrices,nec
in miniſteria ſepoſuit: ſuis aluit vberibus,ſuo fouit am-
plexu.Nunquid & hos annos parricida: nūquid & pue
ritiam miſeri iuuenis infamas? Actum eſt de ſacrorū no-
minum fide,ſi vt videatur innocens mater, ætas tantum
filij facit.Accendebat hanc erga vnicum optimæ matris
impatientiam rigidus pater,aſper maritus: & ſibi vide-
batur parum implere,quem pro duobus conferebat affe-
ctum.Rarus hic nanq; ad oſcula, difficilis amplexibus:
& qui vnicum aſpiceret animo,quo quandoq; poſſet oc-
cidere,fecit vt notabilior eſſet charitas matris. Omnis
igitur miſeræ ſermo cum filio, omnis in publicum pariter
egreſſus. Gaudebat etiam, quòd laudandus occurſibus,

quòd

*quòd omni frequẽtia cœtuq; conſpicuus, populo iam ipſe fateretur, quòd plus amaretur à matre &c. Reliqua vel attacta iam ſunt, vel per ſe ſatis aperta.*

## ¶ *Quot, & quæ orationis cuiuſq; partes.* CAPVT. XVII.

1 R†Eliquum eſt, de oratione, vt dica- *Quot ora-*
2 mus quot ſint partes eius.† Cicero *tiõis par-*
libris illis, quos de rhetoricis ado- *tes fece-*
leſcenti ſibi rudes, & imperfectos *rit Cice-*
3 excidiſſe ſcribit, ſex fecit.† Eis quos poſtea ve- *ro.*
lut exactiori cura cõpoſitos edidit, ſolũ qua-
tuor voluit eſſe: quarũ duæ rem docerent, nar-
ratio & cõfirmatio: duæ mouerent auditorem,
exordiũ & peroratio. Ariſtoteles duas tantum *Quot Ari-*
quæ neceſſariæ eſſent putauit, propoſitionẽ, & *ſtoteles.*
cõfirmationẽ: narrationẽ propoſitionẽ eſſe, &
nõ ſemper neceſſariã, niſi cũ longior, & perple
xior res incidiſſet. Exordiũ, & perorationem
(quemadmodũ & Cicero ſenſit) nõ ad rẽ, ſed
auditorẽ pertinere. Sed illi de ciuili tantum ora
tione dixerunt, nos in vniuerſum dicamus.

¶ Oratio, quæ credentẽ habet auditorẽ, & ſola expoſitione cõſtat, ſola expoſitione poteſt eſſe cõtenta. Vt ſunt Ariſtotelis nõnulla. Cuiuſmodi eſt prędicamentorũ protinus à re ſumptum initium: Eorũ quæ dicũtur, quædã complexim dicũtur, quædã ſine cõplexione. Et poſteriorũ itidẽ: Omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua, ex priore fit cognitione. Sic Cæſar *Quæ oratio ſola vna parte poßit eſſe contenta.*

libros belli Gallici incepit: Gallia omnis diui-
ditur in partes treis.†Sed in illis forte alia ſit ra 4
tio, quoniam cōmentarios ſolū, & indices re-
rum voluit eſſe illis, qui pòſt eſſent ea ſcriptu-
ri.†Vtcūq;, tamen nihil eſt quod ad abſolutio- 5
nem operis extra deſideretur. Vt plurimū au-
tem duas ferè partes habet hoc orationis ge-
nus. Exordium enim ſæpe præponitur ornan-
di magis operis gratia, quàm quia res id exi-
gat. Cicero quādoq;, in his præcipue, quæ ſine
dialogo ſunt, epilogum adiecit. Sed (vt dici-
*Quæ duabus.* mus) vna tantū pars eſt neceſſaria.¶†Quæ ar- 6
gumentatione cōſtat oratio, duas habeat par-
tes neceſſe eſt, expoſitionē latius fuſam, vel in
propoſitionem collectā, pro rei de qua diſſeri-
tur qualitate, proinde vt vel ſimplex eſt, vel
variis partibus perplexa, & vel cognita eſt au
dienti, vel ignorata. Nec alias deſiderat par-
tes, ſi ſit eiuſmodi quæſtio, de qua diſſeritur,
quæ cognitionis ſit ſolum: quamq; ſic, vel ſic
accipi, nihil interſit & dicentis, & audientis.
Etiamſi vt actionis ſit, ſi paratā habeat bene-
uolentiam, neq; gratiā ſibi ex cuiuſquā pericu-
lis petat, exordio nō indiget: vt ſunt laudatio-
nes, actiones gratiarum, & reliqua id genus.
†Cicero ergo acturus Quiritib9 de reditu ſuo 7
gratias, ſtatim ā re cœpit. † Et Auſonius pro- 8
tinus: Ago tibi gratias imperator Auguſte.
Quòd ſi dicētis exiſtimatio ducetur in diſcri-

men, ſi quid forte audiẽtis offendet animum,
præfandū erit nimirū, & exordio muniendus
contra obſtantia qui dicit. Sic ſi fuerint in de-
curſu dictionis exaſperatæ aures, placādę erūt
epilogo. Et enumeratione redigēda in ſummā
quæ dicta ſunt, ſi multa mentem memoriamq́; *Quæ exi-*
audientis fugitura dixerimus. ¶ At vbi vel res *gat par-*
auditoris agetur: vel is perinde tāquā agatur, *tes qua-*
fauebit aut oderit: nec iudiciū ſolū audiẽtis, ſed *tuor.*
propè certantis afferet, aut inter dicendū acci-
piet ſtudium: ibi quatuor partes orationis res
ipſa poſcet, duas, captādo auditoris animo pa
9 ratas, duas rei docēdæ. † Quarū quæ ad docē-
dum pertinent, narratio, & cōfirmatio: hæc ar
gumentatio eſt: illa, expoſitio. de quibus ſatis
multis (quatenus huius eſt inſtituti) diximus.
Reliquæ duæ quæ permouendo deſtinantur
auditori, principiū, & peroratio, partim argu-
mentatione cōſtant, partim expoſitione. Prin- *Exordij*
cipij tria ferè cōſtat eſſe munera: vt beneuolū *munera*
faciat auditorem, vt attentū, vt docilē. Quo- *tria.*
rū priora duo argumētatione propemodū cō-
ficiuntur, poſtremū expoſitione. Perorationis
itē tria ſunt, vt conciliet auditorē ſibi, vt aduer *Tria item*
ſario faciat infenſum, vt collectis enumeratio- *peroratio-*
ne capitibus rerum, quæ tota demōſtrauit ora *nis.*
tione, audientis ea memoriæ affigat. Quorum
poſtremū expoſitionis habet naturā: priora ſi-
10 miliora ſunt argumentationi. † Sanè ſi demus

ſanctum, & incorruptum auditorem, non gratiæ, non offenſis obnoxium, ſufficiet principio docilitas, & enumeratio perorationi. Ad illos, quorum animos amor, ira, ſpes, metus, fauor, inuidia, poterit auferre, reliqua adhibētur. Docilitas in exordio. Do-ciles facimus auditores, ſi breui ſumma, quæ dicturi ſumus, velut oculis ſubiiciamus, oſtendamusq; ordinem rerum dicendarū, & in partes orationem diducamus. Enumeratio i peroratione. Enumerādi quoq; eſt expedita ratio, ſi firmamenta ſingularum argumentationum colligentes, dicamus; cum hæc & hæc probauerimus, non videre nos, qd amplius quiſquā de re dubitet, aut quid iſtis reſpondere aduerſarius poſſit: aut aliqua figura alia vtamur, cuiuſmodi multæ ponūtur ab authoribus, & multo plures poſſunt fieri. Cōparatio principij cū peroratione. Beneuolentia, odium, miſericordia, ira, reb⁹ quidem non diſtant in principio, & peroratione: tractatione vero, & eloquendi ratione, multū differunt. †Lenius enim & modeſtius in principio proferunt ſe, nondum conciliato nobis, aut ducto in partem noſtram auditore. In peroratione, cum flexus eſt oratione, acceſſitq; nobis, & pronis omnia *animis accipit: tum ardēt affectibus cuncta, tum obiicitur auditoris iræ aduerſari⁹, tū noſtras partes miſeratio lachrymæq; cōmendant. Cum fiant autē hæc omnia affectuū permotione, quo pacto oporteat ea expediri, paulò pōſt aperietur, cum in cōmune

*auribus

11

quæ pertinent ad affectuum naturam, & quæ ſit ratio eorum tractandorũ, dicemus. Ducenda ſunt autem exordia, non ex his quæ cauſam confirmant, aut rem de qua quæritur, docent (confirmatio enim fiet, non exordium) ſed ex eis, quę circa res perſonas'ue poſita, fauorem, aut alienationem audientis paratura videtur, quibus non tam rem ſecutus, quàm animum ſuũ, pronunciaturus forte ſit de quæſtione. Si quis autẽ perdiderit, quæ ſit auditoris, de perſona dicentis, de cauſa, de aduerſariis, opinio: quantum permotus aduerſariorum oratione ſit, quid in perſonis rebusq́; fauorabile, aut infenſum: facile videbit, vnde beneuolentia ſibi cõcilianda, quomodo aduerſariis odiũ offundendum, quomodo conflatæ iam ſibi inuidiæ occurrendum. Nec enim ſolum datur opera, vt audientis nobis animum adiungamus, ſed vt alienatum etiã nobis exaſperatumq́; placemus.

*Exordia vnde ducenda.*

Quòd ſi quando breuiter in exordio capita aliqua noſtrarum aut aduerſæ partis argumentationũ perſtringimus, quod perſæpe fieri ſolet, cum vehementius adductus aduerſariorum oratione videtur auditor, nõ facimus id tamen quo probare velimus ibi, aut confirmare cauſam: ſed vt ſpem faciamus hac qualicunq; labefactatione, poſtea nos omnia de-

*Quomodo fiat, vt in exordiis quandoq; capita aliquot argumentationũ perſtringamus.*

12 monſtraturos. † Demetrius itaq; apud Liuiũ Perſi fratri reſponſurus, lachrymas fratris pri

mum inuaſit, quoniam vibebatur illis maxi-
me valuiſſe apud patrem, quem iampridē ma
gis ſecūdum Perſen ſentire credebat. Deinde
in reliqua incurrit. Benignius enim in ſingulis
audiatur oportet, cū vberius ea proſequitur,
vbi omnium ſimul, quantulumcunq;, aliqua
tamen ex parte antè ſubleuauerit fidem. † Sic 13
Quintilianus in pariete palmato, ingens do-
mus ſpacium cruore notatum, & noctem ele-
ctam ſceleri, & gladium adoleſcētis relictum,
& vno vulnere peractum ſcelus, & inſtitutum
filium hæredem, cuncta velut delibans, aperit
ſibi iudicum aures, facilioremq; viam defen-
ſioni ſuæ ſternit. ¶ Perorationis autem ferè hæc
eſt ratio. Primū cauſæ fides enumeratione fir-
matur, ſi tamen ea ſit cauſa, quæ propter ma-
gnitudinem ſuam hanc diligentiam poſtulet.
Poſtea approbata iam cauſa, tum liberius effer
tur oratio, & ſcelus rei augendo exaggeran-
doq; accuſator inſectatur. Quandoq; cōditio-
nem eius etiam deflet, qui accepiſſe iniuriā di-
citur. Contrà reus, vbi iam defendit ſe, tū pero
ratione durā miſerandamq; ſortem ſuā oſten-
dit, cui innocenti immerito pericula ſtruantur:
& graues caſus, qui ſe maneant damnatum: &
preces lachrymasq;, & omnia mouendæ miſe
ricordiæ experitur. Nonnunquam & conſpira
tionem contra ſe aduerſariorū, & crudelitatē
premit: qui odia ſua periculis & exitio cupiant

innocentis explere. Quæ omnia ſuas capiunt
14 quæſtiones † inueniendiꝗ; ratione ( vt prius
oſtendimus ) nihil ab aliis differunt : eloquen-
di vero genere plurimum . In affectibus enim
præcipue regnat eloquentia. Nam quieta com
poſitaꝗ; mens auditoris, quãuis ſedata oratio-
ne, optime docebitur. Vis autẽ oĩs impetusꝗ;
15 & fulgura illa tonitruaꝗ; oratioĩs, †qualia fuiſ-
ſe in Pericle memorãt authores, quæ nõ impel
lant modo, ſed auferant eripiantꝗ; ſedib⁹ ſuis
animos: ea ſunt oĩa, mouendis, turbandis, mi-
ſcendisꝗ; affectibus parata. Quæ ſint ergo ſpe-
cies orationis, & quid ſit argumentatio, quid
expoſitio, quot partes habeat oratio, & quãdo
vſu veniant, quibus´ve conſtent, hoc modo
nobis ſit explicatum.

## SCHOLIA IN CAPVT XVII.

1 R†Eliquum eſt de oratione, vt dicamus quot ſint *Partes*
*partes eius.* ] *Summa eorum, quæ hoc capite ab orationis* *quatuor.*
*Rodolpho explicantur, eſt hæc. Quatuor ad ſum-*
*mum eſſe poſſunt orationis cuiuſque partes: exordium,*
*narratio, confirmatio, & epilogus. Quibus tamen non*
*vniuerſis ſemper vtẽdum: ſed interim vna, interim dua-*
*bus, interim omnibus: prout poſtularit præſens rei cõdi-*
*tio. Porrò exordiũ eſt pars orationis, idonee cõparans ani* Exordiũ.
*mum auditoris ad reliquã dictionẽ. Quod eueniet, ſi illũ*
*beneuolũ, ſi attẽtũ, ſi docilẽ fecerit. Narratio eſt rei geſtæ,* Narratio
*aut p inde vt geſtæ expoſitio. In qua tria hæc exigũtur, vt* Confir-
*ſit breuis, vt perſpicua, vt credibilis. Confirmatio eſt, qua* matio.

Epilogus & noſtra confirmamus, & aliena refellimus. Epilogus
eſt artificioſa totius orationis concluſio. Etiamſi nōnun-
quam & in media oratione adhiberi conſueuit. Conſtat
Enumeratio. duabus rebus, enumeratione & affectu. Enumeratio eſt
breuis eorum quæ tota oratione ſparſim dicta ſunt, repe-
Affectus. titio. Affectus eſt vehementior animi commotio. vt miſe-
ricordia, indignatio, ira, inuidia, timor, ſpes, gaudium, do
lor. Hæc ſumma. ¶ † Cicero in libris illis.] Libros rheto- 2
ricorum intellige. Hos enim in libris de oratore ad Q.
Fratrem adoleſcēti ſibi excidiſſe Cicero ait. ¶ † Eis quos 3
poſtea velut exactiori cura compoſitos edidit.] In par-
titionibus interrogatus à filio pater, quot ſint partes ora
tionis, quatuor illas eſſe reſpondet: quarum duas valere
ad rem docendam, narrationem & confirmationem: reli-
quas duas ad impellendos animos, principium & pero-
rationem, ſiue epilogum. ¶ † Sed in illis fortè alia ſit ra- 4
tio: quando commentarios ſolum & indices rerū voluit
eſſe.] Cicero in libro de claris oratoribus ad Brutum, de
Cōmentarij Cæſaris. Cæſare loquens, Atq; etiam commentarios quoſdam ſcri
pſit (inquit) rerum ſuarum, valde quidem inquam pro-
bandos. Mihi enim ſunt recti & venuſti, omni ornatu
orationis tanquam veſte detracta: ſed voluit alios habere
parata vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam.
Ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris
inurere. Sanos quidē à ſcribendo deterruit: nihil enim eſt
in hiſtoria, pura & illuſtri veritate dulcius. ¶ † Vtcūq;, 5
tamen nihil eſt, quod abſolutionem operis extra deſidere-
tur.] Quiuis animaduertat, non vacare hūc locum men-
dis: & tamen ſcriptum etiam exemplar hunc in modum
habebat. Ego putem hoc pacto ſcriptum fuiſſe ab Rodol-
pho, Vtcunq;, tamen nihil eſt, quod ad abſolutionem ope-
ris extra deſideretur. Aut certe hoc modo: Vtcūq;, tamen

*nihil eſt, quod ad abſolutionem operis extra deſideres.*

*6 ¶ †Quæ argumentatione cōſtat oratio, duas habeat partes neceſſe eſt.] Ne hunc quidem locum ſatis integrum eſſe, id conſtare vel hinc poteſt, quòd cum duas partes initio proponat, deinde non niſi vnam enumerat. Et tamen in ſcripto exemplari etiam ſic legitur. Mihi appa-ret, hanc alterius partis omittendæ cauſam fuiſſe Rodol-pho, quòd priorem illam paulò pluribus proſequitur verbis, quæ res interim eſſe in cauſa ſolet, vt ad reliqua feſtinantes, eorum quæ propoſuimus partem aliquam omittamus. Ergo aut ego planè hallucinor, aut hic locus integre legi ſic poteſt. Quæ autem argumentatione conſtat oratio, duas habeat partes neceſſe eſt, expoſitionem latius fuſam, vel in propoſitionem collectam, pro rei de qua diſſeritur qualitate, proinde vt vel ſimplex eſt, vel varijs partibus perplexa, & vel cognita eſt audienti, vel ignorata: & argumentationem. Vt ſit hic ſenſus. Eius orationis quæ argumentatione conſtat, duæ vt minimum partes ſunt, expoſitio & argumentatio. Verum quod ad expoſitionem pertinet, ea non eadem ſemper ratione tractatur: ſed quandoq; latius funditur, cum eſt cauſa perplexior, & auditori ignota: quandoq; contrà in pauciſſima cōtrahitur verba, vt nihil aliud ſit, quàm breuis quædam eorum quæ tota oratione dicenda ſunt propoſitio. Id quod tum fit, cum eſt cauſa ſimplex: neq; vſqueadeo incognita auditori, vt multis in ea explicanda verbis ſit opus.*

*7 ¶ †Cicero acturus Quiritibus gratias, ſtatim à re cœpit.] Ita orditur enim: Quod precatus ab Ioue optimo maximo, cæteriſq; dijs immortalibus ſum Quirites &c.*

*8 ¶ †Et Auſonius protinus, Ago tibi gratias imperator Auguſte.] Exordium eſt orationis, qua is gratias agit Gratiano imperatori pro demandato ſibi conſulatu.*

¶ †Quarum quæ ad docendum pertinent.] Quatuor, in- 9
quit, in hoc genere orationis ſunt partes, è quibus duæ ad
rem docendam pertinent, narratio & confirmatio: qua-
rum priorem illam nos expoſitionem, alteram argumen-
tationem vocamus. Reliquæ duæ in hoc adhibentur, vt
commoueatur auditor, quæ ſunt principium & peroratio.
De quibus multa Fab. Quintilianus libro quarto & ſex-
to, & Cicero de oratore ad Quintum fratrem. ¶ † Sanè 10
ſi demus ſanctum & incorruptum auditorē.] Sic Quin-
tilianus libro duodecimo. Quòd ſi mihi des conſilium iu-
dicum ſapientum: perquàm multa recidam ex orationi-
bus, non Ciceronis modo, ſed etiam eius qui eſt ſtrictior
multo, Demoſthenis. Neque enim affectus omnino mo-
uendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ: cum etiā
proœmia ſuperuacua eſſe apud tales, Ariſtoteles exiſti-
met. Non enim trahentur ĳs illi ſapientes. Proprie & ſi-
gnificanter rem indicare, probatione colligere, ſatis eſt.
¶ †Lenius enim & modeſtius in principio proferūt ſe.] 11
Ita Fabius libro quarto. Nec enim ſum in hac, inquit, opi
nione, qua quidam, vt eo diſtare proœmium ab epilogo
credā, quòd in hoc præterita, in illo futura dicantur: ſed
Quo di- quòd in ingreſſu parcius & modeſtius prætentanda eſt
ſtēt exor- iudicis miſericordia: in epilogo verò liceat totos effunde-
dium & re affectus, & fictam orationem inducere perſonis, & de-
epilogus. functos excitare, & pignora eorum producere: quæ mi-
nus exordĳs ſunt vſitata. ¶ †Demetrius itaq; apud Li- 12
uium.] Hiſtoria eſt apud T. Liuium belli Macedonici li-
bro decimo. ¶ † Sic Quintilianus in pariete palmato.] 13
Ex ĳs quæ ſæpe iam diximus, liquet hūc titulum eſſe de-
clamationis, quæ paries palmatus inſcribitur. ¶ † Inue- 14
niendiq; ratione, vt prius diximus.] Libri huius capite
Pericles. quarto. ¶ †Qualia fuiſſe in Pericle memorāt authores.] 15

*Multa ſunt quæ de Periclis eloquentia paßim apud authores occurrunt: qui (vt author eſt Cicero, & nos antè attigimus,) fulgere, tonare, ac permiſcere Græciam dictus eſt. Optare is ſolebat, ne quod vnquam ſibi excideret verbum, quo offenderet populum. Adeò ei cordi erat, vt & diceret ea quæ ex republica eſſe arbitraretur, & tamē non offenderet eos, citra quorū aſſenſum nihil effici poſſet. Fuit eodem tempore, quo Pericles, Athenis homo quidam non ignobilis Thucydides Mileſius. Is aliquādo interrogatus ab Archidamo rege Lacedæmoniorum, vter alteri palæſtra, ipſe Pericli, an Pericles ipſi præſtaret: equidem præſto, inquit, ac hominem ſterno: ſed poſteaquā ſurrexit, facile perſuadet aſtantibus, non ſe ſed me victū fuiſſe: efficitq́; dicendo, vt ipſius potius verbis, quàm ſuis illi oculis credant.*

¶ DE LOCORVM VSV, DE'QVE *paranda ex locis copia. Vbi eam tamen principio quæſtionē obiter pertractat, num quid interſit inter locos dialecticos & rhetoricos.*

¶ *Nullum inter locos dialecticos & rhetoricos eſſe diſcrimen, & ſolius proprie dialectici munus eſſe, vt tractet de locis.*

## CAPVT XXVIII.

NVLLA ferè quæſtio iuſtius animo lectoris occurrere toto potuiſſet opere, quàm cū omnibus propè locis oratorum poëtarumq́ꝫ exemplis ſimus vſi, quamnam credamus eſſe inter dialecticos rhetoricosq́ꝫ locos differētiam, de qua nūc potiſſimū dicturi videmur, cū tractatū locorū, hoc eſt, quomodo ſint ad inuētionē *Nū quid inter rhetoricos ac dialecticos locos interſit.*

loci accommodandi, ſumus tradituri. Nā de inuentione, quam nós his libris aperire conamur: quanquam dialectico tribuimus, plura quàm dialecticorū quiſquam, rhetores præceperunt: & locos magna ex parte eoſdem quos priore libro deſcripſi, Cicero & Quintilianus, itemq; alii qui rhetorica cōplexi ſunt, inſeruerunt libris ſuis: & præter hos & alios quoſdā,
† quos attributa perſonarū & rerum vocant, 2
velut proprios rhetoris fecerūt locos. † Et Boë 3
thius ſic eſſe putauit, ſic tradidit: cū in. 4. li. Topicorum hanc ipſam tractaret quæſtionem. Si viderimus autem, quod ſit propriū dialectici, quod rhetoris officiū, quæ ſit vtriſque præſcripta profeſſio, non erit difficile videre, vtrius horum ſit diſſerere de locis: aut ſi ſit vtriuſq;, quo pacto tractandos eos, hic ſibi vel ille ven
dicabit. † Et de dialectice quidē, quod creda- 4
mus eſſe munus illiꝰ, ſatis multis ſuperius exe
cuti ſumus. † Oratorem vel rhetora ( eadē eſt 5
enim nominis vtriuſq; vis ) quidam voluerūt
eſſe, † qui de qualibet re poſſet aptè ornateq; 6

*Quodnā officium oratoris ſeu rhetoris ex ſententia aliorum.*

dicere. Quod ſi ſtatuiſſent ſic, vt commoditas ipſa cultuſq; orationis, ſolius rhetoris eſſet labor: ea verò de quibus diſſereret, ſuis quæque artibus relinquerēt: eſſet aliquid fortaſſe quod
dicitur. † Sed illis parum viſum eſt ſplendide 7
ornateq; dicendi laudē per ſe ampliſſimā oratori tribuere: † niſi reliquarū omniū artium cu- 8

mulum prope immenſum, iuri illius ditioniq;
ſubdidiſſent. Neq; cōſummatū eū dignum´ve
tanto putauerūt nomine, niſi idē de omnibus
rectiſſime ſentiret, optime diceret. Quod ſi de-
9 tur, † fingamusq; tā felicis ingenii mortale ali
quod eſſe pectus, vt artes, quibus nec ſingulis
plene perdiſcēdis vllius hominis ſufficit ætas,
eas omneis vnius ſtudiū poſſit aſſequi, memo
10 ria cōplecti: † fatendū tamen erit, ſi tum de ora
toris officio quæratur, non quæſitum iri de eo
tanquā de diſcretæ alicuius certæq; artis, ſed
tanquam de hominis officio, qui cunctas ar-
11 tes teneat animo cōprehenſas. † Sed cū nō do *Sentētia*
nemus rhetoris nomine eū, qui reliquas artes *Rodolp.*
omnes perdidicerit: neq; quicquā illi negocii
cū rhetorice putemus eſſe, niſi viā rationemq;
bene dicēdi calleat: contrà vero qui ſit hac in-
ſtructus, & ſolā ciuiliū quæſtionū peritiam te-
neat, minimā vtiq; artiū humanarū partē: cum
hic laudi rhetoris ſibi nomen audeat aſciſcere,
isq; ipſe ſolus ſit, quē rhetorū omniū libri do-
ceant & abſoluant, multo videbuntur arctius
12 rhetorices contrahi fines. † Ariſtoteles ergo ci
13 uilis ſciētiæ partē rhetoricen vocāt. † Hermo-
genes etiā de ciuilibus ſolū quæſtionibus di-
cere, rhetoris cēſet eſſe. Cicero & Quintilianꝰ,
quāuis aliud diſputarint, non aliud tamen do
cent. Equidē nō negauerim eū, qui ſit de ciui-
libus quæſtionibus, hoc eſt, de omnibus quæ

in repub.quærentur,prudenter ornateq; dictu
rus:& qui de pacis belliq; rebus,& de legibus,
omniq; iuris diuini, humani, publici priuatiq;
ratione,diſſerere poſſit,multis magniſq; inſtru
ctum artibus eſſe oportere. Sed quotuſquiſq;
fuit talis?Quanquam enim Cicero,præterq; il-
lum alter tertius've poſſint hoc in genere nu-
merari:reliqui dicere ſolum ſui negocij puta-
bant.Res ſi quæ recō ditiores eſſent,ab his mu
tuari,qui profiterētur,malebant.† Et ſicut Ci- 14
cero ait Gallum dicere ſolitum,ſi quādo quæ-
ſtio incidiſſet,in qua non de iure ſed de facto
quæreretur:nihil hoc ad ius,inquit,ſed ad Ci-
ceronem:ita illi,ſi quando quæſtio proferreba-
tur,in qua de iure eſſet,non de facto cōtentio:
illi tanquā nihil id ad Ciceronem, ad Gallum
reiiciebant. Vocem tantū verbaq; commoda-
bat orator, res à iuriſconſulto petebantur.
† Itaq; apud Græcos erāt,quos πραγματικοὺς vo 15
cabant:& Romæ iuriſconſultus aderat,† qui 16
dicenti res,(vt Quintilianus inquit)velut telā

*Solam dicendi rationē pertinere ad rhetorē.*

texenti miniſtrabat. Aut igitur non erant rhe-
tores iſti,aut ſi fuerūt,cum præſtarent id quod
ſolum in rhetorum didicerāt ſcholis, cumq; &
ipſi ſe rhetoras eſſe vellent, & populus puta-
ret,videtur ſola dicendi ratio ad rhetora per-
tinere.Et ſanè qui non habet eam, quātumuis
ſit aliarum artium cumulum conſecutus, non
habebitur vtiq; rhetor.Cum veniat ergo ab ea

ſola rhetoris nomen, ſola videtur, quàm pro-
17 prium ſit præſtare rhetoris. † cui quidem rhe-
torices etiam vocabulum conſentit, quod à di
cendi munere tributũ eſſe Græci nominis in-
dicat origo. Quod ſi omnia velimus intra rhe
torices ambitum claudere, quæcunq; ſunt in
foro dicturo neceſſaria: & grammaticam, & iu
ris vel peritiam vel non inſcitiã ſaltem, exem-
pla monumentaq; vetuſtatis, & reliqua id ge-
nus rhetorices putabimus partes: quas mul-
tum & inter ſe & à rhetorice diſtantes, artium
diſcretæ profeſſiones, & rerum ipſa natura de-
monſtrat. Nec me latet, eum qui diceret in fo-
ro, ſemper vocatum eſſe rhetora: nec vel Ho-
merum, vel Thucydidem, vel Platonẽ, quan-
quam fuerint iſti quiſq; in ſuo genere facun-
diſſimi, quiſquam hoc nomine vocauit. Sed
vt modo diximus, rhetor ad hunc popularem
morem loquendi, hominis multarum artium
periti, non artis vnius eſt nomen. Qui volet
autem ſuis finibus cunctas artes includere, cũ
videat omnes quæ vel cognitionis ſunt vel
actionis, intra præſcriptum ſuarum pręceptio-
num cõprehenſas eſſe, haud difficulter perſpi-
ciet, eas quæ pertinent ad dicendi rationem
(quas λογικὰς Græci, nos rationales vocamus)
& materiæ quam docent, & præceptionum ge-
18 nere, ab aliis eſſe diſcretas. † Cũ ſint autem (vt
alio loco diximus) tria, quibus perfecta cõſtet

oratio,quæ ſunt,emendatio ſermonis, proba-
bilitas dictionis,& elocutionis ornatus:quorũ
cum primum grammatice doceat, ſecundum
dialectice, tertium cui tribuam niſi rhetoricæ
prorſus nõ inuenio. Nam ſi dialectices eſt mu-
nus,inuenire, quæ de re qualibet probabiliter
dicuntur, (quemadmodum Ariſtoteles ma-
gniq; poſt eum ſenſerunt authores) inuentaq;
diiudicare:ſi recte probeq; doceat id dialecti-
ce,nihil erit vtiq; neceſſe, nouam vllam de in-
uentione rhetori inferre mentionem. Sed per-
ſpicuitas ſolum, cõpoſitio, cultusq; orationis,
Cauilli exclusio. ſuus futura ſunt labor. ¶ Nec quiſquam pro-
pterea nudum me putet rhetora & inopẽ de-
ſtituere: quiſquis videbit, quãtum negocij ha-
beat eloquendi ratio, quantum iudicij: † cum 19
& ſua poëtis, ſua hiſtoriæ danda ſit: ſuam phi-
loſophia, ſuam ciuilis oratio poſtulet: & vniuſ-
cuiuſq; generis variæ ſint adhuc multiplicesq;
differentiæ. † Maximumq; diſcrimen eſt apud 20
poëtas, quomodo Heroici carminis explea-
tur ſonus, quomodo lene illud molleq; elego-
rum ſculpatur, qua dictione tragœdia, qua co
mœdia, qua lyricorum libertas conſtet: ſic &
in reliquis generibus lõga eſt diuerſitas. Quæ
cuncta quàm magnum habeant negociũ, vel
hinc facile liquet, quòd cũ in reliquis quæ per-
tinent ad dicendũ, permulti, qui vel moroſiſ-
ſimis ſatisfacerent deſideriis, reperti ſint: † ſola 21
eloquendi

eloquendi ratio ſemper fuit, in qua pauciſſimi
potuerunt, conſentiente omnium iudicio, lau-
dem mereri. ¶ Si ſola igitur elocutio propria
rhetorices eſt, quid ita tam multa de inuentio-
ne tradiderunt, quicunqꝫ ſcripſere rhetorica?
Dicam quod ſentio. primum omnium puto,
eis qui rhetorica tractauerunt, nec inuentionē,
nec elocutionem tanquam proprium munus
explicandam fuiſſe. Quoniam qui rhetores
vocati ſunt, iĳ fuerunt, qui ciuiles tractauerunt
quæſtiones. Circa quas omnis labor eorum cu-
raqꝫ verſata eſt. Cum vtantur autem omnes
artes elocutione & inuētione, nō poterit vtiqꝫ
proprium illorum eſſe, quod eſt omnium com
mune. Sed quia reliquas artes, quæ ad erudi-
tionem pertinent, animi cauſa quiſqꝫ diſcebat:
nec quiſquā ob id, niſi naturæ ingeniĳqꝫ vi exti
mulante, tractabat eas: ideo quiſquis non opti
me ſperabat de ingenio ſuo, ne attingebat qui-
dem. Sic quę inuenienda in eis eſſent, quomo-
do eloquendum, quiſqꝫ animo ſuo delibera-
bat: in locumqꝫ artis exactiſſimæ, ſuccedebat
optima natura. Proxima erat artis loco, imita-
tio eius, qui aliqua cum laude rem eandē tra-
22 ctaſſet. †Ciuilis vero ratio, quoniam cœpit in
Græcia in quæſtu eſſe, ſubnixiqꝫ ciuium clien-
tumqꝫ gratia incedebāt, vt quiſqꝫ pollebat plu
rimū in ciuitate dicēdo: inceſſit paſſim cupido
cunctis, nec quiſquam quid poſſet iam, ſed

*Qui factum ſit, vt tā multa de locis rhetores præceperint, cū ad eos horū explicatio non pertineret.*

quantum cuperet, ſpectabat: volebantq́ bene
dicere omnes, & cito volebant: quare ab arte
fuit eis præſidium petendum, quibus natura
ſegnior erat. Cœperunt igitur diſci doceriq́
iſta. Vſu enim atque honore, quibus maxime
aluntur artes, eiſdem natas etiam primum eſſe
certum eſt. Cum veniant autem tales plerunq;
quæſtiones in forum, de quibus nihil perpetuũ
præcipi poſſit, ſed contentione dicendiq́ vi tra-
hantur in quamuis partem: fuit idcirco traden-
da communis quædam inueniendi ratio, con-
ueniens omnibus quæſtionibus. Quę quidem
rectiſſime peteretur à dialectico, ſi tradita iam
tum fuiſſet. †ſed multo poſt ſecutus eſt Ariſto- 23
teles, qui primus eam in artis formam cogere
adorſus eſt. Sic etiam, quia ſplendor, & cultus
orationis maxime dominabatur in animis li-
berorum populorũ, apud quos ſuſtulit ſe pri-
mum, plurimumq́ ſemper valuit eloquentia:
hanc quoq; partem adiecerunt, †tandemq́ lon- 24
ga temporis poſſeſſione, velut vſucapione,
verterunt in rem ſuam iſta, †cum non eſſet eo- 25
rum alius aſſertor. Cum ſit enim aliarum artiũ
præcipueq́ poëtarum, ſua quædam & diſcreta
à forenſi dictione eloquentia: quam neq; Ari-
ſtoteles, neq; veterum quiſquam qui rhetori-
ca ſcripſit attigit: cumq́ habeat omnis eloquen-
tia commune quiddam tãquam genus, quod
ad vnius artis tractatum pertineat: perſpicuũ

eſt, eos eloquentiam nõ velut ſuũ propriumq́; negocium, ſed quatenus vſui rebusq́; ſuis conduceret, executos eſſe. Quòd ſi ſit ergo eloquendi ratio (ſiue rhetoricen eam, ſeu quocũq; velimus alio nomine vocare) & dialecticę, cui inuentionem iudiciumq́; tribuimus, inter ſe altera ab altera, & vtraq; à ciuilium quęſtionum ratione diſcreta, ſicut & à reliquis diſcernuntur artibus, quæ ſibi vtendas eas accipiũt: paratum eſt videre, non eſſe vllam dialecticorum rhetoricorumq́; locorum differentiam. Nam elocutio quidem nullos habet locos: rhetor autem forenſis ille à dialectico mutuetur eos oportet. ¶ Ea verò quæ perſonarum & rerum attributa dixerunt, ad quos locos ex his quos deſcripſimus redigantur, planum erit, qui ſingulos volet ſcrutari. Cõueniunt autem

*Nullum eſſe diſcrimen inter locos dialecticos, & rhetoricos.*

26 ſolis cõiecturalibus cauſis. † Qui quęret enim, an poſſit ciuitate * Roma donari is, cuius populus fundus factus non fuiſſet, id eſt, cuius populus Romanis legibus nõ vteretur: quod

27 in Cornelij cauſa quæſitum eſt: † & an vis ſit, metu armorum deterrere à poſſeſſione quenquam, quod in Cecinnæ iudicio fuit: quid habebit hic, quod ex attributis illis perſonarum, aut rerum dicat? Nihil profecto, quo pacto hæc attributa à rhetoribus deſcribuntur. In his ergo ſi volet inuenire ex locis aliquid, & non præparatis argumentationibus

*Reſpõſio ad id, qđ initio huius quæſtionis allatũ fuit de attributis perſonarum, & rerũ.*

** Romana.*

vti, quas artium ſcriptores tradunt, neceſſe eſt redeat ad dialecticum. Sic loci & omnis inueniendi doctrina, dialectices opus: eloquendi, rhetorices erit. ¶ Ciuilium quæſtionum pars in legibus iureq́; ciuitatis poſita, quæ iuriſconſultorum libris continetur, & ne eam quidem qui rhetores vocabantur attingebant. Pars in cõmuni ſenſu & vſu vitæ conſiſtit, quæ apertior eſt, quàm vt artibus ſit tradẽda: aut ſi quid diſcendum eſt eis, à philoſophis petitur. Inuentionem ergo, eamq́; nec integram, nec abſolutam, elocutionemq́; quatenus inſtituto ſuo cõducebat, complexi ſunt, futuras tamen aliarũ artiũ particulas, ſi quis totas eas voluiſſet explicare. Hæcq́; pro artib⁹ ſuis habita ſunt, quãdo ſola hæc habuerunt, quæ poſſent artium ſpecie docere. Laudandi tamen, agendæq́; in omne æuum gratiæ viris illis, quippe * qui ni ſi dediſſent * illi initium, & forent hæc ab eis in artium formam collecta, nemo forte alius colligere tentaſſet.

*Altera harum dictionũ videtur redundare.*

## SCHOLIA IN CAP. XVIII.

*N† Vlla ferè quæſtio.* ] *Demiror ego quonam errore illud cõtigerit, vt in ſcripto etiam exẽplari quo vſi ſumus, ab hoc loco factum ſit initium libri tertij: cum Rodolphus ipſe, & quidem multis in locis, non tertio, ſed ſecundo libro, de locorum vſu ſe egiſſe teſtetur. Vtq́; ex multis afferamus vnum, aut alterũ: circa finem primi libri. Fiuntq́; iſti, inquit, in ſumma loci vi*

gintiquatuor, quibus in rem omnem, quacunq; erutum
inuentumq́; ratione, ducitur argumentum: idq́; qua via,
quoq́; modo faciendum, proximo dicetur libro: Et libri
huius capite ſecundo: Statutum eſt igitur nobis, inquit,
hoc libro vſum tradere locorum. Hoc libro, inquit, id eſt
ſecundo, non tertio. Rurſus capite vigeſimo, loquens de
libro primo, non primum, ſed priorem illũ appellat: quod
ipſum & in hoc etiam capite facit: quæ ratio loquendi
fuiſſet, vel ineptiſſima, ſi quæ ijs locis tradũtur, pertine-
rent ad librum tertium. Quamobrem illud nobis certum
indubitatumq́; ſit, hoc illius initium eſſe non poſſe. Qua
de re dicemus & in ſequentibus. Interim, vt veniamus Sũma ca-
ad id quod nunc agitur, quæcunq; hoc capite docet Ro- pitis. 18.
dolphus, eorum omnium hæc eſt ſumma. Nomen rheto- Nomen
rices bifariam capitur. Primum, pro omni ac ſola facul- rhetori-
te ea, qua inſtructi eſſe debent ij, qui in foro cauſas ciui- ces bifa-
les agunt. Atq; hoc intellectu accepta rhetorice, quanquã riã capi.
vtitur illa quidẽ elocutione & inuentione argumentorũ,
non ad eam tamen proprie pertinet explicatio rerũ iſta-
rum, non magis, quàm ad poëticen, ad hiſtoriam, ad na-
turalem, aut moralem philoſophiã: quæ & ipſæ elocutio-
ne pariter atq; inuentione vtuntur. Et ad hunc tamen
ſenſum vſi ſunt ferè nomine rhetorices ij, quorũ de dicẽ-
di arte extant præcepta. Capitur deinde idem nomẽ pro
arte ea, à qua dicimus petendam eſſe ſermonis elegan-
tiam. Quo intellectu dici ſolet, treis eſſe artes, quæ verſen
tur circa artificium orationis, grammaticen, dialecticen,
& rhetoricen: & à grammaticis quidem ſermonis petẽ-
dam eſſe emendationem, probabilitatẽ à dialecticis, à rhe
toribus rationẽ cultè ornateq́; dicendi, hoc eſt, elocutio-
nem, nõ modo illã forenſem ac popularẽ, ſed in cõmune,
qua oratores, poëtæ, hiſtorici, philoſophi: breuiter, qua oẽs

ij qui ſcribunt, aut dicunt, in ſua quiſq; arena, pro materiæ quam tractant qualitate vtuntur. Vt enim in vniuerſum, quomodo, non de hac, aut illa, ſed de re quauis emendate loquamur, docet grammatica: & argumentorum in res omneis inueniẽdi, diiudicandiq; rationem dialectice explicat: ita par eſt, etiam vnam aliquam eſſe artem, quæ in vniuerſum eloquendi rationem tradat. Quo fit, vti nihil quicquam interſit inter locos dialecticos, & rhetoricos: pertineatq; omnis illa diſputatio de inuentione, ſeu locis ad dialecticen ſolam, non etiam ad rhetoricam: ſiue ea intellectu illo priori, ſiue hoc poſteriore accipiatur. At enim ſi inuentio (inquis) argumentorum, hoc eſt argumentorum loci, itemq; elocutio, ad rhetorem priori illo captum intellectu non pertinent, qui fit ergo, vt his de rebus illorum pleni ſint libri? cur eorũ quæ ad ſe nihil pertinent tradunt præcepta? Paucis. Vt primum apud Græcos in quæſtu eſſe cœpit facultas dicendi, & in illuſtri haberi nomen eorũ, qui cauſas in foro agerent: ſtatim (vt fit) agminatim concurſum huc eſt, volueruntq; bene dicere omnes, & quidem cito voluerunt. Sed enim nõ erat omnibus datum hoc à natura, vt per ſeſe, & ſuo (quod aiunt) marte inuenire ea poſſent, quibus & ſua confirmarent, & aliena refellerent: eademq; illa ſic eloqui, vti aures etiam audientium voluptate aliqua demulcerent. Opus ergo erat adminiculo artis, opus erat præceptis inueniendi ac eloquendi: quæ quidem vtraque non ab illis magis explicari doceriq; debebant, quàm à poëtis, philoſophis, aliiſq; ſcriptoribus, qui & ipſi (quemadmodum diximus) hiſce vtuntur. Sed cũ eo tẽpore nondũ inuentæ eſſent artes illæ, à quibus erant petenda iſta: hinc fuit, vt neceſſitas quædã eos impulerit, harũ etiã rerum præcepta tradere: non quidẽ in vniuerſum, ſed hactenus, quatenus

Locorum explicationẽ ad ſolũ pertinere dialecticum, nõ ad rhetorem.

*ſuo inſtituto ſatis eſſe putabant. Quæ res fuit in cauſa, vt & poſteri hanc docendi rationem ſecuti oẽs tradiderint præcepta rerum iſtarũ, nõ quòd hoc ad illorũ proprie pertineret officium, ſed quòd eos, qui antè idẽ argumentum tractaſſent, imitari liberet. Alioqui, inueniendi quidem ratio in cõmune petenda erat à dialectico: elocutio autem ab rhetore eo, quem ſecundo loco diximus hoc no-*
2 *mine ſignificari.* ¶ †*Quos attributa perſonarum & rerum vocant.* ] *Perſonarum attributa ſunt, genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, ſtudia, affectiones, antè acta, aut dicta, nomen. Attributa rerum, ſunt cauſæ, locus, tempus, caſus, facultas, inſtrumenta, agendi modus,* Attributa perſonarum. Attributa rerum.
3 *quæq; alia eius generis ſunt.* ¶ †*Et Boëthius ſic eſſe putauit, ſic tradidit, cum in quarto libro Topicorum hanc ipſam tractaret quæſtionem* ] *Docet eo in loco Boëthius trifariam differre dialecticen à rhetorica, materia, vſu, & fine. Materia, quòd rhetorice circa hypotheſes, dialectica circa theſes verſetur. Vſu, quòd dialecticus conciſa oratione, & ſyllogiſmis integris: rhetor oratione perpetua & enthymematis, hoc eſt, imperfectis ſyllogiſmis vtatur. Fine, quòd rhetoris finis ſit, perſuadere iudici: dialectici, ab aduerſario ipſo, id quod vult, extorquere. Quæ illius ſententia quatenus vera ſit, patere ex ijs poteſt, quæ diximus huius libri capite quinto, octauo, & duodecimo. Quãquam quod addit de vſu enthymematũ, & ſyllogiſmorũ, id neutro eorum intellectuum quos ſuperius expreßimus, ſatis verũ videtur, quando & rhetor ille forẽſis, vel creberrime integris vtitẽ ſyllogiſmis: neq; quicquã obſtare videtẽ, quin in diſputationibus etiã illis dialecticorũ, enthymematũ eſſe vſus aliquis poßit. Quem-*
4 *admodũ dictum eſt ſupra, capite.14.* ¶ † *Et de dialectice*

*ij qui ſcribunt, aut dicunt, in ſua quiſq; arena, pro materiæ quam tractant qualitate vtuntur. Vt enim in vniuerſum, quomodo, non de hac, aut illa, ſed de re quauis emendate loquamur, docet grammatica: & argumentorum in res omneis inueniẽdi, dijudicandiq; rationem dialectice explicat: ita par eſt, etiam vnam aliquam eſſe artem, quæ in vniuerſum eloquendi rationem tradat. Quo fit, vti nihil quicquam interſit inter locos dialecticos, & rhetoricos: pertineatq; omnis illa diſputatio de inuentione, ſeu locis ad dialecticen ſolam, non etiam ad rhetoricam: ſiue ea intellectu illo priori, ſiue hoc poſteriore accipiatur. At enim ſi inuentio (inquis) argumentorum, hoc eſt argumentorum loci, itemq; elocutio, ad rhetorem priori illo captum intellectu non pertinent, qui fit ergo, vt his de rebus illorum pleni ſint libri? cur eorũ quæ ad ſe nihil pertinent tradunt præcepta? Paucis. Vt primum apud Græcos in quæſtu eſſe cœpit facultas dicendi, & in illuſtri haberi nomen eorũ, qui cauſas in foro agerent: ſtatim (vt fit) agminatim concurſum huc eſt, volueruntq; bene dicere omnes, & quidem cito voluerunt. Sed enim nõ erat omnibus datum hoc à natura, vt per ſeſe, & ſuo (quod aiunt) marte inuenire ea poſſent, quibus & ſua confirmarent, & aliena refellerent: eademq; illa ſic eloqui, vti aures etiam audientium voluptate aliqua demulcerent. Opus ergo erat adminiculo artis, opus erat præceptis inueniendi ac eloquendi: quæ quidem vtraque non ab illis magis explicari doceriq; debebant, quàm à poëtis, philoſophis, aliiſq; ſcriptoribus, qui & ipſi (quemadmodum diximus) hiſce vtuntur. Sed cũ eo tẽpore nondũ inuentæ eſſent artes illæ, à quibus erant petenda iſta: hinc fuit, vt neceſſitas quædã eos impulerit, harũ etiã rerum præcepta tradere: non quidẽ in vniuerſum, ſed hactenus, quatenus*

*Locorum explicationẽ ad ſolũ pertinere dialecticum, nõ ad rhetorem.*

ſuo inſtituto ſatis eſſe putabant. Quæ res fuit in cauſa, vt & poſteri hanc docendi rationem ſecuti oẽs tradiderint præcepta rerum iſtarũ, nõ quòd hoc ad illorũ proprie pertineret officium, ſed quòd eos, qui antè idẽ argumentum tractaſſent, imitari liberet. Alioqui, inueniendi quidem ratio in cõmune petenda erat à dialectico: elocutio autem ab rhetore eo, quem ſecundo loco diximus hoc no-
2 mine ſignificari. ¶ † Quos attributa perſonarum & rerum vocant. ] Perſonarum attributa ſunt, genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, ſtudia, affectiones, antè acta, aut dicta, nomen. Attributa rerum, ſunt cauſæ, locus, tempus, caſus, facultas, inſtrumenta, agendi modus,
3 quæq; alia eius generis ſunt. ¶ † Et Boëthius ſic eſſe putauit, ſic tradidit, cum in quarto libro Topicorum hanc ipſam tractaret quæſtionem ] Docet eo in loco Boëthius trifariam differre dialecticen à rhetorica, materia, vſu, & fine. Materia, quòd rhetorice circa hypotheſes, dialectica circa theſes verſetur. Vſu, quòd dialecticus conciſa oratione, & ſyllogiſmis integris: rhetor oratione perpetua & enthymematis, hoc eſt, imperfectis ſyllogiſmis vtatur. Fine, quòd rhetoris finis ſit, perſuadere iudici: dialectici, ab aduerſario ipſo, id quod vult, extorquere. Quæ illius ſententia quatenus vera ſit, patere ex ijs poteſt, quæ diximus huius libri capite quinto, octauo, & duodecimo. Quãquam quod addit de vſu enthymematũ, & ſyllogiſmorũ, id neutro eorum intellectuum quos ſuperius expreſſimus, ſatis verũ videtur, quando & rhetor ille forẽſis, vel creberrime integris vtĩ ſyllogiſmis: neq; quicquã obſtare videt, quin in diſputationibus etiã illis dialecticorũ, enthymematũ eſſe vſus aliquis poſſit. Quem-
4 admodũ dictum eſt ſupra, capite. 14. ¶ † Et de dialectice

Attributa perſonarum.

Attributa rerum.

quidem quod credamus eſſe munus illius, ſatis multis ſu-
perius executi ſumus.] Fuit enim dictum capite tertio li-
bri huius, finem dialectici eſſe, probabiliter de re quauis
Orator. diſſerere. ¶ †Oratorem vel rhetora, eadem enim eſt nomi- 5
Rhetor. nis vtriuſq; vis.] Vt negari non poteſt, eoſdem planè
fuiſſe, quos Græci olim rhetoras, & quos Romani orato-
res vocarunt: ita hoc rurſus video conſuetudinē obtinuiſ-
ſe apud ſcriptores Latinos, vt oratoris nomine ſignificēt
eum, qui cauſas in foro agat: rhetoris, qui rhetoricā do-
Orator quis dicendus. ceat. ¶ †Qui de qualibet re poſſet apte ornateq; dicere.] 6
Cicero primo de oratore, Quamobrem ſi quis vniuerſam
& propriā oratoris vim definire complectiq; vult, is ora-
tor erit, mea ſentētia: hoc tam graui dignus nomine: qui,
quæcunq; res inciderit, quæ ſit dictione explicāda, prudē-
ter, & cōpoſite, & ornatè, & memoriter dicet, cū quadā
Eloquentiæ laus. actionis etiam dignitate. ¶ †Sed illis parum viſum fuit, 7
ſplendide ornateq; dicendi laudem per ſe ampliſſimam
oratori tribuere.] Neq; enim, vt inquit apud Ciceronem
Craſſus, præſtabilius quicquam videtur, quàm poſſe di-
cendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates
impellere quò velit, vnde autem velit deducere. Hæc vna
res in omni libero populo, maximeq; in pacatis tranquil-
liſq; ciuitatibus, præcipue ſemper floruit, ſemperq; domi-
nata eſt. Quid enim eſt, aut tam admirabile, quàm ex in-
finita hominum multitudine exiſtere vnum, qui id quod
omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cū paucis facere
poſſit? aut tam iucundum cognitu, atq; auditu, quàm ſa-
pientibus ſententijs, grauibuſq; verbis ornata oratio, &
perpolita? aut tam potens, atq; magnificum, quàm popu-
li motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem, vnius
oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale,
tam magnificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare

*afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poßis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceßitus? Age verò ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamq; meditere: quid eſſe poteſt in otio, aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? &c.* Et apud eundem Ciceronem Antonius, *Nam vt vſum, inquit, dicendi omittam, qui in omni pacata, ac libera ciuitate dominatur: tanta oblectatio eſt in ipſa facultate dicendi, vt nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi poßit. Quis enim cantus moderata pronunciatione dulcior inueniri poteſt? Quod carmen artificioſa verborum conſtructione aptius? Qui actor in imitãda, quàm orator in ſuſcipienda veritate iucundior? Quid autem ſubtilius, quàm crebræ accuratæq; ſententiæ? Quid autem admirabilius, quàm res ſplendore illuſtrata verborum? Quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Neq; enim vlla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornate dici grauiterq; debeat. Huius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicita ſententia. Eiuſdem etiam languentis populi incitatio, effrenati moderatio. Eadem facultate, & fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius? quis à vitijs acrius reuocare? quis vituperare improbos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? quis mœrorem leuare mitius conſolando?*

Quàm multa rhetori ſubiecerint Cicero & Quintilianus.

8 ¶ + *Niſi reliquarum artium cumulum propè immenſum iuri illius ditioniq; ſubdidiſſent.*] Hoc facit Quintilianus libro primo, ac duodecimo. Et apud Ciceronem Craſſus: *Noſtra eſt, inquit, omnis iſta prudentiæ doctrinæq;*

Tertio de Oratore.

*profeſsio, in quam homines quaſi caducam, atq; vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, inuolauerunt. Atque etiam aut derident oratorem, vt ille in Gorgia Socratis cauillator, aut aliquid de oratoris arte, paucis præcipiũt libellis, eosq; rhetoricos inſcribunt. Quaſi non illa ſint propria rhetorum, quæ ab iiſdem de iuſtitia, de officio, de ciuitatibus inſtituendis, & regendis: de omni viuendi, deniq; de naturæ etiam ratione dicũtur. Et rurſus in eodem volumine: Quare oẽs iſtos me authore, inquit, deridete, atq; contemnite, qui ſe horum qui nunc appellantur rhetorum præceptis, omnem oratoris vim cõplexos eſſe arbitrantur: neq; adhuc quam perſonã teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Vero enim oratori, quæ ſunt in hominum vita, quandoquidẽ in ea verſatur orator, atq; ea eſt ei ſubiecta materies, omnia quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata eſſe debent. Item & in oratore ad Brutum, vniuerſam philoſophiã particulã quandam vult eſſe rhetorices. Et in primo rurſus de Oratore: Mea quidem, inquit, ſentẽtia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerũ, magnarũq; artium ſcientiam conſecutus. ¶ † Fingamusq; tam felicis ingenij mortale aliquod eſſe pectus.* 9 *] De hoc Fabius libro duodecimo, capite vltimo. ¶ † Fatẽdum tamen erit,* 10 *ſi tum de oratoris officio quæratur, non quæſitum iri de eo, tanquam de diſcretæ alicuius certæq; artis &c. ] His planè conſentanea ſunt ea, quæ apud Ciceronem, primo libro pe Oratore diſſerit M. Antonius. Qui locus cũ mire faciat ad intelligenda ea, quæ hic habet Rodolphus, nõ pigebit totum aſcribere. Oratorem autem, quoniam de eo quærimus, inquit, equidem non facio eundem quem Craſſus, qui mihi viſus eſt omnem rerum, atq; artium ſcientiã comprehendere vno oratoris officio, ac nomine. Atq; eũ*

*Sentẽtia Antonij de oratore, ſuperiori con-*

puto eſſe, qui & verbis ad audiendum iucundis, & ſen-
tentijs ad probandum accommodatis, vti poſſit in cauſis
forenſibus, atq; communibus. Hunc ego appello orato-
rem: eumq́; prætereà eſſe inſtructum voce, & actione, & ijs quæ
lepore quodam volo. Craſſus verò noſter mihi viſus eſt
oratoris facultatē, non illius artis terminis, ſed ingenij
ſui finibus immenſis penè deſcribere. Nam & ciuitatum
regendarum oratori gubernacula ſententia ſua tradidit,
in quo permirum mihi viſum eſt Scæuola, te hoc illi con-
cedere, cum ſæpiſſime tibi Senatus, breuiter impoliteq́; di
centi, maximus ſit de rebus aſſenſus. M. verò Scaurus,
quem nō lōge ruri apud ſeſe eſſe audio, vir regēdæ reip.
ſcientiſſimus, ſi audierit hanc authoritatē grauitatis, &
conſilij ſui vindicari à te Craſſe, quòd eā oratoris pro-
priam eſſe dicas: iam credo huc veniat, & hanc loquaci-
tatem noſtrā vultu ipſo aſpectuq́; cōterreat. Qui tanquā
eſt in dicendo minime contemnendus, prudētia tamen re
rum magnarum, magis quàm dicendi arte nititur. Neq;
verò ſi quis vtrunq; poteſt, aut ille cōſilij publici author,
ac Senator bonus, ob eam ipſam cauſam orator eſt: aut
hic diſertus, aut eloquens, ſi eſt idem in procuratione ci-
uitatis egregius, * illam ſcientiam dicendi copia eſt con-
ſecutus. Multum inter ſe diſtant iſtæ facultates, longeq́;
ſunt diuerſæ, atq; ſeiunctæ. Neq; eadem ratione ac via,
M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui om-
nes eloquentes fuerunt, orationē ſuam, & Reip. dignita
tem exornabant. Neque enim eſt interdictū, aut à natu
ra rerū, aut à lege aliqua, atq; more, vt ſingulis homini-
bus, ne amplius quàm ſingulas artes noſſe liceat. Quare
non, etſi eloquētibus athenis Pericles, idēq́; in ea ciuitate
plurimos annos princeps fuit, idcirco eiuſdem hominis,
atq; artis eadē facultas exiſtimāda eſt. Nec ſi P. Craſſus

trariá, ſed cōſona planè docet Rodolphus.

* aliqua ſciētia dicendi copiam.

idem fuit eloquens, & iuris peritus: ob eam cauſam ineſt in facultate dicendi iuris ciuilis ſciētia. Nam ſi quiſquā, vt in aliqua arte, & facultate excellens, aliam quoq; artem ſibi aſſumpſerit, is perficiet, vt quod præterea ſciet, id eius in quo excellet, pars quædam eſſe videatur: licet iſta ratione dicamus, pila bene & duodecim ſcrupis ludere, proprium eſſe iuris ciuilis, quoniam vtrunq; eorum P. Mutius optime fecerit: eademq; ratione dicantur, & quos phyſicos Græci vocant, iidem poëtæ: quoniā Empedocles Phyſicus egregium poëma fecerit. Ad hoc, ne philoſophi quidem ipſi, qui omnia ſicut propria ſua eſſe, atq; à ſe poßideri volunt, dicere audent, geometriam, aut muſicam philoſophi eſſe: quia Platonem omnes in illis artibus præſtantiſſimum fuiſſe profiteantur. Ac ſi iam placet oēs artes oratori ſubiūgere, tolerabilius eſt ſic potius dicere: vt quoniam dicendi facultas nō debet eſſe ieiuna, atq; nuda, ſed aperta, atq; diſtincta multarum rerum iucūda quadam varietate: ſit boni oratoris, multa auribus accepiße, multa vidiſſe, multa animo, & cogitatione, multa etiam legēdo percurriſſe: neq; ea vt ſua poſſediſſe, ſed vt aliena libaſſe. Fateor enim callidum quendam hunc, & nulla in re tyronem, ac rudem, nec peregrinum, & hoſpitem in agendo eſſe debere. ¶ † Sed cum non donemus rhetoris nomine eum. ] Hoc ſolum, inquit, pertinet ad officium rhetoricæ, à quo ſolo rhetor habet, vti rhetor dicatur: hæc autem eſt ratio eloquendi circa ciuiles cauſas: quamobrem ſolum hoc rhetoris officiū eſſe dicemus, appoſite cōmodeq; dicere poſſe de cauſis ciuilibus. ¶ † Ariſtoteles ergo ciuilis ſcientiæ partem rhetoricen vocat. ] Hoc ipſum facit & in rhetoricis Cicero. Ciuilis quædam, inquiens, ratio eſt, quæ multis & magnis ex rebus cōſtat. Eius quædam magna & ampla pars eſt, artificioſa elo-

Qua ratione dici poßit, oēs artes oratori eſſe ſubiectas.

11

12

quentia, quam rhetoricam vocant. Et quæ ſequuntur.
13 ¶ †Hermogenes etiam de ciuilibus ſolum quæſtionibus dicere rhetoris cenſet eſſe.] Id ipſum his verbis præcipitur in rhetoricis ad Herennium: Oratoris officium eſt, de his rebus poſſe dicere, quæ res ad vſum ciuilem moribus ac legibus conſtitutæ ſunt, cum aſſenſione auditorũ, quo
14 ad eius fieri poterit. ¶ †Et ſicut Cicero ait Gallum dicere ſolitum.] Hunc Ciceronis locum attigimus libro ſu-
15 periore, capite decimoſeptimo. ¶ †Itaque apud Græcos erant, quos πραγματικοὺς vocabant.] Craſſus primo de Oratore: Itaq;, inquit, vt apud Græcos infimi homines mercedula adducti, miniſtros ſe præbent in iudicijs oratoribus, ij qui apud illos pragmatici vocantur: ſic in noſtra ciuitate contrà, ampliſſimus atq; clariſſimus quiſq; vir, vt ille, qui propter hanc iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poëta eſt: egregie cordatus homo Catus Elius Sextus &c. Et reſpõdens Craſſo Antonius: Quòd ſi in geſtu, inquit, qui multum oratorem adiuuat: & in voce, quę vna maxime eloquentiã vel commendat, vel ſuſtinet: elaborare nobis non licet: at tantũ in vtroq; aſſequi poſſumus, quantũ in hac acie quotidiani muneris ſpaciũ nobis datur: quanto minus eſt ad iuris ciuilis perdiſcendi occupationem deſcendendũ. Quod & ſummatim percipi ſine doctore poteſt, & hanc habet ab illis rebus diſſimilitudinem: quòd vox & geſtus ſubito ſumi & aliũde arripi non poſſunt: iuris vtilitas, ad quanque cauſam, quamuis repente, vel à peritis, vel de libris depromi poteſt. Itaq; illi diſertiſſimi homines, miniſtros habẽt in cauſis iuriſperitos, cum ipſi ſint peritiſſimi: & qui, vt abs te paulò ante dictum eſt, pragmatici vocantur: in quo noſtri omnino melius multo, quòd clariſſimorum hominum authoritates, leges, & iura, tecta eſſe voluerunt. Sed ta-

Pragmatici.

*men non fugiſſet hoc Græcos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, oratorem ipſum erudire iure ciuili, non ei pragmaticum adiutorem dare. Hucuſq; apud Ciceronem Antonius. Quod ad nomen attinet,* πρᾶγμα *negocium ac cauſam ſignificat. Inde* πραγματικὸς, *qui in negocijs cauſiſq; verſatur. quem haud ſcio an nos dicere poßimus cauſidicum, & rabulam quendam forenſem.*

16 ¶ † *Qui dicenti res, vt Quintilianus inquit, velut telam texenti miniſtrabat.] Senſum Fabij magis refert, quàm verba: quæ apud eum authorem libro duodecimo ſic habent: Neq; ego ſum noſtri moris ignarus, oblitus´ve eorum, qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant. Neq; idem Græcos quoq; neſcio factitaſſe, vnde nomen ijs pragmaticorum datum eſt.*

17 ¶ † *Cui quidem rhetorices etiam vocabulum conſentit.] Verbum Græcum eſt* ῥέω: *quod etſi hodie id quod fluo ſignificat, tamen veteribus etiam id fuiſſe quod dico, apparere vel hinc poteſt, quòd inde* ῥῆμα, *id eſt, verbum deſcendit: & ab Heſiodo* ῥητοί τ' ἄῤῥητοί τε *dicuntur, quos latine dictos indictoſq;, laudatos, & illaudatos, celebres, & ignobiles dicere poſſumus. Hinc ergo deriuantur & hæc,* ῥήτωρ, ῥητορικὴ, ῥητορεύω. *Id quod ſecundo Oratoriarum inſtitutionum libro teſtatur & Fabius. Et Cicero in Oratore ad Brutū: Sed iam (inquit) illius perfecti oratoris, & ſummæ eloquētiæ ſpecies exprimenda eſt: quem hoc vno excellere, id eſt oratione, cætera in eo latere, indicat nomen ipſum. Non enim inuentor, aut compoſitor, aut actor hæc complexus eſt omnia, ſed & Græce ab eloquendo rhetor, & latine eloquens dictus eſt.*

*Rhetoricæ vocabulū vnde dicatur.*

18 ¶ † *Cum ſint autem, vt alio loco diximus.] Libri huius capite ſecundo.*

19 ¶ † *Cum & ſua poëtis, ſua hiſtoriæ danda ſit.] Hāc eloquendi diuerſitatē attingit in libris de Oratore & Cicero.*

20 ¶ † *Maxi-*

*numúq; diſcrimen eſt apud poëtas. ] Cuius præter alios*
21 *meminit in libello de arte poëtica Hora.* ¶ † *Sola eloquē-*
*di ratio ſemper fuit.] In hanc ſententiam multa Cicero*
22 *primo libro de Oratore ad Q. fratrem.* ¶ † *Ciuilis verò*
*ratio, quoniam cœpit in Græcia in quæſtu eſſe.] Fabij li-*
*bro tertio de origine rhetorices verba hæc ſunt : Initium*
*ergo dicendi dedit natura, incremētum artis obſeruatio.*
*Homines ẽm, ſicut in medicina cum viderēt alia ſalubria,*
*alia inſalubria, ex obſeruatione eorum effecerunt artem:*
*ita cum in dicendo, alia vtilia, alia inutilia deprehende-*
*rent, notarunt ea ad imitandum vitandumq;, & quædã*
*ſecundum rationem eorum adiecerunt ipſi quoq;. Hæc*
*confirmata ſunt vſu, tum quæ ſciebat quiſq; docuit.*
23 ¶ † *Sed multo pòſt ſecutus eſt Ariſtoteles, qui primus*
*eam in artis formam cogere adorſus eſt.] Gloriatur ipſe*
*Ariſtoteles in fine libri de elenchis ſophiſticis, cæteras*
*quidem artes omneis paulatim cœpiſſe, & ab alijs qui-*
*dem earum eſſe inuenta principia, ab alijs auctas eſ-*
*ſe, ab alijs tandem aliquando abſolutas : quæ autem à ſe*
*tradita ſint de ratione ſyllogiſmorum , ea omnia à ſe*
*vno, & inuenta & perfecta abſolutáq; eſſe. Quòd*
*ſit autem dialectice poſt cæteras artis inuenta, obiter Dialecti-*
*apud Ciceronem docet his verbis Craſſus': Nam vetus ce poſt*
*quidem (inquit) illa doctrina, eadem videtur & recte alias ar-*
*viuendi & bene dicendi magiſtra: neq; diſiuncti docto- tes inuen*
*res, ſed ijſdem erant viuendi præceptores atq; dicendi, vt ta.*
*ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre, Achilli*
*iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, vt illum effi-*
*ceret oratorem verborum, actóremq; rerum. Sed vt ho-*
*mines labori aßiduo & quotidiano aſſueti, cum tem-*
*peſtatis cauſa opere prohibentur, ad pilam ſe aut ad ta-*
*los aut ad teſſeras conferunt, aut etiam nouum ſibiipſi*

aliquem excogitant in ocio ludum: ſic illi à negocijs pu-
blicis tanquam ab opere, aut temporibus excluſi, aut vo-
luntate ſua feriati, totos ſe alij ad poëtas, alij ad geome-
tras, alij ad muſicos contulerunt: alij etiam, vt dialectici,
nouum ſibi ipſi ſtudium ludumq́; pepererunt. Et quæ ſe-
quuntur. ¶ †Tandemq́; longi temporis poſſeſſione, ve- 24
Vſucapio lut vſucapione, verterunt in rem ſuam iſta.] Vſucapionē
vocant iuriſconſulti, quā hodie ferè dicimus præſcriptio-
nē. A Modeſtino iurecōſulto finitur hoc modo: Vſucapio
eſt acquiſitio vel adiectio dominij per continuationē poſ-
ſeßionis temporis lege definiti. ff. de vſucapionibus &
vſurpationibus. l. Vſucapio. ¶ † Cūnō eſſet eorum alius 25
aſſertor.] Vindicator, qui ea ſibi aſſereret, vindicaretq́;,
ac ſua diceret. Eſt autem & hoc verbum iureconſultorū,
Qui po- quos diligenter ab Rodolpho lectos apparet. ¶ † Qui 26
pulus di- quæret enim, an poßit ciuitate Romana donari is, cuius
catur fun- populus fundus factus non fuiſſet, id eſt cuius populus
dus fa- Romanis legibus non vteretur.] Ciceronis hanc in rem
ctus. verba, vt quidem hodie in exemplaribus leguntur, ſic ha
bent: Naſcitur iudices cauſa Cornelij ex ea lege, quam L.
Gellius, Cn. Cornelius, ex ſenatus ſententia tulerūt, qua
lege videamus ſatis eſſe ſancti, vti ciues Romani ſint ij,
quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſigillatim ciui-
tate donauerit. Donatum eſſe L. Cornelium præſens Pō-
peius dicit, indicant publicæ tabulæ, accuſator fatetur: ſed
negat ex fœderato populo quenquam potuiſſe, niſi is po-
pulus fundus factus eſſet, in hanc ciuitatē venire. O præ-
clarum interpretem iuris, authorem antiquitatis, correcto
rem atq; emendatorem noſtræ ciuitatis: qui hanc pœnam
fœderibus aſcribat, vt omnium præmiorū beneficiorumq́;
noſtrorum expertes faciat fœderatos. Quid enim potuit
dici imperitius, quàm fœderatos populos fieri fundos
oportere?

*oportere? Nam id non magis eſt proprium fœderatorũ, quàm omnium liberorũ. Sed totum hoc iudices in ea fuit poſitum ſemper ratione atq; ſententia, vt cum iuſsiſſet prætor aliquid, ſi id acciuiſſent ſocij populi ac Latini, & ſi ea lex quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo reſediſſet, vt tum lege eadem is populus teneretur: non vt de noſtro iure aliquid minueretur, ſed vt illi populi aut iure eo quod à nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo aut beneficio vterentur. Tulit apud maiores noſtros legem C. Furius de teſtamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hæreditatibus, innumerabiles aliæ leges de ciuili iure ſunt latæ: quas Latini voluerunt, acciuerunt. Ipſa deniq; Iulia qua lege ciuitas eſt ſocijs & Latinis data: qui fundi populi facti non eſſent, ciuitatem non haberent, in quo magna contentio Heracleenſium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in ijs ciuitatibus, iuris ſui libertatem ciuitati anteferret. Poſtremo hæc vis eſt iſtius & iuris & verbi, vt fundi populi beneficio noſtro, non ſuo iure fiant. Cum aliquid populus Romanus iuſsit, id ſi eſt eiuſmodi, vt quibuſdam populis ſiue fœderatis ſiue liberis permittendum eſſe videatur, vt ſtatuant ipſi, non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo iure vti velint, tum vtrum fundi facti ſint, an non, quærendum eſſe videatur: de noſtro verò imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute, fundos populos fieri noluerunt.*

27 ¶ †Et an vis ſit metu armorum deterrere à poſſeſſione quenquam.] *Extat hodieq; pulcherrima hac de re Ciceronis oratio pro Aulo Cecinna, quem cum Sex. Ebutius armis ad fundum ſuũ accedere prohibuiſſet, negauit tamen Piſo aduocatus Ebutij vim eſſe factam, propterea quòd nemo neq; occiſus neq; vulneratus eſſet. Quã illius defendendi rationem multis argumentis refellit Cicero.*

*¶ Volenti copiam dicendi parare ex locis, principio neceſſariam eſſe plenam locorum notitiam: eamq́; in duobus præcipue poſitam eſſe. Primum, vt explorate, quot loci ſint, & quæ cuiuſq; proprietas, teneamus. Deinde, vt argumentationes ab authoribus traditas, in ſuos quanq; locos poſsimus reſoluere.* CAPVT. XIX.

*Primum præceptũ de locorũ vſu, ne ſæpe vt cognitos habeamus locos.*

VT ergo dicamus id, quod præſentis eſt negocij: tractatumq́ locorũ aperiamus, id eſt, doceamus, quo pacto ſit omnis argumentorum facultas & copia è locis eruenda primum hoc & præcipuum eſt, quod rerum ordo præcipiendum monet, vt quiſquis inuenire volet ex locis, diligenter & exacte locos habeat cognitos.

*Duo neceſſaria ad locorũ cognitionem.*

¶ Eſt autem locorum notitia ferè in his duobus poſita. Prius eſt, vt numerum naturamq́ locorũ, quot ſint, & quæ cuiuſq; ſit vis & proprietas, explorate planeq́ teneat. Quod ſiue noſtra deſcriptione, ſiue quouis alio conſequatur authore, non multum referet. Aut inueniet enim optimum ducem: aut pro optimo erit, quem poterit expeditiſſime ſequi. Nec vero memoria tenuiſſe locos ſatis eſſe credidero: ſed paratos, exercitos, & velut in conſpectu & ad manum poſitos teneat velim. Sicut enim non poteſt celeriter quis & inoffenſo verborum curſu, legere aliquid, cui de ſingulis literis eſt in cõſilium eundum: ſic neq; parate po-

terit inuenire ex locis, cui cũ inueniendum eſt, prius ipſi quærendi ſunt loci. ¶ Proximum in locorum notitia eſt, quodq́ difficilius eſt, traditas ab authoribus argumentationes ſuis locis reddere. Idq; non in hoc ſolum eſt vtile, quod plurimum confert in intelligendis virtutibus authorum, & in diſcernenda varia apud eos argumentandi ratione, vt quandoq; tanquam crebris denſisq́ ictibus, ſic multis argumentationibus celeriter coagmentatis, feriant aduerſarios: quandoq; argumẽtatione late copioſeq́ fuſa, multarum impetum, vnius pondere exęquant: iam confodiant acumine, iam viribus proſternãt, iam de re iudicent: iam ſicubi parum eſt in re fiduciæ, in aduerſarium conuerſa oratione, † velut flexu eludant. Paratur hinc iudicium, & omne ferè artificium perſpicitur, nõ inuentionis modo, quod & ipſum noſtri inſtituti eſt, & nobis proinde maximũ: ſed magna ex parte elocutionis, quæ ſic plerunque rebus affixa eſt, vt vix poſſit inde diuelli: apud Demoſthenem præſertim & Ciceronem, & vt quiſque eſt iſtis dicendi iudicio proximus: quorum eſt ita rebus accommodata oratio, vt naſci videatur ex illis.

*Quàm vtile ſit traditas ab authoribus argumentatiões ſuis locis reddere.*

Verum non in id ſolum (vt diximus) vtile eſt cognoſcere locos argumẽtationum apud authores: ſed quod hoc vſu tractatuq́ rerũ, cum ratio acceſſerit eis, copia quædam &

theſaurus paratur, qui ſemper nobis in prom-
ptu ſit, vt quoties ex locis quæremus ſimilibꝰ
in rebus, ſimiles nobis argumẽtationes occur-
rant. Sicut enim in omni vita, ſic in hac quoqꝫ
inueniendi ratione, primum eſt ſcire, quid &
quo pacto ſit faciendũ. Facere vero quæ recta
ſunt, & quatenus recta ſunt, imitatione facilli-
me conſequimur. Præceptis enim aures ferè
imbuuntur: exempla docẽt oculos. Quanquã
ſint autẽ plura, quæ audiẽdo poſſumus, quàm
videndo diſcere, latiusqꝫ auriũ pateat ſenſus,
certiora ſunt tamen, quorum ipſi nobis oculis
tradimus fidẽ. †Vnde ſcitè apud Comicũ di- 2
ctum eſt, pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm
auriti decem. Aures enim aliis, oculi ſibi cre-
dunt. ¶ Non eſt autem facile, certam dare de-
prehendendorum locorũ in argumentationi-
bus legem, quod præſertim perſæpe, niſi aſſue-
tis admodum longo vſu lectioneqꝫ authorum
difficile ſit argumentationes explicare: & con-
cluſionem propoſitionemqꝫ earũ, ex orationis
cumulo colligere. Teguntur em̃ ſæpe & in ipſa
dicendi copia deliteſcunt, vel variis dicẽdi fi-
guris occuluntur. Quandoqꝫ iunguntur, tan-
quam in vnius propoſitionis ſpeciem, conclu
ſio & propoſitio. Quandoqꝫ pro vtriſque ſola
propoſitio ponitur. † Et quod de Lyſia legi- 3
mus, cui ſummæ fuit artis loco, non videri ar-
tem, id crebro eſt etiã apud reliquos authores

*De hac argumentorũ redditione, nõ poſſe certã tradi legem, poſſe tamen viã atq; manuductionem quandã dari.*

videre, quò grauius ex inſidiis incautũ aduerſarium petant. Viam igitur quandam ad iſta, & (vt dicitur) manuductionem fortaſſe dare poterimus, quò facilius in his loci cognoſcantur. Vtiliſſimum fuerit igitur, incipientem primum ab his initium facere, quæ ſunt apertiſſima perſpectu: & in quib⁹ vel iam formatę ſunt argumentationes, vel facillime poterunt formari. Eas vbi accepit, videat primum, quod ſit argumentum probationis, id eſt, quod ſit futurum medium, ſi cogatur in formam ratiocinationis argumentatio. Eſt autẽ id, quod ſumptum in propoſitione, in concluſione non ſumitur. Vt, philoſophus nõ recte dimittet vxorem, non ergo Cato recte dimittet vxorẽ. Medium argumentationis eſt philoſophus. Deinde conferatur medium cum eo, quod ſumitur in concluſione, & in propoſitione non eſt ſumptum, id eſt autem Cato. Inde videatur, ſignificetur'ne medio aliquid quod ſit in extremo, cum quo confertur, aut extra. Vt philoſophus ſignificat aliquid quod eſt in Catone. Deinde, ſit'ne ſubſtantia eius, aut circa ſubſtantiã. Certum eſt, quòd nomen philoſophi ſignificatur eſſe circa ſubſtãtiam Catonis. Sic per reliquos eamus locos, donec ad eum qui proprius eſt noſter, veniamus: nõ enim philoſophus ſubiectum eſt Catonis, non actus, ergo cum ſit circa ſubſtantiam eius, adiacens erit. ¶ Non eſt au

*Eandē argumentationē, diuerſo reſpectu, ad diuerſos poſſe reduci locos.*

tem ignorandum, medium, etiam non ſolum comparatum extremo, quod in cōcluſione colligitur, in loci alicuius nomen trāſire: ſed etiā, ſi comparetur extremo cui coniunctum eſt in propoſitione. Cuilibet enim comparatum, alicuius loci ſortietur vtiq; naturam. Vt ſi dicā. Cato non recte dimitteret probatum ſeruum, ergo multo minus Cato dimitteret probatam vxorem: dimittere ſeruum probatum eſt medium, quod comparatum Catoni ad connexorum pertinebit locū, cuius generis ſunt, ſeruus & dominus: comparatum autem vxori, inter comparata erit, minus em̄ in propoſito ſeruus probatus, quàm probata vxor. Quanquā ſint autem propiora rei connexa quàm comparata, citius tamen dixerimus hanc à comparatis ductam argumentationem eſſe, quoniam vis & efficiendi euidentia eſt apertior ex hoc loco. Nomen itaq; etiam iuſtius inde capiet. Quanquam qui volet exacte nominari locum argumentationis, facile vitabit errorem, ſi addat ſemper extremum id, ex cuius loco ductum vult eſſe medium. Vt ſi dicat. †Tarquinius eſt 4
peregrinus Romæ, ergo non debet Romæ expetere regnum: medium eſt, peregrinum eſſe Romæ. Quòd ſi Tarquinio compares, ad locum eum referetur qui ex loco dicitur. Quoniam peregrinum eſſe nō eſt aliud, quàm aliā habere patriam: patria autem loci nomen eſt.

Sin Romæ conferatur, connexum erit: quoniã peregrinum eſſe ei cui peregrinus quis eſt connexum eſt. Sin ei, quod eſt expetere regnum, iungatur peregrinum eſſe, contingens erit: poſſunt enim iuncta eſſe vtraq;, & vtrumuis eſſe ſine altero. Ergo ſi quis argumentum id, ductum vel ex loco, vel ex connexis, vel contintingentibus dicat: recte quidem, ſed non ſatis explicate dicet. Quod ſi addat, ex loco Tarquinii, ex connexis Romæ, ex contingentibus regni: iam quoduis horum dixerit, nihil errabit. Licebit igitur, ex quouis horum volet locorum, dare nomen argumento. Promptius tamen & expeditius quærenti, ex Tarquinii nomine inuenietur. Itaque potiſſimum huius cenſebitur loci, quem comparatum Tarquinio tenet. Cum ſint enim loci (vt diximus) notæ quædam & tanquam indices inueniendarum rerum, ex quocunque loco commodiſſime inuenitur quodq;, eius debet etiam potiſſimum generis exiſtimari. ¶ Non erit autem iam ſupra ſpem difficultas, cum in apertioribus & magis expoſitis argumentationibus fecerimus vſum, vt tectiores paulatim deinde argumentationes, nõ modo reddamus locis ſuis, ſed quod prius & difficilius eſt, in formam ſuam colligamus, & oſtendamus, quæ propoſitio ſit, & quid conficiatur. Opus eſt ergo in primis ſcire quæ ſit quæſtio, de.

*Quomodo tectiores argumentationes iſuas ſint colligēdæ formas, ſuisq; locis reddē*

tatione eſt apud Quintilianum in milite Ma- *Exemplū*
6 riano propoſitio.†Quid dicis? Tu ſi tribunus *primū ex*
eſſes hoc feciſſes? ſi miles eſſes, hoc tuliſſes? *Quinti-*
Non erit difficile formare hanc argumentatio- *liano.*
nem:qui viderit,quid ea velit efficere.Id autē
eſt in ſumma quæſtionis, tribunum iure occi-
ſum eſſe à milite.Quod ſi cum hac propoſitio-
ne conferatur,non probatur id quidem conti-
nuo ex ea,ſed hoc quod ei proximum eſt, neq;
hunc tribunum iſtud facere,neq; militem ferre
debuiſſe.Vt ſit hæc argumentatio. Tu ſi fuiſſes
tribunus,non feciſſes hoc, ergo nec iſte tribu-
nus facere debuit.Sic etiam,ſi fuiſſes miles,nō
tuliſſes, ergo nec miles iſte debuit ferre. Iam
apertum eſt duas eſſe argumentationes eas,
quas dicimus in vna compoſita propoſitione
fuiſſe concluſas. ¶Crebro quidem vſu venit
cōciſa hæc argumētatio altercātibus, quod ex
7 tragœdiarum ſcriptorib⁹ facile liquet.†Apud *Exemplū*
8 Senecā † cum dixiſſet Megara, ſemperq; ma- *ſecūdum*
gno conſtitit naſci deum,volēs Herculis affir- *ex Sene-*
mare diuinitatem.Subiicit Lycus cōfutaturus *ca in Her*
illud. Quęcunq; miſerum videris, hominem *cule furē*
ſcias.Duabus argumētationibus eſt hic opus, *te.*
vt perueniamus eò,quod propoſitione colligi
tur. Quod quomodo fiat, apertū erit, ſi reſpi-
ciamus,quid velit probare Lycus. Vult ſanè
cõfutare,quòd ſit Hercules deus. Ergo hæc
erit intētio, Hercules nō eſt de⁹. Propoſitione

autem quam ipſe ſumit,ſolum videtur colligi,
hominem eſſe Herculem.Hanc itaq; argumē-
tationem velut confeſſam in medio relinquit.
Hercules eſt homo,ergo non eſt deus. Quod
ſit autem homo probat,quoniam quiſquis mi
ſer eſt,homo eſt,Hercules eſt miſer, eſt igitur
homo.Prius argumentum è diuerſis deo du-
*Tertium ex eodem Seneca.* citur,poſteriꝰ ab adiacentibꝰ Herculis. ¶†Si- 9
mile eſt quod ſubiicit in proximo Megara.
Quemcunq; fortem videris, miſerum neges.
Confutat minorem propoſitionem, quæ erat,
Hercules eſt miſer.Vt ſit argumētatio. Nemo
fortis eſt miſer, Hercules eſt fortis, non eſt
ergo miſer. ¶Plures autem propoſitiones
ſunt quarum alteram probat altera. Vt apud
*Quartū ex Lucā. lib.5.* Lucanū in quinto Pharſaliæ, †Orbis Hiberi 10
Horror, & arctoi noſtro ſub nomine miles
Pompeio certe fugeres duce.probat id à pari,
Fortis in armis Cæſareis Labienus erat, nunc
transfuga vilis, Cum duce prælato terras atq;
æquora luſtrat.Poſteriꝰ ergo propoſitio prio-
ris eſt,Prius etiā propoſitio alterius argumen-
tationis, cuius eſt ab authore colligenda con-
cluſio,quam reperiemus rurſus,ea via, quam
prius oſtendimus.Quæſtio eſt,an bene ſibi cō
ſulant milites,deſerendo Cæſarem.Capiamus
propoſitionem,quæ eſt:milites qui ſunt fortiſ-
ſimi,& clariſſimæ apud oēs famæ ductu Cæſa-
ris,timidi atq; fugaces erunt ſi Pompeium ſe-

quantur. Hæc propoſitio ſi adhibeatur quæſtioni, ſtatim videbitur confici, non ergo bene ſibi conſulent, ſi deſerant Cæſarem. ¶ Quandoque & in hoc genere, probationes propoſitionum pro propoſitionibus ponũtur, quemadmodum & propoſitiones pro concluſionibus.
11 bus. Quale eſt apud eundem authorem. † Par labor, atque metus, precio maiore petuntur. Hæc argumentatio videtur tota mihi eſſe ratiocinatio huiuſmodi. Quæcunque minus laboris habent, & plus præmii, magis ſunt expetenda, bellũ ciuile minus laboris habet, quàm Gallicum, & plus præmii, ciuile ergo bellum, magis eſt expetendum. Pro maiori propoſitione poſita eſt probatio, quæ eſt, Vbi par labor eſt, & præmium maius, id eſt expetendũ, conſequitur, ergo vbi minor labor eſt, & precium maius, id eſt expetendũ. Sic pro minore quæ erat, ciuile bellum habet minus laboris, quàm bellum Gallicum, & maius preciũ. quoniam Gallia quota pars terrarum, tenuerit eũ bello decem annorum implicitum, ciuile autem bellũ, ſi geſſerit pauca felici euentu prælia, cum Roma ſubiget ei orbem. ¶ Cum verò plures ſunt propoſitiones, quarum alteram altera non probat, & vtraque probat intentionem per ſe, certum eſt plures eſſe argumentationes. Cuiuſmodi apud eundem autho-
12 rem eodem loco: † Socerum depellere regno

*Quintũ, & ipſum ex Lucẽ. lib. I.*

*Sextũ, ex eodẽ etiã lib. I.*

Decretum eſt genero. partiri nō potes orbem. Vel vna propoſitio eſt, vel quod priꝰ eſt, (Socerum depellere regno Decretum eſt genero) confirmatio fit eius quod ſequitur (partiri nō potes orbem.) Hoc autem poſterius, neq; eā quæ ſequitur probat (Solus habere potes) neque probatur ab ea. Ergo hoc ipſum (ſolus habere potes) altera propoſitio eſt. Vt ſint argumentationes: Pompeius deſtinat depellere te imperio, ergo ſuſcipiendum tibi eſt bellū. Et, ſolus potes habere imperium, ergo etiā gerendum tibi eſt bellum.

*Secūdū, ex Quintiliano.*

¶Sic & Quintilianus in 15
apibus pauperis: Decerpebant (inquit) flores meos. Hæc eſt aduerſarii contradictio. Hanc confutat. Subdit itaq;: Ecquid intelligitis iudices, quanto dolore dignum ſit quod ego perdidi, ſi etiam hoc damnum eſt, flores auferri! Vtitur hac aduerſarii confeſſione ad probandam intētionem ſuam. Si enim perdere flores eſt damnum, multo magis damnum eſt apes perdere. Sequens propoſitio eſt hæc. Ita planē, alioquin tu illos in vetuſtatē ſeruabas: & durarent adhuc, niſi ad hortum tuum apes veniſſent. Priore propoſitione velut alligato ad inconueniens aduerſario, probauit, vel non eſſe damnum decerpi flores, vel maius eſſe quod ipſe ſit paſſus in apibus. Hic probat, ne decerpi quidem eos, cum nequeant alioquin durare, quanquam non accedant apes. Sed iſtud

quia ſemper propemodum fit,vbicunq; vberior eſt aliqua ad dicendum materia ,non fuit ideo monendum, niſi quòd plerunq; ſic duæ aut plures propoſitiones elocutionis ratione iunguntur,vt videantur in vnam cōfundi argumentationem.Idcirco dicentis iudicium diligentiori nobis admonitione fuit excitādum.

¶ Quod poſtremum poſuimus, cū neutra alteram,& neutra per ſe concluſionem probet, ſi ſint vnius argumentationis ꝓpoſitiones, duæ tantum poterūt eſſe.Nec enim plures capit ratiocinatio propoſitiones.In enumeratione verò quanquam poſſint eſſe plures duabus , oēs tamen coniunctæ vnius propoſitionis obtinēt locum. Plana ratiocinatio videtur eſſe apud

*Exemplū octauum ex Lucano,lib. 8.*

14 Lucanum,†Ante aciem Aemathiā nullis acceſſimus armis.& quæ ſequuntur, ſed turbato propoſitionum ordine. Vt ſit minor propoſitio,non ſumus ſecuti læta's res Pompeii, cū dicit(Ante aciem Aemathiā nullis acceſſimus armis.) Deinde ſequatur concluſio,ergo poſſumus iuſte deeſſe aduerſis. Hæc eſt : Pompeii iam caſtra placent,quæ deſerit orbis? Tum poſtremo maior,quia quiſquis ſecutus non eſt læta,iuſte poteſt deeſſe aduerſis. Quod autē ponitur,Nunc victoris opes , & cognita fata laceſſis:eſt velut alia maior propoſitio. Plurium vero propoſitionum probationes crebrū eſt videre,præſertim cū nonnunquam totæ cauſę

in duas ſint coniectæ propoſitiones, ad quas omnes referuntur probationes. Vt redeamus autem eò vnde cœpimus, optimum fuerit ab apertiſſimis incipere, vt vſu aſſuetudineq́ꝫ rerum quæ obſcuriora ſunt, fiant paulatim apertiora. Rerum natura ſic ſe habet. Suis cuncta colligenda ſunt gradibus. Et quod feſtinanti nonnunquam præcipitium eſt, ad id per ſingula ſequenti veſtigia, magna quandoq́ꝫ facilitate, pari ſecuritate peruenitur.

## SCHOLIA IN CAP. XIX.

Eludere. *V†Elut flexu eludāt.] Ductum à gladiatoribus. Eſt enim eludere, ictus intentatos arte quadam euitare, velutiq́ꝫ ludendo à ſe auertere, ac propellere. Martialis:* 1

*Callidus immiſſas eludere ſimius haſtas,*
*Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.*

*Et Politianus in Lamia: ibi (inquit) & funerepus periclitatur, & petauriſta iactatur, & ſaccularius præſtigiatur, & venenarius inflatur, & diuinaculus hallucinatur, & aretalogus nugatur, & circulator illudit, & gladiator eludit, & orator blanditur, & poëta mentitur.*

*¶ †Vnde & apud comicum dictum eſt.] Plautum vides* 2
Dißimulatio artis apud veteres. *licet in Truculento. ¶ †Et quod de Lyſia legimus.] Solebant veteres illi oratores miro ſtudio id agere, vt ſine arte dicere viderentur, itaq́ꝫ ſimplicitate quadam orationis, facilius id quod vellent rudi multitudini perſuaderent. Cui illorum ſententiæ hunc in modum libro quarto ſubſcribit Fabius: Effugienda ergo, inquit, in hac præcipue parte, omnis calliditatis ſuſpicio, (Neque enim ſe vſquam cuſtodit magis iudex.) nihil videatur fictum,* 3

*nihil ſolicitum: omnia potius à cauſa, quàm ab oratore*
*profecta credantur. Sed hoc pati non poſſumus, & peri-*
*re artem putamus, niſi appareat: cum deſinat ars eſſe ſi*
*apparet. Pendemus ex laude, atq; hanc laboris noſtri du-*
*cimus ſummam. Ita quæ circunſtantibus oſtentare volu-*
*imus, iudicibus prodimus.* Hactenus Fabius. Atq; hoc eſt
quod ſolebat dicere Lyſias, ſummam artem eſſe, non vi-
deri artem. Eſt autem hic Lyſias ille orator inſignis, vnus Lyſias.
ex numero illorum decem, qui eodem tempore Athenis
floruiſſe traduntur: quem cum Platone conferens Pha-
uorinus: Si ex Platonis (inquit) oratione verbum ali-
quod demas, mutes've, atque id commodiſſime facias, de
elegantia tantum detraxeris: ſi ex Lyſiæ, de ſententia.
4 Author Gellius, libri ſecundi, capite quinto. ¶ †Tarqui-
nius eſt peregrinus Romæ.] Hic eſt L. ille Tarquinius
Priſcus, Romanorum rex quintus. Cui cum initio, Tar-
quinijs adhuc agenti, Lucumoni nomen fuiſſet, poſtea
Romam cum vxore aduectus, L. Tarquinij Priſci nomen
ſumpſit. Reliqua lege apud Liuium libro primo ab vrbe
5 cõdita. ¶ †Cum de inuenienda quæſtione loqueremur.]
Huius libri capite decimo. ¶ †Quid dicis? Tu ſi tribu-
6 nus eſſes.] Verba patroni ſunt in ea declamatione,
7 appellantis accuſatorem. ¶ † Apud Senecam.]
In Tragœdia cui nomen eſt Hercules furens.
8 ¶ † Cum dixiſſet Megara.] Apud Senecam non Me-
gara, ſed Amphitryo hæc cum Lyco diſputat. Cuius
9 rei ſuperiore etiam libro mentionem feci. ¶ † Simile
eſt quod ſubijcit in proximo Megara.] Imò non Me-
10 gara, ſed Amphitryo. ¶ † Orbis Hiberi Horror &
arctoi.] Verba ſunt Cæſaris ad milites, quinto Phar-
11 ſaliæ libro. ¶ † Par labor, atque metus precio maiore
petuntur.] Curionis verba ſunt, hortantis Cæſarem

ad ſuſcipiendum bellum ciuile, apud Lucanum, libro pri-
mo. ¶ †Socerum depellere regno Decretum eſt genero.] 12
Eiuſdem Curionis & quidem eodē loco ſunt verba. Pom
peius (inquit) gener tuus decreuit te ſocerum ſuum re-
gno depellere, quò ſolus ipſe regnet. Quod autē Rodol-
phus ex iis quæ ſequuntur duas facit argumentationes,
id mihi parum conſiderate factū videtur. Quis enim non
videat, longe efficacius fore ad perſuadendū, ſi dicas hoc
pacto: Cuicunq; regnandi cupido negatum eſt regnum
partiri, & tamen ſolus habere id poteſt, ei ſuſcipiendum
eſt bellum illud, quò ſolus imperium conſequatur: tibi ô
C. Cæſar partiri regnum per Pompeium non licet, & ta-
men victo illo ſolus regnare potes: eſt ergo tibi hoc bellū
ſuſcipiendum. ¶ †Quintilianus in apibus pauperis.] 13
Satis cōſtat ex ſuperioribus, titulum eſſe declamationis,
quæ apes pauperis inſcribitur. ¶ †Ante aciem Æmathiā 14
nullis acceſsimus armis.] Verba ſunt Photini, ſuadentis
Ptolemæo regi Ægyptiorum, ne Pompeium à Cæſare vi-
ctum in regnum ſuum recipiat: ſed in gratiam Cæſaris
illum occidat.

¶ Locis cognitis, proxime neceſſariam eſſe plurium rerum deſcriptionem, hoc eſt, vt res de quibus forte aliquando dicturi ſumus, per ſuos deducamus locos, & quid ex ſingulis locis de eis dici poſsit diſpiciamus.

## CAPVT. XX.

*Secundū de locorū vſu præceptum.*

PRoximum eſt ei, qui diligenter cognitos habet locos, voletq; ex eis inuenire, parare facultatē ſibi cuiuſlibet rei per locos deducendæ, quod vel idē eſt, vel ſimile illi, quod ſolebant

qui

qui docebant rhetoricen, inter irritamenta po-
nere puerorum: quod Græce ἔκφρασις, Latine à
1 pleriſq; deſcriptio vocatur.† Sed rhetores an-
guſtius pleraq; quam pro omnium locorū la-
titudine deſcribebant: eloquendi verò rationē
( quam præcipue ſpectabant illi ) latius, quàm
nobis ſit opus. Satis enim nobis erit, res ſingu-
lorum locorum, ſingulis verbis, velut capiti-
bus quibuſdā annotaſſe. Si quis tamen ea vo-
let oratione latius fundere: & vel nudam hanc
deſcribendi ſequi expoſitionem, vel conuerſa
in laudem, aut vituperationem dictione, argu
mētatione tractare deſcriptionē, poterit obiter
& pulcherrime artium omnium elocutioni cō
ſulere, dum parat inuentionem. ¶ Neceſſe eſt
autem quiſquis volet rem aliquam deſcribe-
re, vt omnem eius naturam, proprietatēq; ex-
acte perſpectam habeat. Quantumq; diſtabit
à notitia rei, tantum à facultate aberit eius de-
ſcribēdæ, & proinde, apte cōmodeq; de ea diſ-
2 ſerendi. † Quemadmodū enim ſæpe iam dixi-
mus, dialectice ſolam inueniendi docet ratio-
nem, res ex penitioribus artium petendæ ſunt
penetralibus. Atq; ex eis inueniantur oportet,
quæcūq; inueniuntur. Illæ materiā præbent in-
uentioni, dialectice viā docet: niſi illis in rebꝰ,
quæ in vulgari opinione notitiaq; omniū poſi-
tæ, notiores ſunt, quàm vt ſint diſcēdæ præce-
ptione, & quæ vſu quotidie teruntur in mani-

bus. Quoniã apertæ ſunt enim, ſola propè ad differendum de eis ſuffecerit dialectice: materiam nobis † is quem cõmunem vocamus ſenſum rerum humanarum, ſuppeditabit. Qui nouerit autẽ rem, quam deſcripturus eſt, omnẽq́; eius vim naturæ peruiderit, illi promptum eſt expeditumq́; reperire omnes in ea locos, & videre etiam: qui loci quibus rebus conueniant, aut non conueniant. Nec enim omnes eſt in omni re inuenire. Et quidam rebus per ſe conueniunt: alii conueniunt quidem rebus, ſed non in pronũciato diſpoſitis. Quæ cuiuſmodi ſint, ſubdito exemplo deſcriptionis, facile videbitur. Fiet deſcriptio commodiſſime, ſi ſic inſtituatur, ex eis quæ ſingulis è locis ducimus; & re deſcribenda, pronunciata fiant: ſic, vt ſubiectum res ſit quæ deſcribitur: id quod ex loco ducitur prædicatum. Niſi tamen ei loci erunt, in quibus cõmodius ſecus fiat, vt cum ſpecies rei ſumimus. Ibi enim aptius res fiet prædicatum. Genus enim natura de ſpecie, nõ ſpecies de genere prædicatur. Et ſi qua alia erunt eius conditionis, quæ nõ erit difficile videre. Quãquã in reliquis propemodum nihil eſt quod impediat, quo minus omnia quæ ducuntur ex locis, poſſint prædicari de eo, à quo ducuntur. Nam & definitum de definitione prædicatur, vt animal rationale eſt homo. Contrà, aptius fieri non abnuerim: verum hoc tamen nõ fiet

*Cõmodiſſima deſcribendi ratio.*

inepte. Quare in his, quãquã liberum ſit hoc, vel illo pacto facere, malim tamen, quò minor ſit errori locus, præſcriptũ prioris legis ſeruari: vt res de qua quæritur ſubiectum ſit, quod ex loco inuentum fuerit, ſit prædicatum. Vt ſi ſumamus exempli gratia deſcribẽdum hominem. Primũ dicimus ex definitiõis loco, homo eſt animal rationale: deinde, quia hominis genus eſt animal, dicimus homo eſt animal. Pro ſpeciebus hominis accipimus omnia, in quæ *Hominis definitio.* *Genus* *Species.*
4 diuiſiõis lege ea † quam priore libro diximus,
5 homo poteſt diduci. † Non quòd poſſit homo quidẽ diuidi in veras ſpecies: ſed quia ad inueniendi viam, præſtant idem illa in quæ homo diuiditur illo pacto, quod præſtant veræ ſpecies, in quas diuiditur genus. In quibus cum habeat homo generis vicẽ, vt modo diximus, prædicetur de eis oportet. Dicimusq; homo doctus eſt homo, & homo indoctus eſt homo. Poſſumusq; hoc eodẽ modo per oẽs diuiſionis ire differentias, ducta (quẽadmodũ prædiximus) propemodũ ex omnib⁹ locis diuiſiõe. Poſt hæc, ꝓpria hominis ſunt, homo capax eſt doctrinæ, homo eſt rationalis, homo eſt natus ridere. Ex totius loco nihil erit fortaſſe, quod de homine dicatur: ipſe nanq; per ſe homo totum eſt. Niſi vellemus forte dicere, homo totius mundi pars eſt. Partes autem hominis eo pacto quo partium diuerſitatem priore libro *Propriũ* *Totum.* *Partes.*

Cõiuga- fecimus,haud difficile erit inuenire. Coniuga-
ta. ta erunt,humanus,humanitas,humane, vt di-
camus,homo eſt humanꝰ,homo præcipue de-
bet expetere humanitatē, homo debet omnia
facere humane. Nemo autem credat hic erra-
tum eſſe,ſi verbis per ſe repugnantibus,vt fiat
ex eis pronunciatum cū re de qua quærimus,
alia addantur verba,quò poſſint commodius
in pronunciati formam cum re concludi.Cum
enim per ſe dicatur inepte, homo eſt humani-
tas:additis aliquibus verbis,vt ſit, homo præ-
cipue debet expetere humanitatem, cõmode
dicetur.Simili ratione deſcriptio per reliquos
ducetur locos.Nihil enim attinet omnium po
nere exempla,quãdo longū id eſſet, & facilius
Adiacen- ſit quàm vt indicandū ſit.Adiacentia & actus
tia. maximam & immenſam propemodum copiā
Actus. præbebunt inuentioni. Ex ſubiecti loco, nihil
Subiectū. eſt quod de homine dicatur. † Cū ſit enim ho- 6
mo generis earum rerum,quę per ſe ſubſiſtūt,
Cauſæ. in ſubiecto nequit eſſe.Sic & cauſæ, & euenta,
Euenta. & connexa,in his præcipue rebus quæ agendi
Cõnexa. patiendi've generis ſunt,primas perſæpe ſibi
Locus. vendicant partes.Locus & tempus, deſcribē-
Tempus. dis ſingularibus rebus, vt Ciceroni, vt Cato-
ni,vt Romæ,vt Athenis,†bello Punico, †cla 7
di Cannanſi, multā ſuppeditant plerunq; ma 8
teriam.† Generibus rerū, quoniā ea ferè citra 9
intellectum temporis & loci apprehenduntur

ab animis noſtris,& efferuntur, minus idcirco
10 ſunt eis hi loci accommodati.†Quinq; accidē-
tium loci, ſimplici rei deſcribendæ non facile
queunt aptari:ſed rectius pronūciatis eis, quæ
ex priorum locorum deſcriptione ducta ſunt,
adiungentur. Vt ſi dicamus, homo loquitur, Contin-
loqui actus quidā eſt hominis: cui contingens gentia.
eſt,quòd pſitacus effingit vocem humanam.
Pſitacus autem homini cōparatus,non eſt con
11 tingens,† ſed ſpecie diuerſum. Effingere autē
humanam vocē ad loqui genus eſt.Quicquid
enim loquitur, vocem humanam effingit:ſed
non quicquid effingit vocem humanā, loqui-
tur vtiq;:quoniam animalia quæ citra intelle-
ctum id agunt,non loquuntur. Sed hominem
loqui,comparatum ei quod eſt pſitacum effin
gere humanam vocē,cōtingens eſt.Sic etiam,
tuſſire hominem ad id quod eſt,hominem lo-
qui,cōtingens vocamus. Similiter in loco qui Nomen.
nomen vocatur,ſi dicas, homo vocatur,nil vi
deris dicere,quod ad eum locū pertineat, niſi
addas iā ei pronunciatum id, quod dici ſolet,
12 †quoniam factus ſit ex humo:vel ſimile quid-
dam.Ex eo quoq; loco,qui pronunciatorū di- Pronun-
citur,nihil itidē poſſe ſimpliciter dici, hinc pa- ciata.
tet,quòd quiſquis de re pronūciaturus eſt,ne-
ceſſe eſt pronūciato id faciat,quod quia cōſta-
re oportebit ex re,& eo quod de re dicitur,ne-
ceſſario ex aliorum locorum aliquo ducetur.

Compa- Comparationes itidem, & ſimilitudines rerũ, ratæ. non fiunt per ſe rerum ad res, ſed ſemper acci- Similia. pitur aliquid in re, per quod fiat eius ad aliam rem cõparatio. Homo per ſe nulli cõparatur, niſi capiamus in eo vel magnitudinem corporis, vel vires, vel celeritatẽ, vel quæcunq; alia talia capi poſſũt, in quo reliquis vel animalib⁹ Oppoſi- vel hominibus comparetur. Oppoſita & di- ta. uerſa, quia ſolum negatione pronunciãtur, ni- Differen hil eſt quod per ſe deſcribendæ rei conferant, tia. niſi aliis locis adhibeantur, vt vel in comparationes vel ſimilitudines transferantur, vel aliorum locorum vſum. Vt quemadmodum dicimus, homini eſt ſtudium honeſtatis, cura diſcendi: adiacentia ſunt hæc: ſic dicimus etiã à contrariis, homini eſt odium vitiorum, euitatio ignorantiæ. Et ex diuerſis hominis, brutis nullus eſt vitiorum virtutumq; delectus, nullus reſpectus ſcientiæ aut ignorantiæ. ¶ Illud etiam admonuiſſe volumus, vtiliſſime ſingulares res, & vt quæque notiſſima eſt, ab his deſcribi, qui primã huic curæ afferunt manũ. Vberius enim, quia ſingularia ſunt, omnes inter ſe locos continẽt. Et quia nota ſunt, faciliorem præbent inueniendi viam. Quia conſtat hæc facultas vſu præcipue, & crebra experiendi conſuetudine. Alẽdus enim ſpe eſt animus, quiſquis maius aliquid conatur, nec ſumus inter principia maxime operis difficultate deter-

rendi. Nonnunquam enim maiora propemodum viribus noſtris, vel per hoc ſolum præſtamus, quia ſperamus cōmode præſtare nos poſſe.

## SCHOLIA IN CAPVT XX.

1 Q† Vod græce ἔκφρασις.] id eſt pura meráq; narratio ſeu explicatio. Heſychius λόγον ἐναργῆ, id eſt euidentem ſermonem orationem've inter- ἔκφρασις.
2 pretatur. ¶ † Quemadmodū enim ſæpe diximus] Præ-
3 ſertim libri huius capite ſecūdo. ¶ † Is quem communem vocamus ſenſum.] Commune & innatum fermè omnibus de rebus iudicium. Ne quis parum cautus, de eo ſenſu communi exiſtimet loqui Rodolphum, quem phyſici iſti noſtri enumerant inter ſenſus illos, quos vocant inte- Senſus cō munis.
4 riores. ¶ † Quam priore libro diximus.] Libri primi capite ſeptimo. Quæſo autem te lector, ſiccine Rodolphum locuturum fuiſſe credis, ſi hæc ad tertium ſpectarent li-
5 brum? ¶ † Nō quòd homo poſſit diuidi in veras ſpecies.] Non ita, inquit, accipiēda hæc ſunt, quaſi ego exiſtimem hominem in veras ſpecies diuidi poſſe, eſt enim ſpecies infima, quæ alias ſub ſe ſpecies non habet. Sed idcirco ſpecierum memini, quòd ea in quæ homo diuidi poteſt, quod ad inueniendi attinet rationem, nihil à ſpeciebus differunt. Qua de re lege ſuperioris libri caput ſextum.
6 ¶ † Cum ſit enim homo generis earum rerum quæ per ſe ſubſiſtunt.] Hoc eſt, cum ſit homo ſubſtantia, ſeu in
7 genere ſubſtantiarum. ¶ † Bello punico.] Tria bella punica geſſere Romani: quorum primo, victis naualí prælio Carthaginenſibus, finem fecit COS. Luctatius: alteri, Pub. Aphricanus maior, victo Annibale: tertio, Aphricanus minor, Carthagine ipſa euerſa. Bella punica tria.

*Clades Cannanſis.*

*Clades* ¶ †*Cladi Cānenſi.*] *Quam accepere Romani apud Cā-* 8
*nas: vbi ( vt Liuij dicam verbis ) quadraginta millia per-*
*ditum, duo millia ſeptingenti equites, & tanta propè ci-*
*uium ſociorumq́; pars, cæſi dicuntur.* ¶ †*Generibus re-* 9
*rum.*] *Genera vocat, quæcunq; ſingularia ac indiuidua*
*non ſunt.* ¶ †*Quinq; accidentium loci.*] *Hi loci ſunt,* 10
*contigentia, nomen rei, pronunciata, comparatio, ſimili-*
*tudo.* ¶ †*Sed ſpecie diuerſum.*] *Diuerſum nunc dicit,* 11
*quod ſuperiori libro differens.* ¶ †*Quoniam ſit ex hu-* 12
*mo.*] *Ab humo dici hominem, author eſt M. Varro. Sunt*
*qui diuerſum ſentiant, verum nihil ad hunc locum. Illud*
*per ſe quiuis animaduertat, ea quæ hoc capite docet Ro-*
*dolphus, eadem ferè eſſe cum iis, quæ Eraſmus tradit. 2.*
*lib. copiæ de colligendis exemplis: quæq́; ſunt apud Ro-*
*dolphum ipſum in epiſtola quadam de formando ſtudio*
*ad Iacobum Barbirianum.*

¶ *Tertio ad locorum vſum neceſſarium hoc eſſe, vt poſtquam res ſingulas iuxta rationem præcedentem per ſuos locos duxerimus, tum earum rerum, de quibus dicturi ſumus, locos inuicem comparemus, & proinde vt hi aut conſenſerint inter ſe aut diſſenſerint, ita res quoq; aut conuenire aut diſcrepare dicamus.*

## CAPVT. XXI.

*De vſu locorum præceptū tertium.*

Si vero qui parauit hanc deſcribendæ cuiuſq; rei facultatem, hoc eſt, vt poſſit videre, quid de re quaq; ex omnibus locis dici poſſit, vtile erit de propoſitis duabus rebus, quarū altera dicatur de altera, vt cū deſcripſerit vtrāq;, cōferat inter ſe locos vtriuſq; rei, vnūquēq; alterius alteri⁹ oībus: videatq́;, quid conſentaneū

poſſit in eis, & quid diſſentaneum inuenire. Quatenus enim cõſentiũt inter ſe loci, eatenus etiã res altera de altera non negabitur. Quatenus autẽ diſcrepãt loci, non poterũt etiã ne res quidem inter ſe cõuenire. Si quãdo vero ducetur idẽ ex diuerſis vtriuſq; rei locis, quẽadmodũ ſæpe fieri ſupra oſtendimus, ſi modo id quod ductum eſt ẽ locis, certũ habeat cum re vtraq; cõſenſum, certo etiã vinculo res inter ſe cõuenient. Quærenda autẽ erunt per omnes locos iam cõſentanea, poſtea rurſus diſſentanea: tentandumq; hoc pacto, quid in vtranq; partẽ de re propoſita poſſit dici. ¶ Sumamus in exemplũ, philoſopho habẽda eſt vxor. Hic primũ philoſophũ per ſuos explicemus locos, ſimiliter & vxorẽ. Definiã Philoſophũ eſſe hominem diuinarũ humanarumq; rerũ notitiam cum virtute ſectantem. Pro genere erit homo, quanquã exactius intuenti ſubiectum ſit. Species erũt: Stoicus, Peripateticus, Academicus, Epicureus, & quæ reliquæ ſectæ philoſophorũ numerãtur. Propriũ eſt, cura ſcientiæ cũ virtute. Totũ & partes: eadem quæ hominis. Cõiugata: philoſophia, philoſophari. Adiacentia: pallor, macies, horror & aſperitas frontis, ſeueritas vitæ, morũ integritas, amor laborum, rerum humanarũ incuria, contẽptus voluptatũ. Actus: ſtudere, vigilare, laborare: aliquid tale ſemper efficere, quò melior ipſe, meliores alij

*Explicãtur per locos ſuos philoſophus.*

fiant. Cauſa efficiens eſt: philoſophus qui docuit eũ,& cura,& iugis intentio ſtudiorũ,quibus didicit. Finis: bene, trãquilleq́ viuere. Effecta ſunt: mores hominum, vitaq́ rectis inſtitutis emendata,& edita præcepta vitæ, conſcripti libri vſui & memoriæ poſteritatis. Deſtinata ſunt: omnia quæ conſequendæ philoſophiæ cauſa parauit. Connexa ſunt: opes eius qualeſcunq́, diſcipuli, veneratio, fama. Locus: patria in qua natus, locus in quo verſatur, publicus, & aſpectui omnium expoſitus, vt qui omnib⁹ ſit vitæ præbiturus exemplum: item habitatio ſatis certa, cũ debeat vrbiũ populorumq́ corrector & emendator eſſe. Tẽpus, vt ætas eius, iuuenis an ſenex. Accidentiũ loci, vt prædiximus, quia in ſolam & ſimplicem rem non veniunt, melius in toto pronunciato quod ſumptum eſt, perſpicietur. ¶ Hoc pacto, etiam erit explicãda vxor per ſuos locos. Primumq́ definienda, vt ſit vxor mulier in conſortium vitæ liberorum cauſa legitime accepta. Hic pro genere erit mulier. Species erunt, hæc & illa vxor. Proprium, liberos parere. Totũ & partes (vt de philoſopho diximus) nõ aliæ quàm hominis. Coniugata vxorius, vxoriæ. † Adia- [1] centia: affectus matrimonialis, amor vxorius, cura alendæ eius, pudicitia, aut † negligẽtia to- [2] ri. Actus: blãdiri, queri, rixari, ſuſpicari, æmulã metuere, iura genialia reddere, parere, edu-

*Vxor per ſuos explicatur locos.*

care, & communem rem familiarem curare. Subiectum ( quoniam nunc vxorem ſicut & philoſophum tanquam ſubſtantiã accipimus) non habet. Cauſa efficiens eſt: conſenſus cõiunctioq́ matrimonii. Finis eſt: procreatio liberorum conſeruatioq́. Deſtinata ſunt: opes, quib⁹ ali poſſit, reliquarumq́ rerum ad tolerãda matrimonii onera apparatus. Connexa: maritus, opes, dos, nobilitas. Ipſum etiã vxoris nomen ad cõnexa pertinet: & earũ rerum generis eſt, quæ ad aliquid vocantur, vxor em̃ mariti eſt vxor, & maritus vxoris eſt maritus. Nos autẽ in præſentia vxorẽ nõ tanquam pro qualitate vxoria, ſed pro ſubſtãtia quæ ab ea denominatur accipim⁹. Locus & tẽpus in generalib⁹ his
3 quęſtionib⁹, hoc eſt, †quæ ꝓpoſita alio loco diximus vocari, per cõditionẽ inferũtur: vt dicamus, quid ſi peregrina ſit? qd ſi iuuenis? quid ſi ſenex? Per ſe em̃ nihil horũ eſt in vxoris perſona accipere, ſed per cõditionẽ potius adducũtur: ſuntq́ & eorũ quæ ſupra memorauimus & in philoſophi & vxoris perſona pleraq; huius generis. Quia tamẽ crebro inſunt eis, & in alterutrã partẽ ſunt ꝓpenſiora, velut in conditionalib⁹ accipiũtur. Accidẽtiũ loci quę ſequũtur, eadem ratione ſe habẽt in vxoris nomine, quẽadmodũ in philoſophi & hominis habere prædiximus. Verum hi loci, qui ex conditione inferuntur, non incommode ad contingẽtium

referantur naturam. Quanquam enim iuuenẽ eſſe vel ſenem, non ſit contingens vxori, cui ineſt iuuẽta vel ſenectus: huic tamen quod eſt, philoſophum habere vxorem, contingens eſt, iuuenem habere vxorem, vel habere ſenẽ. Sicutq́ iſta in vxore ad philoſophum relata contingentia ſunt: ſic & in philoſopho hæc eadem, relata ad vxorem, ſunt contingentia: in eis autem rebus, in quibus de certo aliquo ſingulariq́ facto diſſeritur, hic locus aptius excutitur: plùsq́ confert, † antecedentibus, adiunctis, cõ 4
ſequentibus inſpectis: quæ omnia priore libro ſunt explicata. Sic iam inſpicimus nomen philoſophi, & nomen vxoris, quid eorũ vis propoſito noſtro afferat. Sic pronũciata de hac re, quid quiſq; magni nominis author hac de re, in hanc vel illam partem dixerit. Sic comparata ſunt ex philoſophi perſona, ecquid imperatori in exercitu agenti, an ſeruo, an rectori ciuitatis, habenda ſit vxor? Ex vxoris perſona, an philoſopho habendus ſit amicus firmior, an ſeruus, an concubina. Similia (vt alio loco diximus) niſi ſimul ex vtriſq; ſubiecto & prædicato ſumi non poſſunt, ergo ea continuo aut affirmatiue aut negatiue pronunciare de propoſito oportebit, vt doceamus ſimilitudine accepta, philoſophum vel habere debere vxorem, vel non habere. Oppoſitorum, & diuerſorum niſi in negatiuis, nullus ferè vſus. ¶ Cum fue-

rint ergo, quæ deſcribenda ſumpſimus, hoc more per locos deducta, tum conferendi ſunt (vt diximus) loci locis: & videndũ, qui quib⁹ conueniant. Ex his enim affirmatiue de propoſito ſtatuemus. Qui diſcrepabunt, hi propoſitum ſubuertent. ¶ Primumq́ per omnes locos conſentanea ſcrutemur, vt ſumpta definitione philoſophi, qui ſcrutatur diuinas & humanas res cũ cura virtutis, cõferamus huic ordine ea, quæ ex nomine vxoris ſunt ducta. Definitio vxoris nõ multũ dabit, niſi ea parte, quæ ponitur in definitione philoſophi, cura virtutis, & in definitione vxoris, cauſa liberorum quærẽdorũ. Quærẽdi em̃ liberi, cũ cura virtutis videntur cõuenire, quoniã officium virtutis videtur, liberos procreare. Deinde genus vxoris, mulier, naturæ ordine iuncta videtur. Species vxoris, ſi ſumamus clari nominis fœminas, quarum pudicitiæ & virtutum inclyta memoria eſt, etiam non diſcrepabunt, digna enim conſuetudo earum talibus viris erit. Poterimus hoc pacto definitionẽ philoſophi, per omnes locos vxoris circunferre, & tentare omnia. Deinde reliquos ex ordine locos, qui in philoſophi nomine ſunt, eadẽ ratione quemadmodum de definitione diximus, cum omnibus locis vxoris coniungere, & experiri, qui conueniant: eos vero qui non conueniunt, intactos relinquere, hi enim cum poſtea diſſen-

tanea eodem ordine quæremus,quo conſenta
nea quæſiuimus, materiam inuentioni noſtræ
dabunt. ¶ Quòd ſi etiam contraria ſint aliqua
inter ſe,quæ ex altera parte ducentur,inuenien
da tamen vtriſque conſentanea erunt.Quem-
admodũ Stoicus & Epicureus repugnãt,†quo 5
niam hic virtutẽ expetit,ille aſpernatur. Ergo
huic,voluptas tori genialis,& blanditiæ,beni-
gnaq; vxoris conſuetudo,& gratia formæ,con
ſentanea erunt.Stoico vero,cura procreando-
rum liberorum,& ſtudium coërcẽde libidinis,
ne alia quàm quæ permiſſum eſt rapiat. Hic
etiam naſcuntur argumentationes illæ,† quæ 6
proprie enthymemata rhetores voluerũt dici:
cum diuiſa vna re per duo oppoſita, vtrunq;
deinde affirmamus vel negamus:quod in enu
meratione ſupra cõprehendimus.†Cicero cõ- 7
plexionem voluit id vocari.† Quale eſt, vxor 8
vel decora eſt vel deformis. Videtur quidem
primo aſpectu,ſi altera ſit ducenda,alterã du-
cendam non eſſe. Qui tamen volet vtriſque
conſentanea quærere,dicet,decoram ducendã
eſſe,in ſpem pulchritudinis liberorum: defor-
mem,vt exerceat continentiam mariti.Sic qui
diſſentanea quæret,dicet,decoram ſuſpectam
eſſe,deformem inuiſam.¶ Nec vero primo ſta
tim conatu deſiſtendũ eſt,ſi conſentanea quæ-
renti, prima duorum locorum collatio parum
reſpondeat.Sed conferendi iterum, adhiben-

diq; ad eos erunt alii loci, quibus conſentanea
eſſe peruincantur. Qualia ſunt Thucydidis
nonnulla, contra communem ſenſum opinio-
nemq; dicta: quæ tamen adhibita probatione,
confirmat. Agitandumq; hac ratione ingeniũ:
nec acquieſcendum ſolum eis, quæ vltro ſe
proferunt: ſed erunt etiam quæ latent eruen-
da. Sic enim paulatim facultas illa parabitur
9 magna ex parte, † quam tribuit orationi Cice-
ro, vt nihil tam improbabile ſit, quod non hac
via probabile videatur. ¶ Vſus autem horum
exercitamentorum hic præcipuus eſt. Deſcri- Deſcri-
ptionis quidem, quòd per eam facilè aſſequi- ptiõis vti
mur omnium locorum in qualibet re velut litas.
vno ſub aſpectu intuitum. Nec enim ſatis eſt,
ſcire locos in omni re inueniri poſſe: ſed opor-
10 tebit promptos eſſe, & † velut nutum no-
ſtrum expectantes. Præterea, qui nequibit
rem propoſitam per locos deſcribere, nihil
eſt quod inuenturum ex locis certa ſe ratio-
ne confidat. Hoc enim primum eſt totius
inuentionis caput: ex quo commode tracta-
to, omnia copioſiſſime proferuntur. ¶ Com- Vtilitas
paratio vero inter ſe duarum rerum deſcri- compara-
ptarum per ſingulos locos, hanc præſtat vti- tionis.
litatem, vt quicquid inuenerimus, facile
aptemus inſtituto noſtro, & in vſum argu-
menti traducamus, & videamus etiam, quod
inuentum noſtrum aptum ſit argumento,

quod ineptum, & quid in hanc illam´ve partē
magis proſit nobis: & ſi quid conatui noſtro
repugnat, vt id ne attingamus quidē. Si dicā
enim, cuicũq; eſt cura virtutis, ducet vxorem,
ergo philoſophus ducet vxorem: ſi neget ad-
uerſarius id, quod propoſitum eſt, hoc eſt, du-
cendam eſſe vxorem cuicũq; ſit cura virtutis,
iam hac inuentione (quæ ex philoſophi nomi-
ne ducta eſt) habere curam virtutis, nihil ege-
rimus: niſi habeamus aliud ex perſona vxoris
inuentum, cui hoc ſit conſentaneum, vt dica-
mus, cuicunq; eſt cura virtutis, procreabit libe
ros: ergo cuicunq; eſt cura virtutis, ducet vxo
rem. Similiter quod in philoſophi deſcriptio-
ne poſitum eſt, contemptorem eſſe eum volu-
ptatum & dolorum, cuicunq; inuentorum ex
vxoris perſona adhibeas, frigidum & ſegne ar
gumentum conficies. Id vero quod ſequitur
in philoſophi deſcriptione, incuria rerum hu-
manarum, diſſentaneũ ferè videtur omnibus
eis quæ ex perſona vxoris ducentur. Ergo in
his danda erit opera, vt ſi non proſint, obſint
quàm minimũ. Vt dicamus, philoſophum nõ
vxoris moleſtia, non orbitate liberorum à con
iugio deterritum iri: quoniam contemptor ſit
voluptatum & dolorum. Sic etiam, eum non
amore filiorum, curaq; parãdæ eis hæreditatis
amplioris, aut vxoris deſiderio in vitia cupi-
ditatis aut auaritiæ prolapſurum: quoniam ſit
ſibi

ſibi incuria rerum humanarum:ſolũ ergo philoſohum innoxie bona matrimonii,malaq́ toleraturum.Sic quæ per ſe quandoq́ obſtare videntur,contra obſtantia alia munimento ſunt. Et quemadmodum reliquis in rebus, ſic hic fit, vt quæ per ſe in malis numerarentur, aliis comparata malis, in remediorum habeantur loco. ¶ Hæc quidem fundamenta ſunt omnis inuentionis:quæ quiſquis recte firmiterq́ iecerit,exiguus in reliquis reſtabit labor, parataq́ eſt his omnis dicendi materia,& quicquid dicturi copiam poteſt inſtruere, hac via colligitur.Sola deinceps opus eſt ratione, quæ præſenti rerum vſui aptet iſta,& ordinet ea diſponatq́,& velut in aciem producat.

## SCHOLIA IN CAPVT XXI.

1 *†Diacentia, affectus matrimonialis, amor vxo-
rius,cura alendæ eius.*] *Amorem vxorium hic
dixit amorem vxoris erga maritum. Curam au-
tem vxoris alendæ,ego putem mariti potius,quàm vxo-*
2 *ris adiacens eſſe.* ¶ *†Negligentia tori.*] *Animus ad al-*
3 *terius quàm mariti torum propenſior.* ¶ *†Quæ propoſi-*
4 *ta alio loco diximus.*] *Huius libri capite octauo.* ¶ *†An-
tecedentibus,adiunctis, conſequentibus inſpectis.*] *De*
5 *his libro primo,capite vndecimo.* ¶ *†Quoniam hic vir-
tutem expetit,ille aſpernatur.*] *Hic,Stoicus:ille, Epicu-
reus.Ne cui imponat religio illorum, qui putant prono-
men hic,ſemper ad propinquius antecedēs referri oporte-*
6 *re.* ¶ *†Quæ proprie enthymemata rhetores voluerunt
dici.*] *Enthymema quid ſit,explicatum eſt ſupra, libri*

huius capite decimoquarto. Quanquam hoc argumentan-
di genus, de quo hic loquitur Rodolphus, ipſi enumera-
tio ſiue inductio potius quàm enthymema eſt, id quod nec
ipſe hoc loco diſſimulat. ¶ † Cicero complexionem voluit 7
*Comple-xio.* id vocari. ] Complexio, inquit Cicero primo rhetorico-
rum, eſt, in qua vtrum vtrũ conceſſeris, reprehenditur, ad
hunc modum: Si improbus eſt, cur vteris? ſi probus, cur
*Dilẽma.* accuſas? Alij id argumentandi genus dilemma vocant,
*Cornutus ſyllogiſmus.* diuus Hieronymus ſyllogiſmum cornutũ. ¶ † Quale eſt: 8
Vxor, vel decora eſt, vel deformis. ] Reſponſum hoc eſt
Biantis, qui interrogatus à quodam, ecquid ſibi ducenda
*Biãtis reſponſio.* re eſſet vxor? Aut formoſam, inquit, habebis, aut deformẽ,
ſi formoſam, ea cum pluribus tibi erit communis: ſin de-
formem, ea crux tibi erit, & dolor. Horum vtrunq; ma-
lum, non eſt ergo ducenda vxor. Lege Gellij libri quinti
caput vndecimum. ¶ † Quam Cicero tribuit orationi. ] 9
In paradoxis Cicero: Sed nihil, inquit, eſt tam incredibi-
le, quod non dicendo fiat probabile: nihil eſt tam horridũ,
tam incultum, quod non ſplẽdeſcat oratione, & tanquam
excolatur. ¶ † Velut nutum noſtrum expectantes. ] Di- 10
ctum à miniſtris, ac famulis diligentioribus, qui eorum,
quibus famulantur, etiam nutus ſpectare ſolent, nedum
auſcultare verbis.

## ¶ Quæ ſit ſumma eorum, quæ dicta ſunt hactenus de locorum vſu. CRP. XXII.

*Summa eorũ quæ dicta ſũt de locorũ vſu.*

VT ergo demus oĩa tanquam ſub vnũ conſpectũ, totamq́; præceptionis huius amplitudinẽ in vnã ſummam colligamus, vbi materia diſſerendi fuerit oblata, ſiquidẽ ſit formata quæſtio, nihil eſt quod in hac parte laboremus.

Sin rudis (vt ita dicã) materia dictionis pro-
1 ponatur, † qua ratione ſit in quæſtionis conii- *Supra*
cienda formam, docuimus, quantum tamen *ca.10.*
id præceptione potuimus aſſequ. Cum habue-
rimus autem formatam quæſtionem, tum di-
ligenter eſt etiam atque etiam expẽdenda, cu-
2 ius generis quæſtionum ſit, † ex omni illa (quã *Ca. 7. 8.*
ſupra explicuimus) quæſtionum varietate. *& 9.*
Nec enim facile quis inueniet, quò ſint proba-
tiones omnes referendæ, niſi recte naturam
quæſtionis cognitam habuerit, Deinde tum
videre eſt, quo pacto hæc quæſtio, quæ totius
diſputationis eſt caput, in plures diducatur
3 quæſtiones, † quod cum hic locus à nobis tra- *Cap. 11.*
ctaretur, pro viribus eſt explicatum. Iam iudi-
cii noſtri erit, quas quæſtiones inter primam
quæſtionem comprehenſas tractandas pute-
mus: quod tamen ex conditione rerum & vti-
litate naſcatur oportet: cumq́ ea deliberãdum
eſt ante omnia, quas quæſtiones credamus
tractandas, quas remittendas: & an ſolam
eam, quæ prima eſt ſufficere arbitremur.
Vt in quæſtione quam modo pro exemplo
poſuimus, an philoſopho ducenda ſit vxor:
vtrum in hac quæſtione ſolum de philoſo-
phi perſona, de qua quæritur, diſſerere ve-
limus, an prius generalem in hac inclu-
ſam quæſtione explicare, an cuiquam du-
cenda ſit vxor. Sic etiam, an optandi phi-

loſopho liberi, quod ex hac etiam pendet quæſtione, vtrum id latius velimus fundere, & propria quæſtione ſua tractare, an ſolū ſimplicis argumētationis formam breuitēr colligere. Sic an expetendæ philoſopho diuitiæ, an philoſopho cura rei familiaris obeunda, & reliqua omnia argumenta ex locis ducta, quę latius arctius've tractari pro dicentis arbitrio poſſunt, & ſuas quæſtiones accipere. Cum fuerit autem conſtituta nobis quæſtio, ſiue vnā, ſiue plures faciamus: eadem erit omniū, quæ cuiuſque confirmandæ ratio, ea quam proximo loco diximus, vt acceptis in quęſtionibus, ex quibus argumenti aliquid duci poterit (poterit autem ferè ex omnibus quæ ponentur in quæſtione) deſcribamus ea, perq; locos omnes ducamus, & tum ex conſentientium, aut diſcrepantium ratione, prout de quæſtione pronunciamus, in hanc vel illam partem argumenta colligamus. Nam de quæſtione quæ expoſitione explicatur, minus ſuſcipitur negocii, præſertim cū de facto aliquo quæritur, cuius tantum ordo, id eſt, initia, decurſus, exitusq; ſunt recenſendi. In eis verò vbi cauſæ rerum quæruntur, quia poſſunt vnius rei quandoque eſſe multæ cauſæ: aut habitudo qualitas've rei alicuius inueſtigatur, vt qui quęrat, quibus rebus, aut quo genere vitæ Cato tantum virtutis nomen ſit aſſecutus: non oporte-

bit vtique argumentari eum, qui de hac quæ-
ſtione differet: ſed ſolũ integre, ſeuere, iuſte, cõ
ſtanter, prudẽter facta dictaq; Catonis expoſi-
tione colligere. Argumenta tamen & ſemina
oĩa cõfirmandarũ laudum Catonis ponet, ex
quibus ſi quæreretur an fuerit laudandus Ca-
to, idem id colligi poſſet. Sed quia genus hoc
quæſtionis credentes habet auditores, non eñ
quæritur, an fuerit laudãdus Cato, ſed quibus
rebus tantum laudis ſit aſſecutus: idcirco expo
ſitione poterit ea quæſtio abſolui. Quod in om
nibus his ferè rectiſſime fit, in quibus auditor
non certantis, ſed diſcentis ſuſtinet perſonam.
Hæc vbi fecerimus, peruiderimusq; cuncta,
quibus ſit nobis opus ad id quod inſtituimus
docendum, tum facile videbimus, quod ad
formandam orationem pertinet, an res ea ex
qua naſcitur quæſtio, quæ per argumentatio-
nem eſt explicanda, ſimplex ſit, & quæ ſolum
4 propoſita quæſtione poſſit intelligi, † quales
ſunt, quas propoſita diximus vocari, an ſit, & Cap. 8.
multiplex, & ſinuoſa, quæq; ex varia & flexuo-
ſa rerum oriatur ſerie, vt ſunt conditionales
quæſtiones, & ciuiles pleræq;, ad quas recte
percipiendas longior narratio præcedat opor
tet. Deinde cum noſtram auditorumq; perſo-
nas, & rerum de quibus ſimus dicturi confe-
rimus æſtimationem: & cogitamus, quas au-
res nobis auditores, quas eis qui contra nos

dicent, ſi qui dicent contrà, ſint adhibituri: quasq́; prius adhibuerint, ſi qui prius quàm nos dixerint, tum non erit difficile iudiciũ nobis, an ſit exordio parãdus aditus ad animos eorum, & cui vel occurrendum incommodo, vel ſpei incumbendum: cum viderimus quid ſit noſtrarum partiũ, quo vel premamur maxime, vel cui faueatur. Sic & peroratione, an tam multiplex res tantaq́; fuerit argumentationum copia, vt ſit auditoris memoria enumeratione reficienda: an ea ſit natura rerum, vt queri de noſtra conditione, mouere lachrymas: ira, odio, indignatione miſcere auditorũ animos debeamus. Omnium nos rerum perſonarumq́; conditio rectiſſime admonebit, ſi cuncta conſideremus, quemadmodum diximus,
Cap. 17. † cum loqueremur de his partibus ora- 5
tionis. Omnia ex eiſdem ducenda locis erunt,
† ex quibus argumentationes oſtendimus du- 6
ci: ſiue doceamus, ſiue beneuolentiam, iram, odium, miſericordiam, alios've moueamus affectus; ſolisq́; cuncta hæc quæſtionum capitibus, quod inuentionis eſt, diſtant. Validiſſimi autem affectus perſæpe oratione, quæ expoſitioni quàm argumentationi ſimilior eſt, mo-
li. huius uentur: † ſæpe tamen & argumẽtatione, vt alio 7
cap. 4. docuimus loco. Colligendi tamẽ acumen, omnisq́; tenuior illa argumentandi ſubtilitas vitanda eſt, Vtq́; ſemel dicam, puritas illa docẽ-

tis oratoris,& impetus affectibus turbantis, ſicut inuentione nihil diſtant, ita eloquēdi prope extremis ſunt finibus diſcreta.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

1 Q †Vã ſit ratione in quæſtionis formam cõijcienda, docuimus. ] Libri huius capite decimo.
2 ¶ † Ex omni illa quam ſupra explicauimus quæſtionum varietate. ] Capite ſeptimo, octauo, & nono.
3 ¶ † Quod cum hic locus à nobis tractaretur. ] Capite libri huius vndecimo.
4 ¶ † Quales ſunt, quas propoſita vocari diximus. ] De propoſitis, & cauſis: item, de quæſtionibus prædicatiuis, & conditionalibus, lege caput huius libri octauum.
5 ¶ † Cum loqueremur de partibus orationis. ] Capite decimoſeptimo.
6 ¶ † Ex quibus argumentationes oſtēdimus duci. ] Toto libro primo.
7 ¶ † Sæpe tamen & argumentatione, vt alio docuimus loco. ] Libri huius capite quarto. Hactenus in librum ſecūdum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

# RODOLPHI AGRICOLÆ PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA LIB. III.

## ARGVMENTVM LIBRI HVIVS.

TRIA ſunt quæ explicantur hoc libro, qua ratione mouendi affectus, quomodo oblectandus oratione auditor, quo in re quauis ordine, quáve diſpoſitione vtendū. Porrò quāobrem contra eam librorum diſtinctionem, quæ in ſcripto etiam illo exemplari erat, hoc placuerit initium libri tertij, hæc res mihi in cauſa fuit. Videbam ex ijs quæ hoc ipſo libro dicit Rodolphus, treis ab ipſo libros de inuentione dialectica ſcriptos fuiſſe: cum dicat capite decimoquarto, itemq; decimoquinto, ſe proximo, ac priore libro, tradidiſſe ea, quæ ſecundo ab ipſo libro explicata eſſe, ſuis indicabimus locis. Et rurſus capite duodecimo: Quemadmodum ſecūdo, inquit, libro demonſtrauimus. Ergo & nobis hic retinendus erat librorum numerus. Verum non poſſe id fieri ea ratione qua alij fecerant, ſuperioris libri capite decimooctauo, à nobis oſtenſum eſt. Quocirca mihi vtiq; cōmodiſſima ſecernēdi

*ratio videbatur, ſi ab hoc loco tertij libri initiū feciſſem, præſertim, cum nihil vſquam occurreret, quod huic diſtinctioni magnopere repugnaret: eſſentq́; his planè conſentanea ea, quæ ſecūdo capite libri ſuperioris ab Rodolpho dicuntur. Nam cum illic quatuor ſibi eo libro explicanda proponat, quid dialecticé & qui eius ſit finis, quæ materia, quod inſtrumentum, quomodo ex locis paranda diſſerendi facultas: quæ potuit congruentior horum librorū eſſe diſcretio, quàm vt quæ illic explicanda proponuntur, ea relinqueremus libro ſecundo: reliqua in tertium hunc conijceremus? Quæ mihi vel idcirco admonēda hic erant, ne quis protinus nouitate diſtinctionis offenſus, temere, ac ſine cauſa, omnia, non tam mutata, quàm deprauata contaminatáq́; eſſe vociferaretur.*

*¶ Affectus quid ſit, vnde oriatur, & quibus potiſſimum rebus nos moueat. Tum quomodo diuidantur affectus, & è quibus oratores maximam ſibi laudem meruerint.*

## CAPVT I.

QVONIAM autem
de affectibus dicere lo
I cus admonuit, † & di-
cturū me de his priore
rerū tractatu pollicit⁹
ſum: paucis, quæ natu-
ra eorū, quæ vis ſit di-
cam, vt cum cognitos
eos teneat, qui inuenire cupit, paratum habeat
tanquā ſcopulū vniuſcuiuſq; naturā, ad quem
ſint oīa argumenta velut tela dirigēda. ¶ Affe- *Affectus*
ctus autem mihi nō aliud videtur eſſe, quàm *quid.*

impetus quidam animi, quo ad appetendum auerſandum´ve aliquid vehementius quàm pro quieto ſtatu mẽtis impellimur. Oĩs itaque affectus, vel ex appetendarũ rerũ, vel auerſandarum ſtudio naſcitur. Appetimusq́, quæcunq; vel reuera vel in ſpeciẽ bona ſunt: cõtrà auerſamur, quæ noxia ſunt, vel nocitura creduntur. Nec ſolũ afficimur eis, quæ nobis bona putamus, aut mala, ſed alienã quoq; vicem dolemus, gaudemus, iraſcimur, miſeremur.

*Affectuũ ortus.*

¶ In omni autẽ affectu duo ſunt præcipue, quibus mouemur: res quæ accidit, aut expectatur, & perſona ad quam res ea redit. Quæcunq; ergo res digno cõtigerit, ſiue bona ea ſit, ſiue mala, gaudem⁹. Cõtrà, ſi qua indigno: ferim⁹ moleſte. Et ſi quidẽ bona ſit, inuidem⁹, iraſcimur: ſin mala, miſeremur, & in doloris venimus ſocietatẽ. At in his affectib⁹, quibus, qui in ſuã cuiuſq; veniũt perſonã, res ſola plerũq; ſufficit affectui, & per quã breuis eſt de perſona cũctatio. Nemo em̃ ferè non ſibi fauet. Quicquid bene ceſſerit, id digno ſibi: quicquid ſecus, indigno id eueniſſe perſuadet. Venit & quandoq; in partẽ rei, perſona, non quidẽ cui cõtigit, ſed à qua ꝑfecta res eſt. Vnde perſæpe, nõ tã bene, aut ſecus de re quæ facta eſt exiſtimamus ex re ipſa, quàm ex animo, aut opinione eius qui fecit. Vnde ſcitè apud Comicũ dictũ eſt. †Vnũ hoc ſcito, contumeliæ non me feciſſe cauſa, ſed

*Duo in omni eſſe affectu quæ præcipue nos moueãt.*

2

ȝ amoris.† Et item alio loco. Abs quiuis homi‑
ne cũ opus eſt, beneficiũ accipere gaudeas: ve‑
rum enim uero id demũ iuuat, ſi quem æquum
eſt benefacere, bñfacit. Sed in tractatu rei, per‑
ſona hæc ad efficientiũ locũ redigetur. Quan‑
doq; perſona etiã ad ſubiecti locũ pertinet, vt
ſi quis propter virtutes amet quẽpiã, vel pro‑
pter decorẽ: ſimiliterq; oderit in eo vitia, vel
deformitatẽ: res quidẽ ſunt virtus, vel vitium
reliqua've, quibus ſpectatis, animus præcipue
mouetur: perſona vero velut rerũ quædã fit
acceſſio: quoniã rebus etiã ſine perſona moue‑
remur, perſonã ſine rebus nihil ad nos putare‑
mus pertinere. Et quoniã rerũ ſubiectũ eſt per‑
ſona, cũ tractabuntur res, in eũ locũ ponenda
erit. Quia tamẽ affectus cõplecti præcipue per‑
ſonam videtur, & nomẽ affectus illi tribuitur:
tametſi prior ſit nobis virtutis, vel decoris cu‑
ra, ſine quibus perſonam negligeremus, ipſa
tamen perſona eſt quæ amari dicitur, quàm
odimus, cui inuidemus, idcirco in his pro re
ſæpe accipimus perſonam, & rem inter locos
perſonæ collocamus. ¶ Nihil autem refert in *Notiun‑*
affectibus, aut ſic eſſe rem, aut videri. Temera *cula.*
rius eſt enim affectus omnis & præceps, rapit
mentem, & plerunq; alius ex alio naſcitur. Vn
de fit, vt de rebus omnibus, non ex vero ſta‑
tuat, ſed bonas eas maláſque putet ex opinio‑
ne, quam indidit alterius affectus error: vel

quam leuiore quacunque & inani perſuaſione ſecutus eſt. ¶ Sunt & affectuum diuturniores alii, qui longo ſunt vſu firmati: vt amor, odiũ, inuidia, luctus, met⁹: & in ſumma, omnis quicunq; maioris alicuius cauſæ perſuaſione animos obſedit. Alii breuiores, & ſubiti magis: vt qui cum aliis ex cauſis, tum orationis vento, tanquã in ſtipula ignis cõcitãtur. Hi quoq; ſicut de improuiſo propemodũ prorumpunt, ſic celeriter quoq; perſæpe, & quãuis leui cauſa reſidunt. ¶ Quanquam ſit autem capax omnium affectuum oratio, & nullus non locum aliquando ſibi vendicet in dicendo, duo tamẽ vel maxime oratoribus laudem tulerunt, odiũ & miſericordia. Sanè Ariſtoteles in eis libris quos de rhetorice ſcripſit, multos enumerat, & quid ſit quiſq;, quibusq́; rebus oriatur, extinguaturq́; rurſus, copioſiſſime proſequitur: vt fuit vir ille ingenioſiſſimus, omniq́; rerum copia inſtructiſſimus. Quæ quiſquis ſcire volet, ex illo paratũ erit inquirere. Mihi videtur, quiſquis cõmunis ſenſus planè nõ erit expers, cum rem de qua dicturus ſit cum auditoris cõtulerit animo, cumq́; perſpiciat quid dicendo velit efficere, non latiturũ eum in quod affectus genus ſit rapiẽdus auditor. Deinde quoque, cum res perſonis (quemadmodum modo prædiximus) cõiunxerit, facile ex re, quòd bona ea malá've ſit: facile ex perſona, quòd ea

*Affectus duplices.*

*Qui affectus laudẽ maximã attulerunt oratoribus.*

re illa digna ſit, aut indigna, deducet.

## SCHOLIA IN CAP. I.

1 *ET dicturum me de eis priore rerum tractatu pollicitus ſum.*] *Libri ſecundi capite decimoſeptimo. Et rurſus libri primi capite primo. Porrò, de affe-*
2 *ctibus multa ſexto Inſtitutionum libro Fabius.* ¶ † *Vnũ hoc ſcito, contumeliæ me non feciſſe cauſa.*] *Chærea in Eunucho excuſaturus ſe Thaidi, quòd virginem vitiaſſet, inter alia multa dicit & hæc:*

*Imò, ita quæſo, vnum hoc ſcito, contumeliæ*
*Me non feciſſe cauſa, ſed amoris &c.*

3 ¶ † *Et item alio loco: Abs quiuis homine.*] *In Adelphis apud Terentium ſic legis:*

*Abs quiuis homine, cũ eſt opus, bñficiũ accipere gaudeas.*
*Verumenimuero id demum iuuat, ſi quem æquom' ſt benefacere, is facit.*
*O frater frater, quid ego nunc te laudem? ſatis certe ſcio,*
*Nũquã ita magnifice quicquã dicã, id virtus quĩ ſuꝑet tua.*

¶ *Triplici ratione affectus poſſe tractari, & ſolam tertiã rationem eſſe loci huius.*

## CAPVT II.

TRACTANTVR autem affectus triplici ratione. Aut enim exprimimus oratione affectum, hoc eſt, irati, metuentis, amantis, cupiẽtis, imitamur verba, qualis ferè eſt oĩs in co- *Prima ratio tractandorũ affectuũ.*
1 mœdia, tragœdiaq́ oratio. † Sed hæc ardẽtiores habet motus, quoniam perſonas habet magis inſignes & res grandiores. Illa quietos ma-
2 gis & propius à tranquillitate diſtantes, † quia res perſonasq́ de medio ſumit. Qua in parte,

neceſſe eſt cogitationes,vota,querelas, deſide
ria,preces,contentiones omnes,pro natura cu
iuſq; affectus, exprimat oratio. Ante omnia
vero elocutionis genere iſtud conficitur,† vt 3
ipſa dictio,tumultum perturbationemq; con-
citatæ mentis imitetur. Et eſt quidem in hac
affectuum imitatione præcipue poſita ea vis,
quam nonnunquam† colorem vocamus di- 4
ctionis. Vt cum eandem rem multi dicant, ſi-
ue exponant quidē ſiue argumententur, alius
tamen monentis ſolum,alius irati, alius ruerē-
tis,alius miſerantis tueatur colorem. In ſatyra
videmus idē tribus illis qui adhuc extant, Ho
ratio,Perſio,& Iuuenali, inſtitutum eſſe, ean-
demq; rem tractari. Ea eſt, vt mores vitamq;
emendent,& reprehendant vitia. Suum tamē
quiſq; ſecutus eſt colorem.† Horatius ridētis 5
ſpeciem,† & ingenuo (vt ipſe ait) culpam de- 6
figere ludo affectauit. Perſius ſeueriorē & pro-
pe philoſophi perſonā accepit. Docendo itaq;
reprehendit,& reprehendendo docet. Iuuena-
lis indignantis & irati plerunq; præfert ſpeciē.
Quare erectior paulo & profluentior carmi-
nis compoſitio, magis decuerit eum, ſicut &
† ſal amarior plerunque & † ſolutior orationis 7
libertas. Nec vlla alia in re magis poſitum eſſe 8
† decorum orationis illud crediderim, ( quod 9
tantopere in oratore ſuo laudauit Cicero, tan-
taq; vbique ſecutus eſt obſeruatione) quàm

ſi ex hac imitatione deſumptus ſit color, isq́ di
centis perſonæ, ex ſua, auditoris, rerumq́ col-
lata exiſtimatione, apte & diligenter accom-
modatus. Sed plura de his dicere, ad eloquen
di magis quàm inueniendi pertinet rationem.
¶ Secunda tractandorum affectuum ratio eſt, *Secunda*
cum aliquem affectu aliquo concitum deſcri- *tractādo-*
bimus, & quæ fecerit, quæ dixerit, ſic explica- *rum affe-*
mus, vt ex omnibus affectus poſſit deprehen- *ctuum ra*
di. Cuius rei cum multis in locis multa ſunt *tio.*
10 apud authores exempla, tum egregiũ † apud
tragicum noſtrum in Oedipode: Prædicta
poſtquam fata & infandum genus Deprehen
dit. quæq́ ſequũtur: notus enim eſt locus. Hu-
ius etiam generis eſt, cum vel nos vel alium
quempiã eſſe aut fuiſſe aliqua affectione per-
motos docemus, quæ vtrolibet modo, & ar-
gumentatione & expoſitione poſſunt explica-
ri. Multum autem intereſt inter hanc ratio-
nem & priorem illam. Quoniam ex priore ſo-
lum color aſſumitur, quem poſſumus etiam
aliud agentes præferre. Sicut enim qui obiur-
gat, plerunq́ irati ſpeciem habet, ita poſſumus
& amantis perſonam gerentes obiurgare, &
indignari, & queri, & reprehendere, quemad
11 modum † apud Vergilium Dido queritur
primum: Diſſimulare etiam ſperaſti perfide
tantum Poſſe nefas? Deinde iam flagrat
ira: Nec tibi diua parens, generis nec Dar-

danus author. Omnia tamen fœmine furentis colorem habent. In hac autem parte, non color oratiōis, ſed res ipſa quæ agitur, hoc eſt, quam docere conamur, continetur affectu, in hoc enim dictio impenditur, vt hoc aut illo pacto affectum quempiã eſſe doceamus. ¶ Tertia via qua tractantur affectus, eſt, cum auditoris animũ tractare nitimur: cumq́ nõ quærit oratio affectum docere noſtrum, ſed eruere excitareq́ cupit alienum. Hocq́ eſt, quod ſecundo numerant loco, qui tria volũt oratoris eſſe munera, docere, mouere, delectare.

*Tractandorũ affectuum ratio tertia.*

## SCHOLIA IN CAP. II.

*Sed† hæc ardentiores habet motus.*] *In tragœdia,* 1
*inquit, affectus inſunt vehementiores, propterea*
*quòd in ea illuſtriores grauioresq́ perſonæ quàm*
*in comœdia introducuntur &c.* Lege Horatij *libellum de*
*arte poëtica.* ¶ †*Quia res perſonasq́ de medio ſumit.*] 2
*Quia in commune hominum vita verſatur, & res perſo-*
*nasq́ habet plerunq́ humiles ac viles, nõnunquam etiã*
*ſordidas.* ¶ †*Vt ipſa dictio.*] *Ipſe orationis ductus ac ve-* 3
*luti color.* ¶ †Colorem.] *Habitum, ſpeciem.* ¶ † Hora- 4
*tius ridentis ſpeciem.*] De hoc Perſius *Satyra prima:* 5

*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico*
*Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,*
*Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.*

¶ †*Et ingenuo, vt ipſe ait, culpam defigere ludo.*] 6
*Lapſus memoriæ eſt. Neq́ enĩ apud Horatiũ hoc carmen legitur, ſed apud Perſiũ Satyra. 5. Quo in loco Cornutus inter alia multa his etiã verbis admonet ipſũ poëtã Perſ.*

Verba

*Verba togæ ſequeris, iunctura callidus acri,*
*Ore teris modico, pallentes radere mores*
*Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo. &c.*

*Cæterum hanc trium horum Satyricorum diuerſitatē*
*is demum intelliget, qui omnes ſingulorum Satyras euol-*
7 *uerit, & quidem diligentiſſime.* ¶ † *Sal amarior.* ] *Ama-*
8 *rulentior reprehenſio, amarulētiores ioci ac dicta.* ¶ † *So-*
*lutior orationis libertas.* ] *Libertas maior, & quæ minus*
9 *aſtricta obnoxiaq́; vllis ſit legibus.* ¶ † Decorum *oratio-* Decorū.
*nis illud.* ] *Cicero in oratore ad Brutum: Sed eſt eloquē-*
*tiæ, inquit, ſicut reliquarum rerum fundamentum ſapien-*
*tia: Vt enim in vita, ſic in oratione nihil difficilius, quàm*
*quid deceat videre.* πρέπον *appellant hoc Græci, nos di-*
*camus ſanè decorum, de quo præclare multa præcipiūtur,*
*& eſt res cognitione digniſſima. Huius ignoratione nō*
*modo in vita, ſed ſæpiſſime & in poëmatibus & in ora-*
*tione peccatur. Eſt autem, quid deceat, oratori videndum,*
*non in ſententijs ſolum, ſed etiam in verbis. Non enim*
*omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas,*
*non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor*
*omnis, eodem aut verborū genere tractandus eſt, aut ſen-*
*tentiarum. Semperq́; in omni parte orationis, vt vitæ,*
*quid deceat eſt conſiderandū. Quod & in re de qua agi-*
*tur poſitum eſt, & in perſonis, & eorum qui dicunt, &*
*eorum qui audiunt. Itaq; hunc locum longe & late patē-*
*tem philoſophi ſolent in officijs tractare: non cum de re-*
*cto ipſo diſputant. Nam id quidem vnum eſt, grammati-*
*ci in poëtis, eloquentis in omni & genere & parte cauſa-*
*rum. Quàm enim indecorum eſt, de ſtillicidijs, cum apud*
*vnum iudicem dicas, verbis ampliſſimis & locis vti com-*
*munibus: de maieſtate Populi Romani, & ſummiſſe &*
*ſubtiliter? Hic genere toto. At perſona alij peccant, aut*

ſua,aut iudicum,aut etiam aduerſariorum, nec re ſolum,
ſed ſæpe verbo, etſi ſine re nulla vis verbi eſt, tamē ea res
ſæpe aut probatur aut reijcitur,alio atq; alio relata ver-
bo. In omnibusq; rebus vidēdum eſt,quatenus. Etſi enim
ſuus cuiq; modus eſt,tamen magis offendit nimiū quàm
parum. In quo Appelles pictores quoque eos peccare di-
cebat qui non ſentirent quid eſſet ſatis. Magnus eſſet hic
locus Brute, quod te non fugit: & magnum volumen
aliud deſiderat. Sed ad id quod agitur, illud ſatis: cum
hoc decere,quod ſemper vſurpamus in dictis & factis,
minimis & maximis: cum hoc inquam decere dicimus,
illud non decere: & id vſquequaque quantum ſit appa-
reat, in alioq; ponatur,aliudq; totum ſit, vtrum decere
an oportere dicas? Oportere enim perfectionem declarat
officij,quo & ſemper vtendum eſt,& omnibus: decere,
quaſi aptum eſſe, conſentaneumq; & tempori & perſo-
næ. Quod cum in factis ſæpiſſimæ,tum in dictis valet, in
cultu denique,in geſtu & inceſſu. Cōtrà idem dedecere.
Quòd ſi poeta fugit vt maximū vitiū,qui peccat etiā cum
probam orationem affingit improbo,ſtulto've ſapientis:
ſi pictor ille vidit,cum immolanda Iphigenia,triſtis Cal-
chas eſſet,mœſtior Vlyſſes,mœreret Menelaus, obuoluē-
dum caput Agamemnonis eſſe,quoniam ſummum illum
luctum peniculo non poſſet imitari,ſi deniq; hiſtrio quid
deceat quærit,quid faciendū oratori putemus? ¶ †Apud 10
tragicum noſtrum.] Apud Senecam in tragœdia ea, cui
nomen eſt Oedipus. ¶ †Apud Vergiliū Dido.] Quar- 11
to Æneidos.

¶ Affectus,nunc ex ſolis rebus, nunc ex ſolis perſo-
nis, nunc ex vtriſque duci poſſe. Neq; verò frigi-
dos eſſe debere,ſed paulatim augendos. Tum quomo-
do augeri poſſint,& quo rurſum modo imminui.

CAPVT. III.

1 QVIA † naſcitur autẽ omnis affe-
ctus (vt diximus) ſiquidem pro
2 aliena ſuſcipitur perſona, † ex rei
ſpecie, quæ vel euenit, vel expecta
tur, proinde vt ea bona mala've creditur: & existimatione perſonæ, quia vel dignam eam vel indignam eo caſu putamus: tertium perſæpe accedit perſona, quæ rem opera conſilio've explicuit, quibus vero affectib⁹ pro nobis mouemur, ſufficit quidem res, efficientis tamen etiam perſona ſæpe adiungitur, ſæpe etiam & noſtra perſona, quod ad dignitatem indignitatem've pertinet, in his ipſis vtimur affectibus, ſi quid ea alterutram in partem habeat notabile. Ex his ergo, vel omnibus, vel ſingulis argumenta ducentur, pro rerum conditione, & affectus quam conamur excitare natura.
Cicero quidem quandoque ex perſona ſolum
3 ducit, vt † pro Plancio, † pro Sylla. Quãdoq;
4 ex re, † vt in Nauarchorum caſu deplorando,
5 contra Verrem. Quandoque ex vtriſque, vt
6 † pro Quintio. † Pro Milone verò cum perſo-
7 nam Milonis indignam eo caſu docuiſſet,
8 † pro re (vt alio loco pluribus diximus) ſuam
ſubiecit perſonam, & ſuis lachrymis tanquam iuſtis maximeq; fauorabilibus cauſam commendauit. ¶ Non ſunt autem eò ducendæ argumentationes, vt colligere nitamur,

miſerendum,inuidendum,iraſcendum,fauendum eſſe.Satis eſt de re perſonaq; demonſtrare,id quod natura affectus poſtulat,vt res bona vel mala, perſona digna vel indigna ſit. Quod ſi recte & ex ſententia fiat, ſitq; auditoris animus qui oratione poſſit expugnari, ſequetur affectus vltro.Rapidus enim eſt & tantum opus eſt cœpiſſe.In reliqua,cum ſemel impetum collegerit, velut decidẽtes ſummis mõtibus torrentes,præcipiti per decliue curſu deuoluitur.¶Eſt igitur omnis dicẽtis in hoc cõferenda cura,vt affectum, qui dicendo repente non poteſt fieri ſummus, paulatim excitemus oratione:demusq; operã,vt rerũ & perſonarũ æſtimationem,in hanc illam've partem,velut gradibus quibuſdã ab infimo ad ſummũ perducamus.Quod tum amplificationẽ, tum argumentationem rhetores vocant. Sicut enim in rebus, prope laudis eſt expers ea, quæcũq; tantum generis ſui nomen tuetur,†proximũq; 9 eſt à conuicio,dici (quod dici ſolet) eſt quidẽ homo,ſed ſolum homo eſt:eſt doctus,ſed prę terea nihil.Ingentem rem,ſpectandã, admirãdam eſſe oportet,& quæ oculos animosq; ſuſpendat,quæcunq; debet inſigni aliquo loco numerari. Sic etiam, ne affectus quidẽ mereatur nomen,quiſquis eſt à mentis tranquillitate proxim9.Ergo vt moueri,rapi,ardere dicatur auditor,magnitudo rebus eſt addenda, perq;

*Paulatim augẽdos eſſe affectus.*

*Non frigidos ſed vehementes excitãdos eſſe affectus.*

omnia quæcunq; poſſimus res extollẽdæ ſunt incrementa. ¶ Sicut autem quantitate magna quædam per ſe in rerum toto genere credũtur, vt mons omnis, etiã elephas magnus dicitur: alia cõparatione magna dicuntur, vt adamas adamanti minori comparatus, & granum milii minori grano milii, dicitur magnũ. Sic etiã in his quorum æſtimatio initur, & quæ noſtra opinione magni putantur, quædam per ſe videntur talia, quædam comparatione tollũtur. Per ſe magna videntur, vt religio, patria, parentes, coniuges, filii, vita, valetudo, honor. Et hæc quidem omni hominum generi. Alia ſunt magna ſingulorũ opinione, vt quicquid eſt quod vnicuiq; maiorem in modum deſideratur, vt ſitienti potus, eſurienti cibus, ſtudenti eruditio, auaro pecunia. Cum volumus ergo aliquid augere, docebimus pertinere ad hęc tuenda, vel paranda, vel ad ea quæ obſtãt iſtis depellenda. Quanto plura in hoc genere coaceruabimus argumenta, & alia ſuper alia cõgeremus, tanto fiet res maior. Vt cũ docuerimus non poſſe quem ſine eo de quo diſſerimus, incolumitatem tueri. Deinde addamus, ne vitam quidem in tuto ſibi fore. Poſt hæc, idem periculi parentes manere. Iam patriam quoq; & aras focoſq; in diſcrimen adductum iri. Pro cuiuſque rei natura, ingenioq; auditoris hæc erunt adhibenda. Videndumq;, ad

*Affectus qua ratione augeri poßint.*

quam partem rerum earum, quę vel ab omnibus magni putantur, vel priuatim ab his qui audiūt, id quod in orationem venit, poſſit accommodari. Nanq; & hoc inter vtiliſſima fuerit, videre, quid is apud quem dicimus, maxime probet: quem auerſetur, in quem ſit pronior affectū. Alius enim ab ira facilius auferetur, alius eſt aduerſus miſericordiā infirmior, quoſdam inuidia torquet, aliquos promptius metu concuſſeris. Ergo & hæc & quibus rebus facilius in iſta ferantur, diligenter erit explorādum; & qua parte facillime victoriam cedent, ea erunt acerrime oppugnādi. ¶ Comparatione vero res tolluntur, aliâs quidē non expreſſa per orationem comparatione, ſed tacite audientis animo collecta: aliâs aperta, & dicēdo demonſtrata. ¶ Prior iſte comparationis modus fit; vel cum rem de qua diſſerimus in partes ſpargimus, & velut vnam in multas diſtribuimus. Multa nanque, vno, quia plura ſunt, maiora quoque videntur. † Sic qui bel- 10 lum dixit, omnia quæcunq; ſolent in bello fieri comprehendit. At qui metus hoſtiles, prædas, incendiaq; villarum, expugnationes oppidorum, cædem popularium, impenſas militares, vaſtationem agrorum, famē, egeſtatem, omniaq; ferro & flamma diruta, omnia ſanguine conſperſa dicet, quanquam nihil ille plus dixerit, id tamen cōſequetur perſæpe, vt cum

*Dupliciter rē cōparatiōe augeri.*

ſic dixerit,dixiſſe omnia:cum aliter,hoc eſt,ſo-
lo belli nomine, nihil ferè dixiſſe videatur.
Præterea maióra videntur quæ inſtant, quàm
quæ vel præterierũt ex multo, vel futura ſunt.
Quoniam hæc, ſpei metus´ve locum admit-
tunt:illa, ſolatium deſiderium´ve percipiunt,
facto iam tandem fine rerum. Ergo ſi res de
qua diſſeritur præteriit, aut adhuc futura eſt,
colligendum tamen eſt,ea ſecuta eſſe vel præ-
ueniſſe,quæ in præſentia bene aut male nos ha
beant,prout eſt rei natura de qua dicitur. Ad
hæc,præſens rei conſpectus præcipue penetrat
animos,nec eſt res vlla ad mouendos affectus
11 potentior. † Segnius enim (vt inquit Hora-
tius) irritant animos demiſſa per aurẽ,Quàm
12 quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. † Detectæ
itaq; ſunt in aduerſo pectore cicatrices in con-
cione,& vulnera deligata in iudiciis, & paren
tum cognatorumq; lachrymæ,infantiũ puero-
rum ætas,reorũ ſordes prolatæ in conſpectũ,
& præſentibꝰ aptata oratio. Quòd ſi minus res
patitur fieri,oratione tamen conantur, quam-
maxime datur,rem velut in cõſpectũ dare, &
oculis ſubiicere,quod deſcribẽda re, & imagi
13 ne eius verbis exprimẽda, eo († quod ἐνάργειαν
Græci, noſtri euidentiam interpretati ſunt)
maxime conſequuntur. ¶ Aperta vero com- *Alter cõ-*
paratione res creſcunt, quoties aliis qui- *parandi*
bus eas præferimus adhibentur, & earum *modus.*

collatione magnitudo ipſarum colligitur. Si-
cut autē in quantitatibꝰ, quoties duę plures've
conferuntur, maior eſt ea quæ ſola manet, &
quam nō vſquequaq; aliarū magnitudo aſſe-
quitur: ſic in hac cōparandi ratione, quicquid
aliquid habet quod non ſit ſibi cū aliis cōmu-
ne, ea parte reliquis maius videtur, qua ſolū
eminet, reliquaſq; (vt ita dicam) à tergo relin-
quit. † Cicero itaq;, cū pro M. Marcello reſti- 14
tuto, Cæſari gratias agit, præſentē illam clemē-
tiam omnibꝰ bellicis Cæſaris prætulit laudibꝰ.
Quoniā bellicæ rei decus, & milites & tribuni
& auxilia etiā muneri ſibi aſciſcerēt: vellentq;
cuncti venire in eius ſocietatē gloriæ, hæc autē
clementiæ ſolius ſua eſſet. Et bellicas laudes
multa turbulenta, aſpera, horrida, qualia fert
bellorū neceſſitas, habere: clementiæ laudē be-
nignam, plenā modeſtiæ, plenā fauoris eſſe. In
bello quoq; vires humanas humanis vinci vi
ribus: clementiā animos pectoraq; vincentiū,
qui inuicti viribꝰ ſint, placare. Hæc itaq; quia
clemētiæ cōueniunt ſoli, præfertur hac in par-
te bellicæ virtuti. Quod ſi quis ē diuerſo volet
colligere, quibus rebus bellica virtus à clemē-
tia ſuperetur, poterit eā ſimiliter multis præfer
re clemētiæ. Clementiā enim pacatis cōuenire
rebus, & pacis potius ornamentū eſſe, quàm
periculorum præſidiū, bellicam virtutē, rebus
in vltimum diſcrimen adductis ſuccurrere ſo-

lere:& patriam parentesq́ ab his quæ victori
collibuiſſent defendere. Et clementiæ laudem
velut in medio poſitã cuiuis poſſe contingere:
bellorum gloriã non niſi rariſſimũ quenq; con
ſequi. Sic etiam, non hominis modo, ſed om-
nium animalium eſſe clementiam: ignoſcere
enim omnia, & poſt iras iterum pacari, conti-
nere autem res nutu ditioneq́ ſua, omnes qui-
dem ſolius eſſe dei, plurimas autem eius vide-
ri, qui deo proximus ſit, quod bellica laude in
primis paratur. ¶ Poterunt autẽ hæc argumen-
tationis exempla per omnes locos duci. Poſue
runtq́ vel inter vtiliſſimas exercitationes diale
ctici augendi rationem, cùm priores illas, tum
hanc poſtremam ex cõparatione. Quãdo om-
nis hominum deliberatiò, omnia conſilia, ferè
inter magis minusq́ bona iactantur. Neque
quicquam eſt, quod acrius expendere vim re-
rum, intueriq́ doceat, quàm cõparatio. ¶ Lau
dationibus in primis augmentatio conuenit.
Pleraq; enim quę laudis loco ponuntur, per ſe
frigida ſunt, niſi extollantur oratione, & dicen
15 tis ingenio fiant laudanda. † Iſocrates in Hele-
nes laudatione, cum pulchritudinẽ eius in ma-
xima laudum illius poneret parte, & pulcher-
rimam eam fuiſſe, cum aliis rebus, tum Theſei
rapina prudẽtiſſimi totius Græciæ viri, & Pa-
ridis iudicio docuiſſet, exiguam tamen laudẽ
conquiſiſſe videbatur, pulchritudinis quãuis

admirandæ, quamuis incredibilis commemoratione, niſi & ipſam pulchritudinem (quam alii fortaſſis ne laudandam quidem putarent, alii in vltimis laudum ponerent) omnibꝰ aliis quæ laudantur, prætuliſſet. ¶ Diminutionis ex augmentandi præceptis parata eſt ratio. Quibuſcunq; enim additis res creſcit, eorum rurſus oportet detractione decreſcat. Ergo commotos augmentatione affectus, detracta rurſus magnitudine rebus, ad rationem reuocamus, meliusq; & clementius æſtimare res, & iudicare de eis cogimus auditorem. Hæcq; vna eſt ratio ſoluendorum affectuũ, vt pacata rurſus compoſitaq; mens tranquillitati reddatur. Aliter affectus cõtrariis diſcutimus affectibꝰ, & iram paratam nobis regerimus in authorẽ: vel conciliata miſericordia, impetus eius mollimus: & euocato quandoq; vndecunq; nouo affectu, prioris obliuiſci cogimus. Potentiſſimus autẽ ad ſoluendos ſubitos, & recens concitatos affectus eſt riſus.† Vnde in cauſa Mu- 16
rænæ Cicero nihil æque videtur oppoſuiſſe Catonis, & Sulpitii maximorũ virorũ authoritati, quãm lætiſſimam illam ſuam facete dicendi feſtiuitatem, ſicq; omne iudicium ſolutum eſt riſu, vt Cato, quamuis natura & inſtitutione, ipſa quoq; accuſatoris perſona, quam ſuſtinebat, horridior, cum tamẽ riſum tenere nequiret, feratur dixiſſe: Dii boni, quãm ridiculum

*Quomodo imminuendi affectus, vbi concitati iam fuerint.*

17 conſulem habemus. † Demoſthenem quoque
tradunt cum pro Ariſtide dicturus eſſet, in
quem vehementiſſime iudices accenderat ac-
cuſatorum oratio, reclamareturq́ ab omnibus
ſibi, & velut prædamnato iam reo ſilentium
imperaretur, orauiſſe, vt bona illorum venia
liceret pauciſſima extra cauſam verba facere.
Quod cum permitterent, ait, Megarenſem
quendam ſtudiis operatum Athenis, cum re-
dire in patriam vellet, conducto aſino impo-
ſuiſſe ſarcinas. Meridie verò, cum nulla vm-
bra, qua ſolis ardorem leuaret ipſe & agaſo,
præberetur: ſtatuto in via aſino, cõſtituit illius
vmbra ſolem vitare, eaq́ cum non ſufficeret
ambobus, agaſo ſibi illam vendicare, ſui illam
affirmare iuris eſſe, operas illi non vmbram
locatam, contrà ille contendere vmbram in-
ter operas eſſe. Cumq́ diceret orator, grauiſſi-
me inter eos de vmbra aſini altercatum, vide-
retq́ oẽs riſu quati, & exhilaratos iudices eſſe,
tũ grauiſſima eos increpuit oratione, qui poſ-
ſent de vmbra aſini differentẽ audire, de ſalu-
te ciuis, qđ eos iudicii religio cogeret, audire
nõ poſſent. Tũ cœpiſſe de cauſa dicere, reũq́ li-
18 beraſſe. † Cõſtat autẽ hæc facultas, natura pri-
mũ, quæ cũ in omni re multũ, tum in hac pluri-
mum poteſt. Deinde quod ꝓximũ eſt, crebro
vſu. Sunt tamen etiã tradita ei⁹ pręcepta, qua-
tenus tradi pręceptis poteſt, quorum authores

Cicero & Quintilianus, notiores ſunt, quàm vt ſint indicandi. Et de affectibus quidem hęc ſufficiat dixiſſe.

## SCHOLIA IN CAPVT III.

QVid† naſcitur autem omnis affectus, vt dixi- 1
mus. ] Libri huius capite primo. ¶ † Ex rei 2
ſpecie. ] Prout res bona, aut mala, vtilis, aut
nocitura, digna, aut indigna videtur. ¶ † Pro Plancio. ] 3
Quem ambitus reum fecerat Laterenſis. ¶ † Pro Sylla. ] 4
Quem proditionis arguebat L. Torquatus. ¶ † Vt in Na- 5
uarchorum caſu deplorando contra Verrem. ] Actione
in Verrem ſeptima. ¶ † Pro Quintio. ] Hunc in gratiam 6
Sex. Neuij accuſarat inſignis ille orator Hortenſius.
¶ † Pro Milone. ] Quē Clodiani poſtulabant lege Cor- 7
nelia, de Sicarijs. ¶ † Pro re, vt alio loco pluribus dixi- 8
mus. ] Libri ſecundi, capite quarto. ¶ † Proximum eſt 9
à conuitio. ] Non longe à conuitio diſtat, propemodum conuitium eſt. ¶ † Sic, qui bellum dixit, omnia quæcunq; ſolent in bello fieri, comprehendit. ] Hunc in modum & Fabius libro octauo, de energia: Sic vrbiū, inquit, captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe ciuitatē, complectitur omnia quæcunq; talis fortuna recipit, ſed in affectus minus penetrat breuis hic velut nūcius. At ſi aperias hæc quæ vno verbo incluſa erāt, apparebunt effuſæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus vnus quidam ſonus, aliorum fuga incerta, alijs in extremo cōplexu ſuorum cohærentes, & infantium fœminarumq; ploratus, & male vſq; in illum diem ſeruati fato ſenes, tum illa profanorum ſacrorumq; direptio, efferentium prædas repetentiumq; diſcurſus, & acti ante ſuū quiſq;

prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater,& ſicubi maius lucrum eſt pugna inter victores. Licet enim omnia,vt dixi,complectatur euerſio,minus tamen
11 men eſt totum dicere,quàm omnia.¶ † Segnius enim, vt inquit Horatius.] In arte poëtica:

Aut agitur res in ſcenis,aut acta refertur.
Segnius irritant animos demiſſa per aures
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus,& quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator &c.

12 ¶ †Detectæ itaq; ſunt in aduerſo pectore cicatrices.] Fabius lib.6. Non ſolum autē,inquit,dicendo,ſed etiam faciendo quædam lachrymas mouemus. Vnde & producere ipſos qui periclitentur, ſqualidos,atq; deformes, & liberos eorum ac parentes,inſtitutum: & ab accuſatoribus oſtendi cruentum gladiū,& lecta è vulneribus oſſa, & veſtes ſanguine perfuſas videmus,& vulnera reſolui, ac verberata corpora nudari. Quarū rerum ingens plerunq; vis eſt,velut in rem præſentem animos hominum ducentium. Hæc ille. Et Antonius ſecūdo de oratore: Senſi equidem tum,inquit,magnopere moueri iudices, cum excitaui mœſtum, ac ſordidatum ſenem, & cum iſta feci quæ tu Craſſe laudas,non arte, de qua quid loquar neſcio,ſed metu magno animi ac dolore, vt diſcinderem tunicam,vt cicatrices oſtēderem,cum C. Marius mœrorem orationis meæ præſens ac ſedens multum lachrymis ſuis adiuuaret: cumq; ego illum appellans, collegam ei ſuum commendarem,atq; ipſum aduocatum ad communē imperatorum fortunam defendendam inuocarem: non fuit hæc ſine lachrymis meis,non ſine dolore magno miſeratio,omniumq; deorum,& hominum, & ciuium, & ſociorū imploratio: quibus omnibus verbis, quæ à me tum ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus,non modo non miſe-

Detectæ in iudiciīs cicatrices & veſtes ſciſſæ.

rabilis, ſed etiam ridenda fuiſſet oratio mea &c. His non
ſunt admodum diſsimilia, quæ de epilogis Ciceronis di-
ἐνάργεια. ximus libri ſecundi capite quarto. ¶ † Quod ἐνάργειαν 13
Græci, noſtri euidentiam interpretati ſunt. ] Quam ἐνέρ-
ἐνέργεια. γειαν Græci, eam nos efficaciam: quam illi ἐνάργειαν, nos
euidẽtiã appellamus. Qua de re Fabij Quintiliani, ſexto
Inſtitutionum libro verba ſic habẽt: Inſequitur ἐνάργεια,
quæ à Cicerone illuſtratio, & euidentia nominatur: quæ
non tam dicere videtur, quàm oſtendere: & affectus nõ
aliter quàm ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur. Memi-
nit eiuſdem rei idem author libro quartò, & rurſum libro
octauo. ¶ † Cicero itaq; cum pro M. Marcello reſtituto, 14
Cæſari gratias agit. ] Longum ſit atq; haud ſcio an etiã
ſuperuacuum, huc aſcribere verba Ciceronis. Oratio ex-
tat: qui volet, inde petat. Illud hic obiter notandum, hunc
M. Marcellum, cum à Cæſare reſtitutus eſſet, priuſquam
reuerteretur Romam, à familiari quodam ſuo P. Magio
Chilone occiſum fuiſſe, quemadmodum in epiſtola quan-
Familia- dam ad Ciceronem refert Ser. Sulpitius. ¶ † Iſocrates in 15
riũ epiſt. Helenes laudatione. ] Eſt & hæc laudatio hodie in ma-
Ciceron. nibus, quamobrem non eſt cur de ea quicquam dicamus.
libro. 4. Porrò, ad exactè intelligendum locum hunc, plurimum
momẽti attulerint ea, quæ habet Quintilianus libro ſex-
to, de affectibus, & de amplificatione lib. octauo. ¶ † Vn 16
de in cauſa Murænæ Cicero. ] Plutarchus in vita M. Ca
tonis de hac Murænæ defenſione loquẽs: Cum verò dies,
inquit, dicendæ cauſæ veniſſet, Cicero, qui per id tempus
erat Conſul, Murænam defendit, varijs modis Stoicos
philoſophos, & iſta quæ appellantur Paradoxa illudẽs.
Catonis Ex quo cum multũ riſum iudicibus inieciſſet, ipſe quoq;
de. Cicer. Cato ſubridens, ijs qui iuxta aſtabant, dixiſſe fertur. Dij
verbum. boni, quàm ridiculum habemus conſulem. Verba hac de

re Ciceronis aſcripſimus libro ſecundo. Atq; infra etiam de eadem dicemus cauſa, capite huius libri duodecimo.

17 ¶ † Demoſthenem quoque tradunt. ] Videtur mihi & hic locus vnus eſſe ex illis, quos dixi emendaturum fuiſſe Rodolphum, ſi opus recognouiſſet. Quippe vbi nos repoſuimus orauiſſe, ibi etiam exemplar illud ſcriptum, quanquam id hac parte non erat manu Rodolphi, non orauiſſe, aut oraſſe, ſed orauit habebat. Qui lapſus eiuſdem planè farinæ eſt cum eo, cuius meminimus in principio libri ſecundi, quo etiam in loco plura de eiuſmodi labeculis diximus. Quod autem ibi tum diuinabam, ab Rodolpho ita ſcriptum fuiſſe, vt haberet Louanij excuſum exemplar, eam coniecturam interim certiorem fecit exemplar ſcriptum, præſertim cum id ea vtiq; parte ipſe exaraſſet Rodolphus. Fabulæ porrò huius qua dicitur fuiſſe vſus Demoſthenes, & Eraſmus in Chiliadibus mentionem fecit.

17 ¶ † Conſtat hæc facultas. ] De ridiculis, ac riſu multa Fabius libro ſexto, & M. Cicero libro ſecūdo de Oratore.

## QVOMODO OBLECTANDVS ORATIONE AVDITOR.

¶ Duplicia eſſe quæ nos delectent, vt quæ partim ſenſu, partim mente percipiantur. Atque omnino duplicem eſſe voluptatē, quæ percipiatur ex oratione, quando alia ex rebus, alia ex ipſo orationis genere naſcatur. Tum quæ res ſenſum, quæ mentē delectent. Et quomodo ipſo orationis genere delectandus auditor.

## CAPVT IIII.

EXPLENDVS erit mihi for-
taſſe numerus. Et, quia docendi ra
tioni, mouendi præcepta ſubieci-
mus, æquum videbitur, vt quæ iu-
cundam faciant orationẽ, ſubdamus, † tametſi 1
alio docuimus loco delectationi nullam inue-
niendi certã rationem poſſe accõmodari, ma-
gisq́ præceptionem huius partis ad rhetora,
quàm ad dialecticum pertinere. Quia tamẽ ex
rebus etiã naſcitur orationi delectatio, res au-
tem inuentioni præcipue ſubduntur, ideo pau-
cis etiam de hac parte dicamus. ¶ † Delectatio 2
(vt diximus) quia permotio eſt cognitiuæ vir
tutis, duæ ſunt autem virtutes cognitiuæ, ſen-
ſus & mẽs, idcirco duplicia ſunt quæ delectãt:
quorum alia ſenſu, alia mente percipiuntur. Et
ii quidem, qui magis ſenſibus viuunt, & cor-
poris tenentur voluptatibus, quorumq́ animus
corpori ſeruit, hi magis eam ſequũtur delecta-
tionem, quæ ſenſibus obiicitur. Contrà, quorũ
generoſior & erectior animus omnem in men
te curam poſuit, hi velut inimicas & infeſtas
inſtituto ſuo corporis aſpernãtur voluptates,
& ſolum quæ mentem delectant ſequuntur.
Qui inter vtroſq́ ſunt medii, & ſuam tribuen-
dam vtriq́ partẽ arbitrantur, vtriuſq́ etiã vo
luptate capiuntur. Quarũ itaq́ rerũ vſu quiſq́
& perceptione gaudet, earũ etiã cõmemora-
tione præcipue delectatur, & his ipſis maxime
captatur

*Delectatio duplex.*

captatur orationis gratia. ¶ Duplex autem eſt *Duplex*
in ſumma, quæ percipitur ex oratione volu- *ex oratio*
ptas, quarum alia ex rebus de quibus diſſeri- *ne volu*
tur naſcitur, alia ex orationis percipitur gene- *ptas.*
re. ¶ Res quæ ſenſus oblectant notæ ſunt. Quiſ *Senſum*
que enim ſenſus delectatur eo, quod eſt natu- *quæ res*
ræ ſuæ propriũ. Vt oculi, coloribus lætiſſimis, *oblectẽt.*
3 aures, ſonis mitioribus. † & reliqui ſuo quiſq;
obiecto. Sunt quædã tamẽ, quę & ad mentem
pertingunt. quia vero propius ad ſenſuum na
turam accedunt, & inter ſenſuum oblectamen
ta numerantur. Vt dies feſti, ſpectacula, ludi,
choreæ, conuiuia, horti floribus conſiti, uerni
temporis gratia, fluminum per virentia prata
decurſus, primus iuuentæ decor, corpora pul-
chritudine conſpicua, amores, ioci, cõcentus,
ſaltationes, & omnia lætiorum annorum ani-
4 morumq; ſtudia: † quorum tamẽ maxime ſunt
liberalia, quæ oculorum auriumq; ſtudia mo-
rãtur. Reliqua, quia craſſiora ſunt, ſordidiora
ſunt etiam plerunq;, ut quorũ etiam nonnulla
ſine honoris non ſint præfatione memoranda.
¶ Mentem (cuius proprium eſt opus veri bo- *Quæ mẽ*
niq; perquiſitio) delectant omnia quęcunq; do *tem dele*
cent, quæ magna, admiranda, inopinata, inex *ctent.*
pectata, inaudita ſunt, recõditarum rerum per
ueſtigatio, notitia vetuſtatis, & rerũ in longin-
quo poſitarũ cognitio, egregia magnorum vi
rorum dicta factaq;, et in omni genere virtutis

acta præclarè. Quæ quidē ſi de eis diſſeratur,
iucundam nimirum faciunt orationem, in ſuo
quodq; genere. Sin aſperior & triſtior ſit res
de qua dicitur, tum ſolent illa auribus expeti.
Et, vel ſimilitudines docendis rebus hinc ſu-
muntur, vel argumētationes quæruntur, qua
rum explicationi tale quippiam adhiberi ſit ne
ceſſe: uel liberius etiam digreſſione ad ea dila-
bimur. quod cōmodiſsime fit, cū fallente tran
ſitu, ſic ad ea deferimur, vt nō ſecuti ea, ſed ad
*Digrediē-* ducti eſſe videamur. Trāſitus autem fit aptiſ-
*di ratio.* ſime, cum generale aliquid inuenerimus, in
quod parata eſt via ex re propoſita, & ex quo
rurſus in quod digredi volumus facilis eſt ac-
ceſſus. Vt qui de laudibus muſices dicit, ſi vo-
let ad deſcribēdā veris gratiā dilabi, dicat Mu
ſas libertate animi omniumq; rerū ſecuritate
gaudere, & ſyluas fluminaq; expetere. Hic qa
iam ſyluas & flumina, qui dicit habet, & gau-
dentem eis muſicen, facile iam tranſibit in ve-
ris deſcriptionem, cū ſit in eo ſummus iſtorum
decor, & præcipua poſsit ex eis percipi volu-
ptas. Itaq; quātus ſit ornatus, quæ gratia florē-
tium virentiumq; omniū, quis frondibus inter
ſtrepentiū volucrū cōcentus, quàm amœnum
riuorū per prata labētium murmur, & reliqua
id genus explicabit. Sic in hoc ipſo propoſito
ſi dicere volet, quātus ſit labor rēp. adminiſtrā
tis, paratum eſt dicere, muſicā leuare curas, &

mentem reficere:hæcq́; deinde cum reipub.ad
miniſtratione coniungere,quoniam præcipue
ſit his opus ei, qui rempublicā tractat, cum tot
ac tātis prematur laborib⁹, tot curas ſuſtineat:
quas deinde enumerabit. Eſt autē huius rei cū
apud multos videre exēpla, tum apud Plato-
nem Lucianumq́; in dialogis, quo pacto ſum-
pto diductiſſimo exordio,à re propoſita pau-
latim, & occulto gradu ad id quod inſtituunt
adrepant. Vtilis eſt diſſerenti hæc tranſeundi
ratio,ſi quando res diuerſas vna cōplecti vo-
let oratione,ſic,vt non turbatam diſiectorum
membrorū formā,ſed vnius faciem corporis
præſtent. Vtilis etiā,ſi quādo de re tali dicen-
dum ſit,à cuius prima mentione abhorreant
aures,vt poſito fauorabili aliquo prīcipio, ſen
5 ſim & † plūbeo(quod aiūt)pede,ad id de quo
dicturi ſumus deducamur. Cuius rei eſt egre-
giū in primis Ciceronis exēplū in orationis ex-
6 ordio,q̄ cōtra legē agrariam † in cōcione dixit.
Quod exordij genus rhetores inſinuationem
dixere. Cū enim nihil videretur magis exaſpe-
7 raturū Populi Romani animos, † quàm cōtra
legem agrariā,hoc eſt,ſpem alimentorū ſuorū
diſſerentē,ergo dilata omni rei iſtius mētione,
primū cœpit,nō ordiri ſe orationē de laudib⁹
maiorū ſuorū, ne illis potius q̄ populi benefi-
cio cōſulatū acceptū referre videretur,et popu
larē ſe cōſulē hoc ipſo velle videri,idq́; ī ſenatu

initio conſulatus ſui dixiſſe: permultaq́ alia in hanc ipſam ſententiam: † nec eſſe qui Gracchanas actiones improbet, nec cui diſpliceat, ſi quis de populi commodis ferat. Cumq́ multis huiuſmodi populi molliuiſſet aures, pauliſper & pedetentim allabi ad rem cœpit, nec ſtatim contrà tendere, ſed primum voluiſſe ſocium ſe Rullo adiungere, qui cum refugeret, tandemq́ omnia ſe diligentius inquiſiſſe diceret, tum demum eò delatus eſt, vt non ſe cōtra legem agrariam dicere, ſed contra Rulli dominatum, qui legis ſpecie parabatur, doceret. Conueniēs itaq́ fuit hoc in loco trāſitio latēs, vt fauorē quem dicendi initio colligebat, nūquam abrupta re etiam ad aſperiora transferret. Digrediēdi autem crebrior & magis permiſſa poëtis libertas. Secunda deinde aliis, vt quiſq́ eſt poëtis dicendi libertate proximus. Sed quia digrediendi ratione ſumus adducti, vt digrederemur, rurſus ad inſtitutum reuertamur. ¶ Secundum diximus eſſe quo delectaret nos oratio, ipſum orationis genus, qua in parte primum eſt, vt habeat oratio motus animorum, colloquia perſonarum, conſilia euentusq́ rerum inopinatos. Quæ quidē quanquā ad res pertinere poſſint videri, ex oratione tamen capiūt, quòd delectant. Argumento eſt, quod eadē hæc magna ex parte, ſi videamus, nō modo nō delectent, ſed offendant, idcirco

*Quarta tiōe ipsū orationis genus delectet.*

in oratione, non tam res ipſa, quàm mutatio orationis qua exprimuntur iſta, voluptati eſt. Et quemadmodũ in pictura, pleraque gratiſſima ſunt propter ſolam imitationem, nec tam res quàm ingenium miramur imitantis: ſic cũ in oratione, perſonis ſua pro cuiuſq; natura cõditioneq; verba tribuuntur, & animorum affectuumq; omnium figura effingitur, idq; conſequitur oratio, vt nõ dici ſed agi videatur res, & inani quadã imagine audientis animus velut mediũ ſe ipſe intra actum iactationemq; rerum conſtituit, id quoniam fit orationis virtute, non rerum natura, idcirco eſt etiam orationi iure tribuendũ. Cuius quidem gratiæ capaciſſimum eſt omnium poëma. Quia enim non rem ſequitur oratio, ſed voluptati orationis res aptatur, vtq; maxime placitura ſunt ſic oĩa finguntur, idcirco ſumma eſt ei captandæ venuſtatis iſtius in oratione libertas. Proxima eſt hiſtoria, ſeuerior tamen & contractioris frontis, vt quam illæſa veritate ludere oporteat. Ciuilis etiam oratio in narrationibus, ſæpe etiam & inter argumentandum, vel veris perſonis vel fictis, affectus ſuaq; verba tribuit, & non parum hac orationis gratia ſibi indulget. Ne in dialogis quidem philoſophi expertes hui⁹ laudis fuere. Eſt apud Platonẽ videre, tam diligenter effictas differentes perſonas, vt nõ Platonis, ſed perſonæ, nõ verba audire, ſed vul⁹

intueri videaris. In his in quibus ipſa Philoſophi loquitur perſona, aut ſi qua ſunt quæ poſita ſunt extra actus rerum, extraq́ affectus, exiguus relinquitur iſtis locus. Hocq́ præcipue hac in parte, cũ ipſi differentis perſonæ tribuitur oratio, delectat, quod & in aliis omnib⁹ generibus quæ diximus gratiſſimum eſt, ſi boni emineant dicentis in oratione mores, hoc eſt, ſi non ſit de ſe arrogãs, ſi de aliis modeſta oratio, ſi benignũ candidumq́ de rebus proferat iudiciũ. In primisq́ placet ſimplicitas illa omnia in melius flectentis. Iuuat tamen interim libertas dicentis, ſine aliena contumelia, quid ſentiat. Harumq́ rerũ, ſicut omniũ in dicendo virtutum, obſeruantiſſimus fuit vbiq; Cicero. Sunt & præter hæc in oratione quæ delectant, quæ propria ſunt orationis, ſententiæ graues, acutæ, nouæ, expectatæ, dicta facete, amare, ſalſe, prudẽter. Ornamenta etiã oĩa verborũ, ſententiarũ, & compoſitionis. Sed hæc eloquẽdi ratione cõtinentur, & idcirco ab his qui huius rei præcepta tradiderunt expetenda.

## SCHOLIA IN CAP. IIII.

*TAmetſi † vt alio docuimus loco.* ] *Libri ſecundi* 1
*cap. 14.* ¶ † *Delectatio, vt diximus, quia permo-* 2
*tio eſt cognitiuæ virtutis.* ] *Superiori libro dictũ*
Delecta s *hoc fuit. Delectare eſt tale aliquid adhibere, cuius ſenſu-*
*re. atq; perceptione is qui accipit gaudet. Vel, eſt aliquid fa-*
*cere, quod ſit ſenſui eius qui id percipit accommodatum.*

3 ¶ †Et reliqui ſuo quiſq; obiecto.] Quæ ſint obiecta ſin-gulorum ſenſuum, dictũ nobis eſt libri primi capite vn-
4 decimo. ¶ †Quorum tamen maxime ſunt liberalia, quæ oculorum auriumq; ſtudia morantur.] Pulchrũ me her-cules hac de re caput eſt apud Aulum Gellium lib. 19. Quinque (inquit) ſunt hominum ſenſus, quos Græci αἰσθήσεις appellant, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur, guſtus, tactus, odoratus, viſus, auditus. Ex his omnibus quæ immodica voluptas capitur, ea turpis atq; improba exiſtimatur. Sed enim quæ nimia ex guſtu atq; tactu eſt, ea voluptas, ſicuti ſapientes viri cenſuerũt, omnium rerum fœdiſsima eſt. Eosq; maxime, qui duabus iſtis beluinis voluptatibus ſeſe dediderunt, grauiſsimi vitij vocabulis Græci appellãt ἀκολάστους vel ἀκρατεῖς. Nos eos vel incontinentes dicimus vel intemperantes. ἀκολάστους enim ſi interpretari coactius velis, nimis id verbum inſolens erit. Iſtæ autem voluptates duæ, guſtus atq; tactus, id eſt libidines in cibos atq; in Venerem prodigæ, ſolæ ſunt hominibus communes cum beſtijs, & idcirco in pecudum ferorumq; animalium numero habetur, quiſquis eſt his beluinis voluptatibus præuinctus. Et paulò poſt: Quis igitur habens aliquid humani pudoris voluptatibus iſtis duabus coeundi atq; comedendi, quæ ſunt homini cum ſue atq; aſino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat, multos homines propterea velle viuere vt ederẽt & biberẽt: ſeſe bibere atq; eſſe vt viueret. Hippocrates autẽ diuina vir ſcientia, de coitu venereo ita exiſtimabat, partẽ eſſe quandã morbi teterrimi, quem noſtri comitialẽ dixere. Nãq; ipſius verba hæc traduntur,
5 συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν. ¶ †Plumbeo, quod aiũt, pede.] Hoc eſt quaſi ſuſpẽſo ac minus firmo greſſu, pedetentim, paulatim. Cic. quodã in loco frigidũ argumẽtũ

Voluptas guſtus & tactus turpiſsima.

Socratis verbum.

plumbeum pugionem appellat. Quem eūdem ſenſum ha-
bet & illud, plumbeo iugulare gladio. ¶ †In concione.] 6
Lex agraria. Ad populum, ad Quirites, ¶ †Quam contra legem Agra- 7
riam.] Hæc eſt lex illa agraria, de qua toties mentio fit a-
pud authores, quæq; omnium propè bellorum ciuilium
fons & origo fuit. Primus eam promulgauit Sp. Caßius
regni affectator. Secuti eum ſunt multi, qui id ipſum fece
re. Verum maximos omnium motus hac in re excitarunt
C. & Tyberius Gracchi. Occaſio eius legis ferendæ fuit
eiuſmodi. Solebant Romani, quantum uicini agri hoſti-
bus ademiſſent, partim uenundare, partim redigere in
publicum, & tenuioris fortunæ ciuibus modica penſione
utendum locare. Sed poſteaquam diuites, ita ut fit, augere
eas penſiones cœpere, & pauperes à cōducendis agris ex-
cludere, lata lex eſt, qua ſupra quingenta agri iugera ci-
uis Romanus habere prohibebatur. Verum ea lex pau-
cos admodum annos contra locupletes auxilio fuit. Ac
principio quidem ſubornati ſunt alij quidam, qui in illo-
rum uſum agros cōducerent. Deinde uelut abrogata iam
lege, ipſi etiam ſuis editis nominibus omnia occupare cœ-
perunt. Cui tam inexpletæ diuitum auaritiæ, ſæpe à tri-
bunis plebis, cum maximo reipub. motu obuiam iri cœ-
ptum. id quod tempore Ciceronis feciſſe & Rullum, fa-
Gracchi. cile ex ipſius Ciceronis contra Rullum oratione appa-
ret. ¶ †Nec eſſe qui Gracchanas actiones improbet.] 8
Duo fuere Gracchi, quorum hic facit mentionem Cice-
ro, Caius & Tyberius: quibus tanta cura fuit rogādæ fe
rendæq; legis agrariæ, ut perire maluerint ambo, quàm
ab ea actione deſiſtere. Et Tyberius quidem ductu P. Sci-
pionis Naſicæ, Caius L. Opimij cōſulis ductu occiſus eſt.
Vitam utriuſque ſcripſit Plutarchus.

*¶ Copia breuitateq́ꝫ facillime aut offēdi auditorē aut delectari. quare non abs re fore, ſi de his quoq́ꝫ paucis agatur. Tum, quo modo copioſe, quo modo breuiter dici poßit. Quis utrobique ſeruandus modus. Et quibus breuitas, quibus ubertas orationis conueniat.* CAP. V.

1 COpia † vero & breuitas in dicēdo, quoniam præſertim iſtis inter cæteꝛra delectamus & offendimus, conꝛſtantq́ꝫ etiam inuēctione iſta, nō alieꝛnum videtur inſtituto noſtro, paucis de his dicere. Cōſtat autem orationis vbertas, vel quia pauca quidem, multis tamen eloquimur: vel quāuis paucis dicam⁹, cōgerimus tamen multa, atq; vt nō magnitudine, aceruo tamen rerū tendimus orationē: vel quod affluentiſſimum eſt, multa dicimus de multis. Si oſtenderimus autē, quomodo multa, & quomodo multis dicatur, tria hæc cuiuſmodi ſint, facile erit perſpectu. ¶ Multa dicuntur, & expoſitione & arguꝛmentatione. Expoſitione dicuntur multa, cum non ſatis habemus ſummas tantum rerum exꝛplicare, ſed partes omnes proſequimur. Qui dicit enim, Iuno quoniam oderat Troianos, nauigante ex Sicilia Ænea claſſem eius diſiecit vi tempeſtatum, quarum impulſu delatus ad Africam Æneas, à Didone hoſpitio benigniſꝛſime eſt acceptus. Hoc qui dicit, totum primū Æneidos librum complexus videtur. Qui voꝛ

*Vbertatem, copiāq́ꝫ orationis triplici ratione conſtare.*

*Multa quomodo dicamus expoſitione.*

let autem paulo vberius dicere, ille quidē cau
ſas odiorum, propter quas infenſa Troianis
erat Iuno, recenſebit: deinde, vt è Sicilia naui-
garint, ſollicitatū à Iunone Aeolum, vt tēpeſta
tem claſſi immitteret. Non tamen ille preces Iu
nonis effinget, non pollicita Aeoli, nec quo pa
cto immiſſa ſit Troianis aut iactauerit eos tem
peſtas, ꝓſequetur: ſufficiet tempeſtate diſiectos
fuiſſe demōſtrare, atq; diuerſos aliū ab alio, ad
litora portusq; Africanos eſſe delatos. Nec Ve
neris ille querelas, nec Iouis reſponſa, quib⁹ fu
tur⁹ rei Romanæ ſtat⁹ explicatur, attinget. Poſt
tēpeſtatē, refectis corporib⁹ atq; cōfirmatis ani
mis ſociorū benigno alloquio Aeneę, tū vt ex-
plorādorū locorū gratia profectus ſit Achate
comitatus, Carthaginemq; peruenerit: cui⁹ vr-
bis condendæ cauſam, & Didonis caſus, bre-
uius qui dicet explicabit ſuis verbis: quàm vt
deſcribenda Venere, & querelis Aeneę, iacta-
tisq; hinc inde verbis eius, effingat. Deinde,
vt in templo Ilionea & ſocios reginę implorā-
tes fidem ne littoribus arcerentur agnouerit,
agnoſcendumq; ſe eis & reginæ præbuerit. Ni-
hil hic ad ordinem rerū pertinuerint res Tro-
ianæ pictura in templo expreſſę: nihil Didonis
pulchritudo, aut templi forma deſcripta: nihil
reliqua multa, quæ vt ornandis rebus immen
ſum, ita cognoſcendis nullum attulerint mo-
mentū. Poëta enim acerrimi ingenii iudiciiq;,

non magni ſane putauit, qui fuerint caſus, aut ordo rerum Aeneæ, quarum etiam vix tenuis ad ipſum peruenerat fama: ſed ſumpta illius perſona, voluit tanquam in ſpeculo quodam varietatem rerum humanarũ vitamq́ue & mores hominum ſpectandos proponere. Quę cũcta, vt maiore voluptate commendaret, late fudit, quo orationis rerumq́ue decorem & gratiam, quæ in anguſtioribus deliteſcunt, in ipſa
2 amplitudine † per omnes poſſet numeros explicare. Quin & hæc ipſa multo poterunt effuſius dici. Nam in cauſis odiorum recenſendis, ſingulæ cauſæ longiſſimarum narrationũ ſunt capaces. Et quod poſtea dicitur: Vix ẽ conſpectu Siculæ telluris in altum Vela dabant. hic & quæ ſit Sicilia deſcribi poteſt, & quæ fuerint manendi ibi rurſusq́ue diſcedendi cauſæ, & apparatus diſceſſionis, & iam ipſa exprimetur nauigatio. Sic videmus in prœliis narrandis, tantũ quæ acies cui ceſſerit, & quarũ partium eques pedesve alterius profligauerit equitẽ aut peditem. Singulorũ rara fit aut perquã breuis mentio, niſi imperatorum, aut eorum qui ordines ducunt. Idcirco in anguſtum pugnæ apud eos colligũtur. Apud poëtas, ſingulæ pugnæ ſingula ſæpe implent volumina. Quoniã nõ exercituũ ſolũ, ſed ſingulorũ hominũ caſus effingũt, quò magis varietate & reb⁹ ſub aſpectu ponẽdis delectẽt. Sed & ſingulorum caſus

quantū poſſint extendi, Aeneæ & Turni apud
Virgilium, Polynicis & Eteoclis apud Statiū,
facile declarat deſcriptio. ¶ Dicimus vero ar-
gumentando multa, & quando propoſitam
quęſtionem in multas quęſtiones diducimus,
& quæſtiones numeroſis colligimus argumē-
tationibus, argumētationesq́ aliis ſuper alias
probationibus confirmamus: & ſi quid expo-
nendum in argumentatione, non contenti ca-
put rei annotaſſe, totū ordinē eius recēſemus.
Vt qui probet virtutis nomen etiam improbi-
tati venerandū eſſe, † quoniā piratæ fama Sci- 3
pionis adducti, Liternū vbi exulabat profe-
cti ſint, & cum conſpexiſſent eum, abierint rur
ſus. Id qui iā volet eo pacto, quo ſuperius oſtē
di, vlterius exponere, & † vbi ſit Liternum, & 4
† quare illic exulauerit Scipio, dicet: & in reli- 5
quo expoſitionis ordine, Scipioni piratisq́ ſuā
dabit, ſi videbitur, orationem. Multum autem
dicimus vna de re, id eſt, quoties libuit, circa
vnā rem hæremus, quodq́ paucis dici potuit,
id ipſum late ſpargimus. Idq́ tribus illis maxi
me fit modis, quibus diximus rem vnam in
multa diduci † diuiſione, partitione, & dinu- 6
meratione: quæ quid ſint, ſuo loco diximus. Er
go ſi quis volet dicere, virtutē Ciceroni rem-
publicam tractanti aptiſſimam eſſe, virtutem
diuidet, proq́ ea religionē, pietatem, iuſtitiā,
fortitudinem, magnanimitatē, conſtantiam,

*Argumētatione quomodo multa dicamus.*

*Quomodo pauca multis dicantur.*

temperantiam,modeſtiam,prudentiam , fidē,
& reliquas virtutis ſpecies ponere poteſt: pro
republica partes eius,vt ſunt patres, & plebs,
inopes,potētes, pauperes, diuites.Deinde Ci
ceronem per adiacentia aut actus aut effecta
dinumerabimus:vt qui facundus ſit, qui do-
7 ctus,†qui nouus homo,qui cōſularis, qui cau
ſas agat,& quotidie in iudiciis concionibusq́;
verſetur,quæq́; reliqua ſunt hui⁹ generis. Poſ-
ſunt igitur hæc omnia,vel inter ſe coniungi,&
vnumquodq́; vnicuiq́; prout eſt cuiuſq́; natu-
ræ maxime conſentaneum aptari:vel ſic, vt in
tegra cum diductorum numero componātur:
vt primum diuiſa virtute,& manentibus reli-
quis dicamus,certum eſt religionem, pietatē,
iuſtitiam,fortitudinem , & cæteras quas dixi-
mus virtutum ſpecies,neceſſarias eſſe Cicero-
ni tractanti rempub.Deinde rurſus diſpertita
repub.nec quenquā dubitaturum, quin Cice-
roni,qui inter patritios,plebeios, potentes,in-
opes,& reliquas reipub.partes verſetur,opus
ſit habere virtutem. Poſt hæc dinumeratis his
quæ Ciceroni adſunt,non enim fieri poſſe, vt
qui facūdus,doct⁹ ,& homo nouus, honorib⁹
functus,quæq́; reliqua huiuſmodi ſunt remp.
adminiſtret,vt id recte faciat ſine virtute. Pro
bationum habēt iſta faciē, poſſuntq́; probatio-
nes eſſe,ſi quod primum eſt propoſitum tan-
quam dubium accipiatur: nunc tamen non in

eum adhibentur vſum. alioqui quo minus ocioſa & ſupina videantur, non inepte probationes aliquæ interſpargerentur. Poſſumus itaque hoc pacto, cum viſum fuerit, vnam pluresúe res in oratione poſitas ſpargere, & vnã quanque non vno ſolum, ſed tribus illis quos diximus explicare modis. Quæ quidem propoſitum reſpicientibus exemplum, cum tentatu factuq́ haud eſſe difficilia credam, nihil eſt neceſſe ſuis exemplis indicari. ¶Eſt & alia ratio dicendi copioſe, quæ fit, cum vnam eandemq́ rem iterum atq́ iterum enumeratis dicimus verbis. Quomodo plerunque videmus apud Ciceronem, non ſingula modo verba, quod crebrum eſt videre apud authores, ſed totos locos repetitos in eis præſertim orationibus, quas iunior edidit, qua ętate, ſicut ſemper alioquin, ſic tum præcipue, omnis affluentiæ cultusq́ in dicendo cupidus extitit. Sed hæc eloquendi, non inueniendi præceptis comprehenduntur, & diuerſa ſunt idcirco à noſtro inſtituto.

*Breuitas in expoſitione.* ¶Breuitatis ratio facilior eſt. Quarum enim rerum collectione copia paratur, earum rurſus prætermiſsione breuitatem conſequemur. contraria enim (vt in vulgato verbo) cõtrarijs oriuntur cauſis. ¶Breues erimus, in exponendo quidẽ, ſi trita omnibus breuitatis ſequemur præcepta, hoc eſt, ſi rem non à primis vtique initijs, ſed ſolum quatenus inſtituto

8 noſtro ſufficit ordiamur, † Aeneas vtiq; apud
Virgilium narraturus inſidias Græcorum, nō
labores periculaq; bellorum, quibus perfuncti
erant, recenſet: ſed protinus cœpit, fracti bello
fatisq; repulſi. Deinde, vt in reliquo decurſu
expoſitionis, quicquid ad rem noſtrā non per
tinet, prætermittamus, cuiuſmodi eſt: (dixit &
multa alia, quę nunc nō eſt narrandi locus) &:
(dixit quæ ad rem pertinere putabat) &: reſpon
dit quæ ſibi viſum eſt. Quę moderatio pleriſq;
noſtra ætate ſtudia tractantibus vſque adeò
deeſt, vt non ſolum velint quicquid de re dici
poſſit exequi, ſed etiam cuiuſcunq; vlla parte
poteſt inferri mētio, id vndiq; quæſitū accer-
ſant. & quanquā diuerſa, quamuis repugnātia
propoſito ſuo, viribus detorta tamen incul-
cent. ex quo iam in friuolis pleriſque & leuiſſi-
mis quoq; rebus nullus ſcribendorum volu-
minum neque modus neque finis fit. Poſt
hæc, ſi non ſingulas rerum particulas dicendo
proſequemur, ſed ſatis habebimus ſummas
& velut faſtigia rerum perſtringere. Cuius
rei, cum multa ſunt apud authores exempla,
9 cuiuſmodi eſt apud Virgilium: † Punica re-
gna vides, Tyrios & Agenoris vrbem. &
tota fundatæ Carthaginis explicatio quæ ſe-
quitur. Item in quinto: Interea Aeneas vr-
bem deſignat aratro, Sortitur'que domos,
10 hic Ilion, hæc loca Troiæ. & reliqua. † Sic

apud Terẽtium: Placuit, deſpondi, hic nuptijs dictus eſt dies. Tum præcipue poterunt iſtud oſtendere argumenta comœdiarum, quæ pauciſsimis verſiculis, totum fabulæ complexum continent. Et declamationũ themata, quę cum breuia admodum ſint, verboſis exponuntur plerunq; in declamatione narrationibus. Sic et apud ſcriptores rerum, crebro videmus copioſe fuſeq; res dictas ab alijs, rurſus ab alijs in pauciſſima verba cõtractas. Poſtremo, ſi quid vel ex præcedentibus aut ſequentibus ſatis poteſt percipi, vt id ne dicamus quidem. Quod ſolet autem adijci, ne bis eãdem rem dicamus, id cui præcipiendum eſt, ignarum eſſe, quid ſit breuitas, oportere credam. Ex ſequentibus præcedentia intelliguntur, vt apud Virgilium in quinto: Gaudet regno Troianus Aceſtes. Ex eo, quod quidem non dixit poëta, ſatis perſpicitur, imperio Aceſtæ ſubdidiſſe vrbem recens conditam, & depoſitos in ea Troianos. Sic apud Terentium in Andria, ex eo quod dixit Crito, eius morte ad me lege rędierunt bona: nec mortuam eam eſſe, nec cognatam ſibi prædixerat, vtrunque tamen ex eo colligitur. Ex præcedentibus, vt quoties mandata, conſilia, cauſas'ue explicuimus, quibus vel ordo ſequentium rerum, vel vis facile perſpicitur. quale eſt in Phormione Terentij: Eſt paraſitus quidam Phormio. & quæ ſequuntur.

Deinde

Deinde ſubijcit: Ego te cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam. Non dicit, hoc dixiſſe Phormionem, quod ipſum ex figura verborum facile perſpicitur. Sed hoc quidem prioris loci exemplum eſt. Quod autē huius eſt loci, poſtquam totum ordinem conſilij recenſuit, deinde rem ipſam, quæ hoc pacto geſta eſt, cū poſſet hinc cognoſci, ſolum dixit, perſuaſit homini, factum eſt, ventum eſt, vincimur, duxit.

¶ Argumentationum breuitas in eo poſita eſt, ſi primum, vel recidamus multitudinem quæſtionum, vel quæ ſi fuſius tenderētur, quæſtiones futuræ erant, eæ breuiter argumētationum ſpecie colliguntur. Tum ſi quas ſumimus quæſtiones, quàm pauciſſimis argumētationibus confirmemus. ſed ne argumētationes quidem latē fuſeq; colligamus, verum nōnunquā pro tota argumentatione ſolam ponamus propoſitionem. *In argumētando breuitas.*

11 Vt: †Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes? Quid tempeſtatum regē, ventoſq; furētes Aeolia excitos? Singulæ argumētationes ſingulis propoſitionibus explicātur. Quandoq; ſingulis prope verbis denſamus ar-

12 gumenta. vt apud eundem authorem: † Quin natam egregio genero, dignis'que hymenæis Des pater, & pacem hanc æterno fœdere firmes. Pro eo quod dicere inſtituit, vt natam daret Aeneæ, inquit, natam egregio genero: argumentum eſt. idcirco enim colligitur dan-

dam eam eſſe Aeneæ, quoniam ſit egregius gener. Sic quod ſubdidit: dignisq́ꝫ Hymenæis, quanquam id priori prope ſit idem. Sic etiam, Des pater, & curam filiæ, & poteſtatem vno nomine collegit. Sic quod poſtremum poſuit: & pacem hanc æterno fœdere firmes. Breuius
adhuc eſt, †quod Dido inquit, cum cauſam 15
quare coniugium auerſaretur dixiſſet, ſubiecit: Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ. Cum vellet mollire faciem amoris ſui, huic vni dixit, quaſi iuſtior eſſet ſibi venia hac in parte, quæ nulli alteri delicto locum eſſet datura. Et culpæ dixit, non peccato, non crimini. Nec tamen dixit admiſſuram ſe: ſed, potui inquit, & forſan, & ſuccumbere: vt non factura ipſa, ſed amoris impetu victum iri videretur. Hoc itaque pacto conſequemur, vt quandoque quamuis multa, breuiter tamen dicamus. Nec enim fieri poterit, vt hac denſitate ſtipemus argumenta, ſi velimus ſingula eis quos ſuperius dixi modis dilatandi, id eſt, vel diuiſione, vel partitione, vel dinumeratione, diffundere. Breuitas igitur his rebus maxime conſtat.

*Quis modus inter copiā vbertatēq́ꝫ ſeruādus.*

¶ Magni eſt & vel præcipui in dicendo iudicij opus, quis ſit orationis commodiſſimus modus, & quo ferè ſit breuitas copiaq́ꝫ claudenda. Nec ſanè res eſt, quam facile præceptis comprehenderis: quoniam authores, quorum obſeruatio primam edendorum pręceptorum

viam aperuit,non eundem omnes in dicendo ſtatuere modum: cum alijs plena, & quodam affluentiæ impetu rapta probetur oratio:alijs aſtricta,& arguta,& neruis magis quàm carne commendata eloquentia, placeat. Quóq; difficilius ſit hæc in alterutram partẽ,vel damnare,vel laudare, duo maximi omnis æui in
14 dicendo viri effecere.† Demoſthenes & Cicero,quorũ vter fuerit eloquentiæ laude prior, magna fuit ſemper eritq; contentio inter vtriuſque doctos linguæ, cum quiſq; velut patriã hanc laudem,nõ ſine magnis, atq; dijudicatu difficilibus afferat cauſis. Cũ ergo Demoſthenes breuitatis fuerit amantior,Cicero copię:& (vt Quintiliani iudicio huius à me ſententiæ repellam inuidiã) illi nihil poſſit detrahi, huic nihil adijci,non erit vtiq; facile inter diſſentiẽtia tantorum virorũ iudicia, vtrum ſit potius, inuenire.Si quis tamen certam aliquam, & velut præfinitã poſtulet legẽ,haud inuenio quid rectius ei reſpondeatur, q̃ mediũ illud, quod
15 inter nimium parumq; eſt,†quod modum vocãt,id vt in omni re,ſic in hac etiam optimum eſſe.A qua ſi quis alterutram in partem aberra
16 bit,†minus quidem erit mea ſententia culpandus, qui in id quod plus, quàm quod minus eſt,deflexerit.Nam qui minus dicet,aut nõ intelligetur ſatis,aut nõ ſatis probabit: dicẽtisq; culpa,rei dãno de qua dicitur, luetur.At ſi pl⁹

dicat,quanquam dicenti forte ſit quod obiici poſſit, nullo tamē id rerū,vel intelligētiæ, vel fidei detrimento cōſtabit.Satius itaque fuerit ſemper,vel faſtidiri potius dicentē,quàm rem parū probari. Modus autē quem dicimus ſequendum eſſe,ex inſtituto dicētis maxime definiendus erit. Pro cuiuſq; enim deſtinatione, vt vel docere, vel mouere, vel delectare cupit,optimus putādus erit eſſe modus,quo poterit quiduis horū conſequi qui dicit. Ergo in rerū auditorumq; diſcrimine,tota huius rei poſita eſt ratio.Partē tamen nonnullā ſibi vendicabit qui dicet. In his itaq; rebus,in quib⁹ credentem fingimus auditorē,docendiq; tantum dicimus cauſa,vt in rebus geſtis explicandis, tradenda rerū natura,artiū pręceptis docēdis, reliquisq; id genus,quæ prope expoſitione traduntur,breuitas ferè gratiſſima eſt,quoniā id quæritur ſolum,vt intelligat qui audit. At cū res eſt cū aduerſario,qui peruincēdus eſt oratione,virib⁹ eſt opus,quæ plerūq; mora plus, quàm impetu valent.Quouſq; nō probauerimus ergo,quod ſumus aggreſſi probare,quatenus tamē rei materia probationē accipit, nō videbimur legitimā dictionis impleuiſſe menſurā. Quicquid autē ſuperabit,id huic inſtituto putabimus ſuperuacuū.Mouendi( quoniā, vt ſæpe iā diximus,nō eſt aliud motus, quàm vehemēs quædā probatio) idē mod⁹ eſt, qui

docendi. Delectationi latius plerunq; indulgetur. Vnde fit, vt quæ poterant perſæpe pauciſſimis abſolui, poſtquã occupauit aures audiẽdi voluptas, noſtræ oblectationi largiſſima demus, atq; expetamus tẽpora, cum reb⁹ alioquin quãuis anguſta ſufficerẽt. Ex eiſdẽ cauſis quas diximus venit, vt doctis, prudẽtib⁹, grauibus viris, ſeueris auditorib⁹, breuior oratio paretur. Facilius em̃, vel docẽtur, vel volũt videri diſcere: minusq; affectibus, vel dicendi illecebris, obnoxios ſe præbẽt. Populus atq; oĩs ꝑmiſcua multitudo, omni copia, impetu, ſplẽdoreq; dicẽdi eſt demulcẽdus. Idcirco ad illos
17 cũcti pandũtur eloquẽtiæ ſinus. † Nec ſanè eſt vlla maior eloquẽtiæ fax, quæ've acriores ſub iiciat dicẽdi ſtimulos, quàm latiſſima audientiũ corona. Eis autem qui dicũt, magnanimis quidẽ, & acribus, & indoctis, ſiue ſint tales, ſiue affectent videri tales, aptior eſt breuis dictio. Quoniã magnanimi natura ſũt imperioſi, fidemq; nõ tã orationi, quàm perſonæ debere putãt, & principes ſingula verba ſua, velut legẽ accipi volũt, vt quos ſæpe, quãuis pauca, grauent verba, & qui ſolis nutibus ſuis deberi obſequiũ credãt. Vnde & in Græco ꝓuerbio
18 eſt, † dominos ſeruis ſuis monoſyllabos eſſe. Acres, magis vrgere vidẽtur breuitate. Indocti non habent, vnde copiã parent. Ergo quãuis pſæpe multa ſint eis dicẽda, ſingulis tamẽ

*Quibus breuitas, quibus vbertas, copiaq; dictionis cõueniat.*

breuitas magis conuenerit, vt quanquam longa, accelerata tamen dictio videatur. Contrà, humilioribꝰ, ſedatis, prudẽtibꝰ, doctis ſectãda magis eſt vbertas. Hi ſunt enim qui vidẽtur, & velle poſſe rẽ quãlibet exacte docere: & nõ ſolũ quod ſit vnumquodqꝫ oſtendere, ſed rationem quare ita ſit oſtendere debere. Sic rebꝰ etiã perplexis, dubiis, numeroſis, grãdibꝰ, adhibenda eſt copia. Tenues verò, & nullius momenti, apertæqꝫ, & ſimplices, breuiter dicẽtur, breuiter enim poſſunt doceri. In partibus orationis, ſiquidẽ argumentatione conſtet oratio, longior expediet dictio, vt quæ fidẽ ſit maiori labore factura. Expoſitioni in vniuerſum breuitas eſt aptior, quanquã expediant nonnunquam etiã in ſuo genere narrationes vberiores, vt ſicubi res repetẽda altius, vel pręſertim ſi ſit inſerendus acrior affectus, ſi quẽdadmodum ſolet retinendꝰ voluptate ſit auditor. Oĩs tamẽ in ſuo genere expoſitio, debet argumentatione breuior eſſe. De exordio, & concluſione cũ re deliberandũ eſt, & cũ orationis etiam magnitudine, ſic vt meminerimus partes eas, & velut acceſſiones orationis eſſe, nec rei docẽdæ, ſed auditoris cõciliãdi cauſa paratas. Facilius itaqꝫ quis copia in eis quàm breuitate peccauerit: niſi tamẽ præſens rerũ cõditio, latiorẽ etiã in his partibꝰ dictionem popoſcerit, † tũc 19.
vtilitati nimirum cedẽt præcepta, quæ in hoc

præcipiuntur ſolū, quoniam creduntur vtilia. Quòd ſi contrariū res ipſa tulerit, ſicut in omni vita ſolem⁹, ſic in oratiōe, nō quòd aliàs, quā quam ſæpe, laudatū: ſed quòd nunc, quāuis in præſentia ſolum, fuerit optimum, ſequemur.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 *Copiat verò, & breuitas.*] *Fit hoc ſæpenumero apd authores, vt caſus quiſpiā, interpoſito relatiuo, quaſi abſolute, ac ſine verbo ponat. Cicero ad Trebatium, familiarium epiſtolarū, libro ſeptimo: Cn. Octauius tuus familiaris, ſummo genere natus, terræ filius, is me quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebro ad cœnam inuitat, adhuc non potuit perducere, ſed mihi tamen gratum eſt. Idem in ſecunda Philippica: Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, vt militibus daretur, tamen infligi magnum reipub. vulnus arbitrabamur, hūc tu compranſoribus tuis, & colluſoribus diuidebas. Rurſus in Verrem: Nam quis hoc non intelligit, iſtum abſolutum dijs hominibusq; inuitis, cum ex manibus populi Romani eripi nullo modo poſſe? Verū in hiſce omnibus idem caſus repetitur, ac proinde vſitatior eſt locutio, & apud Ciceronem frequens. Rarius eſt quod hic fecit Rodolphus, à quo hi nominatiui, copia, & breuitas, ita in principio orationis ponuntur, vt nullum prorſus verbum accedat, ad quod vllo modo referri queant, quod vt apud alios quoque interim fieri, temere ego negare non auſim, ita ſanequàm rarum, atque inuſitatum id eſſe, planius eſt, quàm vt quiſquam poßit ire inficias. Et, vt ſemel dicam quod ſentio, aut ego planè fallor opinione mea, aut hic quoq; vnus eſt ex locis illis, quos ſi recognouiſſet Rodolphus, emūctiores ꝓculdubio in lucē ꝓdiſſet.*

Piratæ ¶ †Per omnes poſſet numeros.] Perfectiſsime, abſolu- 2
ad Scipio tiſsime. ¶ †Quoniam piratæ fama Scipionis adducti.] 3
nem. Hac de re ita legis apud Valeriũ Maximũ, libro ſecundo,
capite de maieſtate: Ad Aphricanum eundem in Literna
villa ſe continentem, complures prædonum duces viden-
dum, eodem tempore forte confluxerunt. Quos cum ad
vim faciendam venire exiſtimaſſet, præſidium domeſti-
corum in tecto collocauit, eratq; in his repellendis, & ani
mo, & apparatu occupatus. Quod vt prædones animad
uerterunt, dimiſsis militibus, abiectiſque armis, ianuæ ap
propinquant: & clara voce nunciant Scipioni, non vitæ
eius hoſtes, ſed virtutis admiratores veniſſe, conſpectum,
& congreſſum tanti viri, quaſi cæleſte aliquod benefi-
cium expetentes, proinde ſecurum ſe nobis præſtandum
præberene grauaretur. Hæc poſtquam domeſtici Scipio
ni retulerunt, fores reſerari eosq; intromitti iuſsit. Qui
poſtes ianuæ tanquam aliquam religioſiſsimam aram ſan
ctumq; templum venerati, cupide Scipionis dextrã ap-
prehenderũt: ac diu oſculati, poſitis ante veſtibulum do
nis, quæ deorum immortalium numini conſecrari ſolent,
læti, quia Scipionem videre contigiſſet, ad lares proprios
Liternũ. venerunt. ¶ †Vbi ſit Liternum.] Strabo libro quinto id 4
oppidũ eſſe ait Campaniæ, inter Sinueſſam & Cumas,
fluuiumq; eiuſdem nominis præterfluere. ¶ † Quare 5
illic exulauerit Scipio.] De hoc lege T. Liuij de bello
Macedonico & Aſiatico, librum octauum. ¶ †Diuiſio- 6
ne, partitione, dinumeratione.] Hæc quid ſint explicatũ
eſt libri primi capite ſeptimoq; & nono. Illud hoc loco
obſeruet lector, eandem eſſe, quàm hic dinumerationem
vocat Rodolphus, & quàm illic enumeratiõe. ¶ †Qui 7
Nouus nouus homo.] Ita dicebantur, qui nullas demonſtrare
homo. poſſent maiorum ſuorum imagines, aut illorum res ge-

*ſtas virtuteſq; iactare: ſed ſua ipſi virtute, ac induſtria*
*honores eſſent adepti. Sic Iphicrates ille Athenienſis,*
*obijciente ſibi quodam, quòd nouus homo eſſet: mei, in-*
*quit, generis ſplendor à me incipit, tui in te deſiuit. Et Ci-*
*cero in Salluſtiū: Ego, inquit, maioribus meis virtute mea*
*præluxi, vt ſi prius noti nō fuerint, à me accipiant initiū*
*memoriæ ſuæ: tu tuis vitæ, quam turpiter egiſti, magnas*
*offudiſti tenebras: vt etiam ſi fuerint egregij ciues, certe*
*venerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos viros*
*obiectare, ſatius eſt enim me meis rebus geſtis florere,*
*quàm maiorum opinione niti: & ita viuere, vt ego ſim*
*poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplū.*
8 ¶ † *Æneas itaq; apud Virgilium.*] *Secundo Æneidos.*
9 ¶ † *Punica regna vides.*] *Verba ſunt Veneris ad Æneā,*
10 *primo Aeneidos libro.* ¶ † *Sic apud Terentium: Placuit,*
*deſpondi.*] *Simonis illius Terentiani verba ſunt, in An-*
11 *dria.* ¶ † *Quid repetam exuſtas.*] *Sic Venus Aeneidos*
12 *libro decimo.* ¶ † *Quin natam egregio genero.*] *Drancis*
*oratoris verba ſunt, apud Virgilium libro vndecimo.*
13 ¶ † *Quod Dido ait.*] *Aeneidos libro quarto.* ¶ † *Demo-*
14 *ſthenes & Cicero.*] *De his Fa. Quintilianus libro deci-*
*mo, Oratores verò vel præcipue, inquit, Latinam eloquē-*
*tiam parem facere Græcæ poſſunt. Nam Ciceronem cui-*
*cunq; eorum fortiter oppoſuerim. Nec ignoro, quantam*
*mihi concitem pugnam, cum præſertim id non ſit propo-*
*ſiti, vt eum Demoſtheni comparem hoc tempore. Neque*
*enim attinet, cum Demoſthenem in primis legendum, vel*
*ediſcendum potius putem. quorum ego virtutes pleraſq;*
*arbitror ſimiles, conſilium, ordinem, diuidendi, præparan*
*di, probandi rationem, omnia deniq; quæ ſunt inuentio-*
*nis. In eloquendo eſt aliqua diuerſitas, denſior ille hic co-*
*pioſior: ille cōcludit aſtrictius, hic latius pugnat: ille acu-*

*Præſtare ſua virtute florere, quàm maiorum optnione niti.*

*Demoſthenis & Ciceronis comparatio.*

*mine ſemper, hic frequenter & pondere: illi nihil detra-
hi poteſt, huic nihil adijci: curæ plus in illo, in hoc natu-
ræ. Salibus certe & cõmiſeratione, qui duo plurimũ affe-
ctus valent, vincimus. Et quæ ſequuntur.* ¶ † Quod mo- 15
dum vocãt.] *Notũ eſt illud Heſiodi:* πλέον ἥμισυ παντός.

Modus.

Et Horatius: *Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos vltra citráq; nequit conſiſtere rectũ.* Item *Phocyli-
des:* πάντων μέτρον ἄριστον. &c. ¶ † Minus quidem erit 16
*ſententia culpandus.*] *His planè conſona ſunt, quæ ha-
bet Quintilianus libro quarto, capite de narratione. Et
rurſus libro duodecimo. Non enim tam obeſt, inquit, au-
dire ſuperuacua, quàm ignorare neceſſaria. Cicero tamẽ
in oratore: In omnibusq; rebus, inquit, videndũ eſt, qua-
tenus. Etſi enim ſuus cuiq; modus eſt, tamen magis offen
dit nimiũ quàm parũ.* ¶ † *Nec ſanè eſt vlla maior eloquẽ-* 17
*tiæ fax.*] *Quantam vim habeat in excitando oratore co
rona aſtantium, de ea re nonnihil attigimus libro primo.*

Pluſne an minus dicendo magis peccemus.

¶ † Dominos *ſeruis ſuis monoſyllabos eſſe.*] *Solent enĩ* 18
*domini imperioſiores rem indignam cenſere, ſi pluribus
verbis ſit vtẽdũ ad ſeruos. Atq; adeo dimidiatis interim
ſemiplenisq; verbis ſat habent, ſi quid actũ velint, ſigni-
ficare. Quòd ſi quis paulò hebetior, nõ vel ex nutu, vel ex
duabus adſummum ſyllabis quid ſibi Chremes ille ſuus
velit, ſtatim intelligat, hui quæ tũ ibi obiurgationes? quæ
fulmina? quæ tonitrua? & quid nõ? Cælũ reuere credas,
& Iouem ipſum cum omni ſtrepitu ſuo inde decidere.*
¶ † *Tunc vtilitati cedent præcepta.*] *Quid enĩ ſtultius,* 19
*quid ineptius, quàm cum diſpendio cauſæ adhærere velle
præceptis? quæ in hoc modo ſunt inuenta, vt proſint, non
etiã, vt officiant. Porrò ad exactã totius huius capitis in-
telligentiã, plurimũ momẽti attulerint libri Eraſmi de co
pia, & quæ de narrandi breuitate præcipiunt rhetores.*

## DE DISPOSITIONE, AC PRIMVM EIVS ORATIONIS, QVÆ EXPO SITIONE CONSTAT.

*¶ Iam deinceps tractandum eſſe de diſpoſitione. Cæterum cum diſpoſitio certum aliquem requirat ordinem, idcirco prius videndum eſſe, quotuplex ordo ſit rerum. Huncq́; triplicem eſſe, naturalem, arbitrarium, artificialem. Atq́; ex his primum rurſus quatuor ſpectari modis, tempore, natura, propoſitione, & dignitate.*

### CAPVT VI.

DE ratione inueniendi, quam cõmodiſſimam crediderim, ſit nobis hactenus dictũ. Nec ſolũ quibus ẽ locis facienda eſſet, ſed qua facillime via nos ad inuentionẽ eius quod quæq; de re quæreretur perduceret, quàm potui conatus ſum apertiſſime tradere, dixiq́; quæcunq; vtilia huic inſtituto pro captu meo putaui, vt non optimo forſitan euentu, optima certe fide. Re-
liquũ eſt, vt de diſpoſitione pauca ſubiiciamꝰ. *Iam deinceps de diſpoſitiõe eſſe agendum.*
Et ſunt quidẽ pauca, quæ de ipſa dicãtur. Nec
enim res eſt, quæ conſtet ita multis præceptis.
Ariſtoteles in rhetoricis ne attigit quidẽ hanc
1 partẽ, † in octauo Topicorum perpauca tradi-
2 dit. † Nec multo plura Cicero & Quintilianꝰ,
quiq́; alii de ea re dixere. Quo excuſatiꝰ nobis fuerit, ſi breuius eã perſtringamꝰ. Quam quidem ſi præteriſſemus in totum, eam poteramus fortaſſe Quintiliani authoritate culpam tueri; qui cum de diuiſione, hoc eſt, de ratione

controuerſiarũ in ſingula quæſtionũ capita di
ducendarũ dixiſſet,copioſiſſimeq́; eſſet hũc lo•
cum executus,† de diſponẽdi deinde arte, nul 3
lis perpetuis legib⁹ ſtatui credidit poſſe,ſed cõ
ſiliũ ſumi ex præſenti rerũ cõditione.Ego quẽ•
admodũ inueniẽdi viã,ita collocãdi quæ inuẽ

*Eſſe vtiq; aliquã diſponendi rationẽ.*

ta ſunt,formã etiã quandã eſſe puto.Quæ qui•
dẽ vt varia multiplexq́; ſit,neq; in vniuerſum
demõſtrari queat:dicẽtur tamẽ ea quæ creber•
rime cõuenient facere.Extra quæ ſi quid res fe•
rat quod faciendũ ſit,idq́; ab his quæ dicta ſũt
diſcrepet,eorũ tamen collatione quæ plurimũ
obſeruauimus , præſenti quoq; vſui aliquod
ſuccurret conſiliũ. Vtq́; inter ſana numerãtur
morborũ remedia , quæ ſanitatis tẽpore alio•
quin perſæpe eſſent mala:ſic inter præcepta pu
tabitur,ſi quid ſit quod legẽ præceptorum fu•
giat,in eo quoq; ordinẽ pręceptorũ vitaſſe.At

*Cauilli notio.*

difficile erit inuenire,quod Quintilianus cre•
didit inueniri nõ poſſe. Erit quidem difficile,
poterit tamen fortaſſe. Vtq́; à nobis nõ poſſit,
vel in hoc tamẽ conãdũ,vt noſtro errore aliis
cauſam demus felicius iſtã tentãdi. † Cũ ſit au• 4
tẽ diſpoſitio (vt Cicero inquit) diſtributio re•
rũ,quæ demõſtrat , quid quib⁹ locis cõueniat
& collocandũ ſit, non abs re fuerit fortaſſe vi•
dere in primis,quotuplex ſit ordo rerũ,quẽ in

*Triplex rerũ ordo.*

diſponẽdo ſequamur.Is mihi triplex maxime
videtur.Aliæ ſunt ẽm res,quæ ſtatutũ quendã

&c certū inter ſe habent ordinē: vt annus prior
ad annū ſequentē. Aliæ vero ſunt res, q̃æ vel
non habēt ordinē: vel quanquā poſſet earum
cert⁹ eſſe ordo aliquis, nos tamen nullū ſequi-
mur: ſed ſolū vtcūq; alia alii aptiſſime ex dicē-
di occaſione ſubtexi poteſt, ꝓinde ſubiūgitur.
5 †Quale eſt apud Liuiū, cū de Papyrio curſore
dicit, quòd oēs hunc maxime, ſi Alexander ar
ma in Italiā vertiſſet, illi parē deſtinaſſēt; hinc
ſumpta occaſione, quærit, quis fuerit euent⁹ fu
turus, ſi bellū Romanis Alexander intuliſſet.
Tertio loco eſt, cū rerū ordinē conſulto turba-
mus: & quæ priores ſunt, poſteriore loco poni
mus: Vt cū prius eſſet dicere, quomodo capta
fuerit Troia, deinde quomodo ex lōga naui-
gatione Aeneas vi tēpeſtatū tandē ſit in Afri-
cam eiectus: quod poſtremū eſt, Virgilius pri-
mo libro narrat: deinde priora illa ſequētibus
duobus exequitur. Primus ordo naturalis eſt.
Secūdus arbitrari⁹ (ſi ita volum⁹) dici poteſt.
Tertius eſt, quē artificialē vocāt. ¶ Et natura-
6 lis quidē ordo in quatuor iſtis poſit⁹ eſt, †ꝓut
aliud alio pri⁹ poſteriuſ've quadrupliciter di-
citur. Eſt ēm prius aliquid tēpore, vt dies he-
ſternus ante hodiernū, & hodiernus ante cra-
ſtinū. Et aliud prius exiſtēdi neceſſitate, vel (vt
aliter loquimur) prius natura, id eſt autem hu
iuſmodi, vt ſi hoc ſit, non ideo neceſſe ſit aliud
exiſtere: ſi autem exiſtat aliud, neceſſe ſit hoc

*naturalis, arbitrarius, artificialis.*

*Naturalē ordinem quatuor modis ſpectari: tempore, natura, poſitione, dignatiõe.*

vtiq; exiſtere. Hoc ergo prius eſt, vt ſi ſit ani-
mal, non oportet idcirco hominem eſſe: ſed ſi
homo eſt, conſequens vtiq; eſt & animal eſſe.
Prius ergo animal eſt homine. Hoc pacto
prius eſt genus ſpeciebus, partes toto, cauſæ
euentis, ſubiectum adiacentibus ſuis. Dicun-
tur & alia alijs priora poſitione, vt per †fretum 7
Gaditanum in orientem nauiganti, prior eſt
Hiſpania quàm Gallia: & hæc prior quàm Ita
lia, †poſt quam Peloponeſſus ſequitur. Sic con 8
trarium dirigẽti curſum, prior quàm Italia Pe
loponeſſus erit: & deinceps vt antea quodq;
fuit prius, ita nũc fiet poſterius. Sic & per homi
nis eunti membra, primum, ſi deſcendamus,
caput erit, poſtremi pedes, ſic aſcendẽti, primi
pedes erunt, caput vltimum, mediorum vero
ſic vnumquodque prius erit, vt huius vel il-
lius ordinis primo fuerit propius. Poſtremo
dicitur prius, quod eſt dignatione præſtãtius.
Sic prior eſt conſul prætore, & tribuno prętor,
& aurum prius argento, & argentum orichal
co dicimus. Conuertimus tamen interim, &
ab infimo ordinem ducimus: primumq;, non
quod optimũ, ſed quod viliſſimũ facimus, ſic
in magiſtratibus quæſturam primam, poſtre-
mam dictaturam: & in metallis plumbum pri
mum, aurum poſtremum numeramus. niſi ta-
men hunc ordinem malimus non naturalem
ſed artificialẽ potius videri. Plerũq; aũt fit, vt

id quod alia ratione prius dicitur, alia ſit poſterius. Vt tempore quidem, pueritia prior eſt quàm iuuenta, æſtimatione tamen & dignitate pueritiã iuuenta præcedit. Fieri itaq; poteſt, vt ordo qui alia ratione nõ naturalis eſſet, alio tamen captu ſecundum naturam ſit inſtitutus.

## SCHOLIA IN CAPVT VI.

1 *†In octauo Topicorum perpauca tradidit.*] *Ariſtoteles Topicorum libro octauo, non in vniuerſum de ordine ac diſpoſitione tractat orationis cuiuſque, ſed de ea ſola, quæ conuenit certaminibus ac conflictibus iſtis ſcho-*
2 *laſticis, aut vbi alioqui viua voce diſceptatio fit.* ¶ *†Nec multo plura Cicero & Quintilianus.*] *Quintilianus de diſpoſitiõe agit libro ſeptimo. Quo in loco inter alia multa dicit & hæc: Quapropter totus hic liber ſeruiat diſpoſitioni, quæ quidem ſi certa aliqua via tradi in omnes materias vllo modo poſſet, non tam paucis contigiſſet. Et paulo poſt: Sed meminerimus, inquit, ipſam diſpoſitionẽ plerũq; vtilitate mutari, nec eandẽ ſemper primã quæſtio-*
3 *nem ex vtraq; parte tractandã.* ¶ *†De diſponẽdi deinde arte.*] *Hic locus Quintiliani eſt inſtitutionum libro ſepti-*
4 *mo.* ¶ *†Cum ſit autem diſpoſitio, vt Cicero inquit, diſtributio rerum.*] *Sic fermè & Quintilianus: Diſpoſitio eſt vtilis rerũ ac partiũ i loco diſtributio. Et alio quodã loco: diſpoſitio eſt rerũ q; optimo ordine collocatio. In rhetoricis ad Herennium finitur hoc modo. Diſpoſitio eſt, per quam illa quæ inuenimus, in ordinem redigimus, vt cer-* *Diſpoſitio quid.*
5 *to quicque loco pronuncietur.* ¶ *†Quale eſt apud Liuium: cum de Papirio Curſore dicit.*] *Locus is quem de-*
6 *ſignat Rodolphus, eſt primæ decados libro nono.* ¶ *†Prout aliud alio prius poſterius've quadrupliciter dicitur.*] *Hæc eadem ferè Ariſtoteles in ijs quæ vocant poſtpræ-*

*dicamenta.quanquã is quintum ſignificatum addit, quo id prius dicitur,quod tametſi ſimul eſt tempore, tamen alterius cauſa eſt.Verbi gratia. Tempore nõ præcedit diẽ ſolis ortus,tamen quia cauſa diei eſt,idcirco prior eſſe dicitur. ❡ †Fretũ Gaditanum.] Quod iuxta Gades eſt in* 7
*Hiſpania. ❡ †Poſtquam Peloponeſſus.] de hac libri ſe* 8
*cundi capite decimo.*

### ❡ *Hiſtoriographis & poëtis,dum res exponunt, ſeruandum eſſe ordinem temporum. Quanquam non ab vtriſq; eodem modo id fiat.* CAP. VII.

*Hiſtoriographis & poëtis quis ordo ſpectandus,*

ORdinis ergo hæc ſunt diſcrimina. dicamus iam,quis ordo cui orationis generi conueniat, priusq́ de ea quæ expoſitione,deinde quæ argumentatione conſtat.Quę igitur expoſitionẽ habet oratio, ſiquidem rerum geſtarum ordinẽ aliquem decurſumq́ recenſet,naturalem temporum ſequitur ordinem. Idq́ nedũ ſeuerior & fidem captans lectorum hiſtoria, ſed lætius etiam liberiusq́ poëma, vt quod oblectandis ſolum auribus ſit deſtinatũ.

*Quo diſtent diſpoſitio poëtica & hiſtorica.*

Eſt tamen differentia poëticæ diſpoſitionis ab hiſtorica, vel maxima,quòd poëta ſolum quantũ ad ipſius,hoc eſt,ad narrantis perſonam pertinet,in ſpeciem ſequitur temporum ordinem : quãtum autem eſt ex rerum geſtarum natura,plerunq; perturbat eas , atq; â mediis orditur rebus : deinde quæ primæ fuerant,earum poſterius perſonæ colore alicuius aut alio quouis commento infert mentionem. Sic Virgilius ( vt notiſſimo vtamur

vtamur exemplo)ab nauigatione Aeneæ,qua in Africam tempeſtatibus delatus eſt, initium facit, quæ fuit circa finem erroris eius. Troiæ captiuitatem & labores eos,quibus ſeptimum a d id annum, circum maria iactatus ipſe Aeneas,ſecũdo deinde tertioq; libro narrat. Quibus in rebus ſi ſequamur colorẽ narrandi poẽtæ,naturalis quidem eſt ordo:prius enim erat, vt Aeneas tempeſtate appelleretur in Africam,quàm Troiæ excidium erroresque ſuos Didoni narraret. Sin vero res ipſas reſpicimus,non perſonas,quibus dat orationem poẽta,iam videmus contrarium naturali,id eſt artificialem ordinẽ eſſe. Prius enim neceſſe fuit capi Troiam,& Aeneam labores longæ nauigationis illius euoluiſſe,quàm ex Sicilia in Africam veniret:proinde quoq; artificialẽ hunc vocamus ordinem.Simile eſt in comœdia atque tragœdia. Si intuemur enim faciem rerũ quæ deducuntur in actũ, quæq; perſonarũ imitatione exprimuntur, naturalis videtur ordo. At totum vero fabulæ complexũ reſpicienti, cum perſæpe ab his quæ circa finẽ eius ſunt,incipiant ſcriptores: & quæ priora ſunt,perſonarum verbis per occaſionem explicentur:quęq; prima ſunt,ea vltimis quãdoq; iungantur: vt in Andria Terentij,ſimul naufragium Phãnię aperitur, & nuptiæ Pamphili Glyceriiq; confiũt.Hæc qui videat,facile eſt cognitu,arte au

thoris hunc ordinem, non rerum natura con-
ſtare. Facillime autem hoc poëmati contingit
in quo actus ſunt & perſonæ, quod δραματικὸν
Græci vocant. Quoniã paratum ferè eſt, quã-
libet orationem dare perſonæ: qua commodi-
tate fit, vt perſæpe dialogi quoq; laſciuiant, &
in quoduis vndecunq; libuit deflectant: præ-
ſertim ij qui paulo lætiores ſunt. Cuius rei a-
pud Græcos quidem, cum alios multos, tum
in primis apud Lucianum eſt videre expreſſa
plurimas in formas exempla. Heroico carmi-
ni non eſt tanta copia huius rei. Ergo & perſo-
næ quidem ordinem reuocant nonnunquam,
iam pictura res exprimuntur: iam vates, ma-
nes, oracula, & prçterita commemorant, & lõ-
ge poſt ventura prædicunt. Danda tamen his
omnibus in hac libertate eſt opera, vt ſi nõ re-
rum quomodo eæ geſtæ ſunt, temporum ta-
men, quibus, ſub alienis perſonis ſaluus ſit or
do. Hiſtoriæ, cuius prima laus eſt veritas, na-
turalis tantum ordo conuenit, ne ſi figmentis
iſtis aurium gratiam captet, fidem perdat. Er-
go ſi forte hiſtorico narrãdæ res eſſent Aeneç,
non ille incipiet inde, vnde Virgilius eſt or-
ſus. Sed ſi volet vtique Troiæ excidium narra
tione ſua cõplecti, ab ea faciet initium. Deinde
ſequentur errores Æneæ, hæcq; ſuis, non Ae-
neæ verbis erunt dicenda. Tum deniq; dicet,
quo pacto in Africæ littora ſit vi tempeſtatis

*Hiſtoricis q̃ ſeruandus ordo.*

eiectus. Iam ſi qua fiet mentio verborum Didonis, quibus illa Troiæ Æneæq́ casus ab ipſo percontata ſit, ſatis erit dixiſſe, omnia Æneam illi recenſuiſſe, & vrbis vltimam noctem, & pericula quibus iactatus ſit. Nec ſolum erit hic ordo ſeruandus in ratione temporum, ſed etiam eo modo prioris, quo diximus cauſam priorem eſſe euentis, & reliquis etiam ferè modis prioris. Nam & cauſæ rerū conſiliaq́ prius explicantur, & ſicubi inſignium virorum mentio interuenerit, deſcribuntur naturæ moresq́ eorum, quoniam & ipſi ſicuti authores geſtoresq́ rerum, natura præcedunt eas. Iam in locorum regionumq́ ſitu deſcribendo, diligenter poſitionem eorū ſequatur oportet: & orationē velut per loca circunferenti ſibi, vt primum quodq; occurrit, ſic aptiſſime primū dicetur.

¶ Quòd ſi plures res, & nullo inter ſe deuinctas ordine tractet hiſtoria, vt cum geſta eodē tempore plura deſcribet bella, quæ quāuis ſimul geruntur, ſimul tamen narrari nequeunt, in his ferè ſcriptoris arbitrio ſteterit, quas res priores, quas deinde explicare volet: conſuletq́ præcipue rerum notitiæ, & quo pacto poterunt illæ commodiſſime cognoſci, eum tradendarum faciet ordinem. Sic Liuius, quādo res ſecundo bello punico et in Italia & in Hiſpania, alijsq́ etiā locis nonnunquā vno tēpore geſtas ſcribit, ſi quādo Hiſpanićſes res ſumat

ſcribendas, longiore nonnunquã tractu proſequitur eas: ſicubi vero viſum fuerit, quãquã & interea aliæ fuerint aliis geſtæ locis: quo minus conciſa interim & interrupta mentio rerũ, altera cognitioni alterius obſtet. Sic Cornelius Tacitus, egregius in primis (ſi quid ego intelligo) author hiſtoriæ, longiores in Batauis res geſtas, & alio item loco multorum annorũ in Britannia bello cõiungit: tum rurſus ad aliarũ rerum, quas abrupit, ordinem reuertitur.

## SCHOLIA IN CAPVT VII.

*Quæ hoc capite citantur ex Virgilio & Terẽtio, ea omnia ſunt nota vel pueris. Quæ ex Liuio & Tacito afferuntur, ea quemadmodum hoc loco paucis explicari verbis haudquaquam poſſunt, ita ab eo, qui illorum libros cœperit euoluere citra negocium intellligi queunt. Quocirca nihil video quod hic remorari nos debeat, præſertim, cum quæ de poëmate dramatico, & de veritate cuſtodienda hiſtoriographis, dicenda erãt, ea explicata à nobis ſint, ſuperioris libri capite quarto & decimoſexto. Itaq; his miſsis, eorum quæ ſequuntur explicationem aggrediemur, modo vnum illud his addiderimus: circa finem capitis huius tam in ſcripto illo quo vſi ſumus, quàm in Louanienſi exemplari, eãdem planè eſſe lectionem, quam in his noſtris. Verumenimuero ſi quid in me ineſt iudicij, ſi quid omnino mutari fas eſt, auſim contendere, verba hæc: ſicubi verò viſum fuerit: redundare, at proinde expungenda eſſe. Quod num rectè an ſecus ita viſum ſit mihi, ſecum expendat lector.*

*¶ In tradendis artibus, primum refellendas eſſe ſententias eorum, qui contrà quàm nos ſenſerint. Deinde à generalioribus ſemper ad ſpecialiora progrediendum.*

CAPVT VIII.

IN tradendis artibus quæ maxime conueniat diſpoſitio, vnus ex omnibus Ariſtoteles libris ſuis exactiſſime videtur effinxiſſe, vir cũ omni ingenii laude multũ, tum neſcio an ordine rerum plurimũ admirandus. Quoniã autem hoc eſt propoſitum cuiuſq; docentis, vt ex notiorum contemplatione, ignotiora ſcrutetur, (qui ſolus eſt ordo nobis diſcendi) horumq; & aliorum ad alia collatione conſtantẽ quandam faciat de rebus fidem: nequit autẽ fides vlla de re fieri, niſi ſi qua contraria ſit accepta mentibus perſuaſio, ea prius euellatur: primũ eſt ergo, vt ſi quis dixerit aliquid ea de re quã tractamus aliter atq; nobis videtur, illiꝰ expugnemus ſententiam, ſi modo is ſit, cuius mẽtio iure habeatur. Nam temeraria cuiuſquam aſſertione permoueri, ineptum eſt. Vt autem ſecuritatis hoc eſt, contẽnere leuiora: ita modeſtiæ præbet ſpeciem, diſſimulaſſe eos, quorum vſu eſt opinioneq; cunctorum recepta authoritas: aut quibꝰ alioqui debetur ea veneratio, vt contradictione illorum magis ſimus irritaturi audientiũ animos, quàm nobis adiũcturi. Sed hæc iudicii ſunt magis. Quod ordinis

*Quis ordo ſeruandus in tradẽdis artibus.*

eſt,hoc ſufficiet dixiſſe, maxime naturale eſſe, vt antequã noſtra confirmemus, amoliamur aduerſa. Deinde cũ noſtra explicauimus, à generalioribus, quoniã notiora ſunt, ſemper ducendus erit ordo. Deinde per ſpecies eundũ. Et hæ ipſæ ſpecies rurſus fortaſſe, ſi tam late pateant, genera fiẽt, inq́ alias erũt ſpecies diducẽdæ. Singula ergo vt primũ quodq́ ſumimus, ſic erunt deinde tractanda: vt dicatur, quæ ſit ſubſtantia eorum, quod definiẽdo fit: ſi tamen eiuſmodi res ſit, vt ſit definienda: notiores eñ ſunt nonnunquã, quàm vt hac indigeãt cura. Tũ quæ partes ſint rei, dicendũ: ſi ſint ea natura, vt poſſint aliquæ earũ fieri partes. Hinc ea, quæ propriȩ naturæ cuiuſq́ adiacẽt, dicentur, hoc eſt, vis illa, qua agit & patitur, & ea ipſa quæ agit quæq́ patitur, & quæ reliqua ſubſtãtiã rei circunſtãt. Illud tamen meminerimus, ſolũ de re quaq́ dicẽdũ, id quod eo loco, quo de re dicimus, intra cõplexum rei veniet, ea ratione, quia ipſam tractamus. Nã qui de tuẽda ſanitate hominis, doctrinã inſtituet, dicet ille quidẽ de homine, nõ tamen vtiq́ dicẽda ſibi ſumet omnia, quæ tractari de homine poſſunt, nec quid ſit mens hominis, nec quæ ſint officia vitæ ad virtutẽ ducẽtia, nec quo pacto paretur homini eloquẽtia. Pertinent hæc quidem ad hominẽ oĩa, ſed nõ ea ratione, qua ſibi hîc eũ aſſumpſit, id eſt, qua ſanitatem tueri poteſt,

1 † Adeoꝗ fortaſſe non defuerit Ariſtoteli, qui
cauilletur, qđ in libris quos de phyſico audi-
tu inſcripſit, de loco dixerit & vacuo. Quoniā
his libris de eo quod mouetur in cōmune diſ-
ſeruerit, ad cuius tractatū, locū & vacuū nō vi
deri pertinere: ſed his potius libris debuiſſe de
eo dici, quib⁹ de eo quod ad locū mouetur diſ
ſerit, qui de cælo & mūdo vocatur. Sed datur
ferè iuſta libertas hęc magnis ingeniis, vt quē-
admodū locupletes patresfamiliâs in domib⁹
ſuis aliqđ licētius citra reprehēſionē inſtituūt,
ita & doctiſſimi viri indulgeāt quandoꝗ ani-
2 mis ſuis, † ſatisꝗ rationis ſit, illis ita placuiſſe.

## SCHOLIA IN CAPVT VIII.

1 A † Deoq; fortaſſe non defuerit Ariſtoteli, qui cauilletur.] *Rectè illud, cauilletur. Nam Ariſtoteles huius ordinis ac diſputationis ſuæ cauſam nō*
2 *planè futilem affert initio tertij libri Phyſicorum.* ¶ † *Satisq; rationis ſit, illis ita placuiſſe.*] *Quemadmodū dicere ſolebant auditores Pythagoræ, αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit.*
¶ *Quis ordo ſeruandus ijs, qui res varias multiplicesq;, nec vlla certa ratione cohærentes deſcribunt.*

## CAPVT IX.

AT cum variæ multiplicesꝗ res in vnum quoddā iungentur corpus, *Diſpoſitio in rebus multiplicibus.*
quale eſt, † qui hiſtoriā animaliū,
1
2 † aut plātarum, aut totius etiam re-
rum naturæ (quemadmodū Plinius) cōplexi

ſunt,qualet qui facta dicta'ue clarorum viro- rum memorabilia, quale qui multiplicem & non vnius corporis rerum commemoratio- nem contexunt:his aut per ſpecies rerum diſ- poſitio inſtituitur,redduntur'q; cuncta ſuis ge- neribus,quemadmodum Plinio à cælo ordié- ti,deinde deſcendenti in terras, eiuſque natu- ram in commune reddenti, tum per partes re- gionesq; omnes proſequenti,deinde animan- tia & inamina omnia per ſuas diuiſa differen- tias explicanti.Sic Valerius Maximus,res me morabiles,per virtutum officiorumq; huma- norum genera diſpartiuit. Hoc pacto medici, morborum faciunt ordinem, ex partibus hu- mani corporis, & à capite ad pedes deducũt.

¶Eſt etiam in quibuſdam,non liberum modo videre,&(quem arbitrarium diximus) ordi- nem,ſed ad res planè ſolutum, & omnis pror- ſus ordinis expertem. Vt apud Ouidium in Metamorphoſi:qui in ſumma quidem rerum deductione,temporum quandam ſeruat ima- ginem:verum in fabularum ordine,quoniam diuerſiſſimæ ſunt,nec facile in ordinem redigi poſſunt,libertate illa,& (vt ita dicam) poëtico luſu figurarum omnium vtitur, quibuſcũque tranſitio ad connectendas res fieri poteſt,quo commiſſuram quãdam rerum nequaquam in- ter ſe cohærentium aſſequatur. Diſpoſitionis itaq; loco in iſtis,eſt rerum contextus, nexasq;

eas & quidem diligẽtiſsime,ordinatas autem dicere non poſſis.Similiter Cornelius Tacitus in deſcriptione morum Germaniæ, cũ dixiſſet non eſſe Germanis aurum & argentum, tandem ſubiecit,ne ferrum quidem ſupereſt,ſicut ex genere telorum colligitur. Ex cuius verbi, hoc eſt telorum mentione, ad arma inſtitutionemq́ rei militaris quę apud Germanos eſt delabitur. Deinde cum in fœminarum mentionem,quòd hæ ſpectatrices etiam teſtesq́ pugnantibus adhibeantur,poſtq́ dicat venerationem haberi pleriſque earum,non adulatione, nec tãquam faciant deas,hinc cõtinuo ſubdit, deorum maxime Mercurium colunt: morẽq́ religionum hinc ſumpta occaſione,proſequitur. Abrumpit tamen nonnunquam hanc texturam,ne nimia et proinde leuior affectatio deprehendi poſſit.Eſtquidem hoc ordinis genus accommodatiſſimum hiſtoriæ, cuius narrationem volubilem & nuſquam inſiſtentem eſſe conuenit. quod non efficeret, ſi certis finibus diſtincta conciſaq́ eſſet,& ſingulæ partes ſuis eſſent diſcretæ ſpacijs. Nũc adeò ſunt nexa omnia,vt ſemel propemodum incipere, ſemel deſinere videatur. Quod ſi eadem hæc tractẽtur, non ab hiſtorico,ſed à laudatore,vel qui aliâs quomodolibet diſputantis præ ſe ſpeciem ferat, is ea diſtinguat, digeratq́ per ſpecies dicatq́ primum, quæ natura regionis, quæ for-

ma hominum, deinde, quis cultus erga diuina, quales bello, quales pace, cū publice tum priuatim, frugalitate vitæ, ſeueritate matrimoniorum, cultu liberorū, qua erga principes veneratione, erga populares æquabilitate, erga hoſpites beneuolentia, erga oēs fide, reliquaq; vel ad hūc modum, vel aliū quemlibet, dum tamen appareat ordinem certum ſequi eū, dicereq; vnamquanq; rem non eo loco quo ſit oblata, ſed quo ſit ab initio diſpoſita, atq; deſtinata. Libera tamen & hæc ipſa diſponendi ratio eſt, vel propter hoc, quòd ad nullam vnā ordinis legem poteſt alligari. Quiſq; enim ordinem qui ſibi viſus eſt inſtituit: nec rerum naturam, ſed animum ſuum ſequitur.

## SCHOLIA IN CAP. IX.

Q†Vi *hiſtoriam animalium.* ] *Vt Ariſtoteles.* 1

¶ † *Aut plantarum.* ] *Vt Theophraſtus.* 2

¶ † *Qui facta dicta'ue clarorum virorū.* ] *Vt Valerius Maximus, & in apophthegmatis Plutarchus.* 3

*¶ Quam diſpoſitionem eſſe conueniat in expoſitione oratoria.*

## CAPVT X.

*Diſpoſitio expoſitionis oratoriæ.*

LIBERA ferè eſt etiam oratoria expoſitio ea, quam diximus alteri⁹ rei docendæ gratia parari ſolere: hactenus tamen libera, vt ordo eius non ex dicentis voluptate, ſed cauſæ vtilitate naſcatur. Quoties tamen res ipſa non obſtabit,

temporum ordo fuerit aptiſſimus. Quòd ſi pri mæ narrationis partes aſperiores fuerint, fauo rabiliores reliquæ, nō ab re fortaſſe ſit, eis, quæ benignius accipiētur, occupare animos, & ad priora deinde figura aliqua reuerti. Aut ſi forte feſtinabit auditor, quo languenti adhuc animo eius morem geramus, optimum fuerit ab eis incipere, quibus notitia cauſæ continetur. At vbi excitatus fuerit, incaluerintq́; aures ei⁹ oratione, tum ſi qua fuerint altius repetenda, vt ſæpe ſolent, præcedunt enim pleraque cauſam longius, quibus præcipuus fauor, maximaq́; eius continentur momenta, ea cum quæſtiones explicabimus, quibus aptiſſime iungi poterunt, tum erunt inſerēda. Quam quidem rem vtilem eſſe, facilius eſt ratione colligere, quàm authorum exemplis, quoniam rectus ille melior vtique eſt ordo, quàm iſte neceſſitate detortus. Qui mādat autem literis actionē, quæ ſunt optima, ea ſcribendo maxime cupit exprimere, ne ſi aliter faciat, non auditoris importunitas, quę ex ſcriptis cognoſci nō poteſt, defendenda in ea, ſed ſua ipſius inſcitia culpāda videatur. Iam verò partimur interim narrationem, & id quod alio loco vtilius dici poterit, reſeruamus, vt in declamatione, quæ, gemini languentes, inſcribitur, Quintilianus facit. Cum enim ordo mortis quo alter ex geminis in alterius ſalutem occiſus dicitur,

plurimũ inuidiæ reo mouere potuiſſet, ad epilogum maluit deferre eũ, quòd vehementiori affectui hic aptior eſſet locus. Cicero item pro Cluentio, cũ prioris cauſæ narrationi, quæ iudicii corrupti erat, continuo mortem Oppianici, & quæſtiones de eo habitas ſubiungere potuiſſet, maluit deferre eam ad propriũ cauſæ ſuæ tractatũ, quæ ea de re peragebatur. Contra verò matris odium, quod proprium illius erat cauſæ, cuiꝗ nihil negocii cum cauſa corrupti iudicii erat, id tamen primum putauit narrandum. Eratꝗ alioqui temporis ordine primum: quod quanquam non fuiſſet primũ, tamen narrandum fuiſſe contẽderim: quoniam matris, qua tota cauſa maxime premebatur, detrahenda ante omnia fuit authoritas. Itaꝗ quanquã pars narrationis videri poteſt, quẽadmodum & eſt vtiꝗ narratio, vſum tamen & affectum propemodum eius partis exordii præbet, qua aduerſariorum odio, nobis beneuolentiam conciliamus. Eiuſdem etiam prudẽtiæ cõſiliiꝗ eſt, quòd non nudũ rerum ordinẽ continua narratione cõplectitur, ſed ſubinde erumpit in affectus: & quibuſdã, velut digreſſionis, aut indignationis cauſa, ventis conturbat. Cuiuſmodi eſt à principio ſtatim: nã Saſſia mater huius Habiti (mater enim à me nominis cauſa, tametſi in hunc hoſtili odio & crudelitate eſt, mater inquã appellabitur) & quæ

ſequuntur. Deinde non ita multo poſt: O mulieris ſcelus incredibile, & reliqua itē. Tum in fine huius partis effuſi⁹, Iam initiū quod huic cum matre fuerit ſimultatis audiſtis. Sic & in Oppianici criminibus recenſendis, poſt nuptias Saſſiæ & Oppianici: Sentio, inquit, iudices vos pro veſtra humanitate his tantis ſceleribus breuiter à me demonſtratis vehementer eſſe cōmotos. Et paulò poſt iterū de Auria fratris vxore prægnante ſublata. Rurſus maiore copia poſt Scamandri Fabritiiq́ condēnationem de ratione iudicii corrupti, cū velut aditum aperit, vt id nō à Cluentio, ſed ab Oppianico doceat eſſe corruptū. Videmus itaq; hac narrandi diligētia artificioq́ ſic iaci ab eo fundamenta cauſæ, vt ſi etiam nullas deinde ſubiiceret probationes, nihil tamē ferè plus iudex deſideraturus videretur. Quod autē ordinis eſt, temporū rectus hac tota narratione ſeruatus eſt decurſus, quod autem artis hic eſt in diſponendo, id in eo eſt, quoniā ſubinde contextus eius interrumpitur: quod quidem ſæpius, quàm vt temporum ordo turbetur, in hoc genere narrandi contingere ſolet.

## SCHOLIA IN CAPVT X.

*Nihil ineſt in hoc capite, quo explicato ſit opus, præterquam quæ ex Quintiliani Geminis languentibus, & Ciceronis pro Cluentio oratione afferuntur. Verum ea eiuſmodi ſunt, vt niſi omnibus*

*Orationes rhetorũ aliter nõnũquam ſcribi, quã dici.*

*ferme illorum verbis aſcriptis, hoc loco ſatis explicari nõ queant. Quod cum nimis quàm lõgum foret, & libri illorum vulgo in manibus habeantur, rectius qui volet inde petient. Innuit præterea Rodolphus, orationes oratorum aliter nonnunquam ſcriptas eſſe quàm dictas. Cuius rei quodam in loco facit mentionẽ & Fabius. Et Aſconius Pædianus Ciceronẽ id pro Milone feciſſe teſtatur.*

## DE DISPOSITIONE EIVS ORATIONIS QVAE ARGVMENTATIONE CONSTAT.

*¶ Obiter quomodo diſponendæ ſint ipſæ orationis partes, quæ ſunt exordium, narratio, confirmatio, epilogus.* CAP. XI.

*Quis ordo ſeruãdus argumẽtandi.*

ALiam diximus rationem eſſe diſponendæ orationis eius, quæ conſtat argumentatione, quales ſunt ſcholaſticæ contentiones, ciuiliumq́ rerum controuerſiæ, & quæcunq́ demum repugnanti auditori ſunt approbandæ. In quibus videndum erit, quis ſit ordo quæſtionũ inter ſe, quis item in ſingulis quæſtionibus argumẽtationum, tum quis partium argumentationis cuiuſq́.

*Partes orationis quo ordine collocandæ.*

¶ Erit fortaſſe, qui partiũ orationis diſponendarum oblitũ me putet, credátq́ hãc ante alia explicandam fuiſſe rationẽ. Nec id ſanè me latebat, nec præteriſſem, ſi vlla huius rei crederem tradenda eſſe præcepta. aut eſſet alius ordo earũ, quàm quo numerari ſolent, quiq́ ex vſu earum colligitur, & quẽ ipſis penè præ-

ferunt nominibus. hoc eſt, vt primum ſit procemium, hinc narratio, tum confirmatio, poſtremus epilogus. Nā quoties id eſt orationis genus, vt aliquæ partium iſtarum ſint ei ſuperuacuæ, tum cum deſint, nihil eſt quod de earum ordine dicatur. ¶ Illud verò neceſſitatis potius quàm præcepti fuerit, quoties vel occupatio auditoris, vel temporis anguſtia cogit nos, vt ſpecie feſtinationis, faſtidium audientis fallamus, incipiamusq; à narratione: tum velut digreſſione quadam, quæ fueramus ante narrationem dicturi, dicamus ante cōfirmationem, ſubijciamusq; narrationi procemium. ¶ Vt tamen non inutiliter huius loci tractatum attigerimus, illud interim admoneamus, non ſolum in initio dictionis, procemij vſum venire, ſed in medio quoque orationis decurſu, ſicubi vel noua quæſtio tractetur, vel locus aſperior, ſolere præmuniri ea, & aliquando quod procemij vicē habeat, aures placari. quemadmodū in oratione pro Cluentio, cuius modo ſum v-
1 ſus exēplis, †Cicero de cēſoria nota dicturus:
2 & paulò poſt, †cū Cluentiū lege defendere vellet, et oſtēdere lege corrupti iudicij tātū iudicē, nō etiam eum qui ad corrūpendū coiſſet, tene-
3 ri. †Sic pro Murena Catoni reſpōſurus, pluri mis verbis cōtēdit à iudicib⁹, vt Catonis authoritatē aduerſus reū pro prꝫiudicio ne accipiāt.
4 †Scio iſtud à rhetoribus tū πρόληψιν, id eſt, præ-

*Quādoq; & in media oratione vtēdum eſſe procemio.*

ſumptionem,tum præmunitionem vocari,nu
merariq́ à quibuſdam inter figuras ſententia-
rum.Quod ſiue hoc,ſiue procemij nomine vo
cetur,non magni referre crediderim, dummo
do conſtet tamen eundem eſſe vſum eius, ex
eiſdem duci rebus , ex quibus procemiũ peti-
tur.Quod tamen cur non ita vocent , non vi-
deo quid ſit cauſæ. Nam cum & narrationem
præcedere argumentatio poſsit,†cuiuſmodi 5
ſunt quæſtiones quæ pro Milone tractãtur an
te narrationem,& epilogus in media dictione
fiat,†vt in Verrem de Philodami ſupplicio, 6
†& de Nauarchorum item, Ciceronem vide- 7
mus feciſſe:cur nõ etiam & procemiũ & nouũ
quoddam principium mediæ inſeratur dictio
ni,ſi præſertim noua tractetur quæſtio, vel lo-
cus aliquis qui curam eam poſtulet, & in quo

*Quo ſenſu confirmationẽ ſemp̄ præcedat narratio.*

magna cauſæ momẽta verſentur? Id aũt quod
ſolet de narratione præcipi,vt ea confirmatio
nem præcedat,ſic accipiẽdum eſt, vt eius quæ
ſtionis cuius narratio eſt,præcedat confirma-
tionem.Quod ſi queſtionem eam,alias neceſ-
ſe ſit quæſtiones præcedere , nimirum neceſſe
erit priores quoq; cõfirmationes earũ explica
ri.Quemadmodum eo in loco de quo iam di
ximus pro Milone factũ videmus.Cum enim
narratio quæſtionis eius eſſet propria,qua inſi
dias ſtruxiſſe Clodium probare voluit:quid at
tinebat narrari,niſi probatum antẽ foret , inſi-
diatorem

diatorem & latronem iuſte occidi, & nihil neque à Senatu, neque à Cn. Pompeio cōtra Mi
8 lonem eſſe præiudicatum? †Similiter pro Cluẽtio in quæſtione veneficij, nullo vſu ea quæ ad exitum pertinebant Oppianici, ſuperiori narrationi ſubnectebantur, quanquam rerum cōtinuus eſſet ordo, ergo ad proprium quæſtio-
9 nis ſuę tractatũ illam reſeruauit orator. †Quin etiam in hac ipſa quæſtione, cum ex priore orationis parte nota iam eſſent Oppianici crimina, argumentationes quæ ex cauſis perſonisq́ ducebātur præpoſuit narrationi. At cũ ex re ipſa & tormentorũ ratione, quibus aduerſarij cōtra Cluentiũ vtebantur, confutandi eſſent: tum demum, quoniā ea cōtinebantur narratione, ſubiecit illam, ſimulq́ iudicum conſuluit tædio, qui longam iā orationẽ audiendo defeſſi, ſi rurſus narrare fuiſſet orſus, quoniā longius adhuc dicturum credere poterant, offenſiores fuiſſent. At cum in media rerũ velut ſpacia, ipſos argumentando rapuiſſet, quanquā tũ narraret, apparebat tamẽ eum rẽ paucis, id quod fecit, eſſe abſoluturum. Sed de partibus orationis hæc obiter admonuiſſe ſufficiat, nunc ergo quod inſtituimus proſequamur.

## SCHOLIA IN CAPVT XI.

1 *Cicero de Cenſoria nota dicturus.*] *Cn. Lentulus, & L. Gellius cenſores, notarant Cluentium, quaſi is iudicium illud corrupiſſet, quo damnatus fue*

*rat Oppianicus. Qua de re verba facturus Cicero, primũ aures placat, ac velut aditum ſibi munit ad aures iudicũ. vt videre eſt in ipſa pro Cluentio oratione.* ¶ † *Cũ Cluentium lege defendere vellet.*] *Lex erat primum dicta Sempronia, deinde Cornelia de ſicarijs & veneficis, quæ lex præter alia multa, & de eius capite quæri iubebat, qui cũ aut ſenator eſſet, aut magiſtratum geßiſſet, aut tribunus militum legionibus quatuor primus fuiſſet, tamen coiſſet, conueniſſet, conſenſiſſet, falſum ve teſtimonium dixiſſet, vt quis iudicio publico damnaretur. Hac ergo lege Cicero defenſurus equitem Romanum Cluentium, quaſi is ea lege non teneretur, mira quadam arte inuidiam huius defenſionis, primum à Cluentio, deinde à ſe etiã ipſe repellit. Cuius rei anſam ei præbuerat T. Attius accuſator: qui inter accuſandum delatus huc erat, vt diceret iniquißime acturum Ciceronem, ſi legis præſidio Cluẽtium defenderet: quando æquißimum foret, omnes iiſdem teneri legibus: quod illius axioma, manibus (quod aiunt) pedibusq; reijcit Cicero. Quod autem addit Rodolphus, lege corrupti iudicij ſolum teneri iudicem, non etiam eum qui ad corrumpendum coiſſet: ei dicto planè refragantur ipſa legis verba, id quod facile animaduertet is, quiſquis ipſam legerit Ciceronis pro Cluentio orationem, cuius diſputatio huc ſpectat, legem hanc Semproniam pertinere ad magiſtratus, ſenatores, & ad eos qui primis quatuor legionibus fuiſſent tribuni militum: ac Cluentium nihil horum omnium eſſe, ſed tantum Romanum equitẽ: proinde hac lege poſtulari illum non poſſe. Plura qui volet, legat iureconſultos pandectarum libro duodequinquageſimo, ad legem Corneliam de ſicarijs & veneficis. Quorum verba aliquot aſcripſimus libri ſuperioris capite 10.* ¶ † *Sic pro Muræna Catoni reſponſurus.*] *Muræ* 5

*Lex Sempnia, ſeu Cornelia de ſicarijs & veneficis.* 2

nam conſulem deſignatum, lege Calphurnia de ambitu reum fecerant Seruius Sulpitius & M. Cato, is qui Vticæ ipſe ſibi mortem conſciuit. Hūc ergo Murænam defenſurus Cicero, poſteaquam Seruio reſpondiſſet: deinde reſponſurus Catoni, Venio nunc, inqt, ad M. Catonē, quod eſt firmamentum ac robur totius accuſationis: qui tamen ita grauis eſt accuſator & vehemēs, vt multo magis eius authoritatē q̄ criminationē pertimeſcā. in quo ego accuſatore, iudices primum illud deprecabor, ne quid L. Murænæ dignitas illius, ne quid expectatio tribunatus, ne quid totius vitæ ſplendor & grauitas noceat, deniq; ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, vt multis prodeſſe poſſet. Bis conſul fuerat P. Africanus, & duos terrores huius imperij Carthaginem Numātiamq; deleuerat, cum accuſauit L. Cottā. Erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides, ſumma integritas: authoritas tanta, quanta in imperio populi Romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc maiores natu dicere audiui, hāc accuſatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuiſſe. Noluerunt ſapientiſſimi homines, qui tum rē illam iudicabant, ita quenquā cadere in iudicio, vt nimijs aduerſarij viribus abiectus videretur. Quid Sergium Galbam? nam traditum memoriæ eſt: nonne proauo tuo fortiſſimo atq; florentiſſimo viro M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem, populus Romanus eripuit? Semper in hac ciuitate nimis magnis accuſatorum opibus, & populus vniuerſus, & ſapientes ac multū in poſterū proſpicientes iudices reſtiterunt. Nolo accuſator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam, non authoritatem excellentem, non nimiam gratiā. Valeāt hæc omnia ad ſalutem innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium calamitoſorum. In periculo verò & in pernicie ciuium

Murenæ cauſa.

repudientur. Nam ſi quis hoc forte dicet, Catonē deſcen-
ſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi prius de cauſa iu-
dicaſſet, iniquam legem iudices & miſeram cōditionem
inſtituet periculis hominū: ſi exiſtimabit iudicium accu-
ſatoris in reum, pro aliquo præiudicio valere oportere.
πρόληψις ¶ †Scio iſtud à rhetoribus tum πρόληψιν, id eſt præſum- 4
ptionem. ] Quintilianus libro nono: Mire verò in cau-
ſis, inquit, valet præſumptio, quæ πρόληψις dicitur: cum
id quod obijci poteſt, occupamus. Id neq; in alijs partibus
rarum eſt, & præcipue prooemio conuenit. Sed quāquam
generis vnius, diuerſitas tamen ſpecies habet. Eſt enim
quædam præmunitio, qualis eſt Ciceronis contra Q. Cæ-
cilium, quod ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defen
derat. Quædam confeſſio: vt pro Rabirio Poſthumo, quē
ſua quoq; ſententia reprehendendū fatetur, quod pecu-
niam regi crediderit. Quædam prædictio: vt, Dicā enim,
non augendi criminis gratia. Quædam emēdatio, vt, Ro-
go ignoſcatis mihi ſi longius ſum euectus. Frequentiſſi-
ma præparatio, cū pluribus verbis, vel quare facturi quid
ſimus, vel quare fecerimus, dici ſolet. ¶ †Cuiuſmodi ſunt 5
quæſtiones, quæ pro Milone tractātur ante narrationē. ]
Tres ſunt quæſtiones, quas diſcutit Cicero in oratione
Miloniana antequam narrat. Prima, ecquid ei fas ſit in-
tueri lucem, qui hominem quoquo modo à ſe occiſum fa-
teatur. Altera, de præiudicio facto à ſenatu. Tertia, de Pō
peij præiudicio. ¶ †Et in Verrem de Philodami ſuppli- 6
Philodamus. cio. ] Hic Philodamus ciuis Lampſacenus fuit, cuius fi
liam quomodo per vim contenderit violare Verres, &
quo deinde modo patrem ipſum vnà cum filio, iniquiſſi-
mo iudicio damnandum occidendumq; curarit, tertia in
Verrem actione explicat Cicero. ¶ †Et de nauarchorum 7
item. ] De horum longe miſerrimo caſu ſupplicioq; mul

8 ta Cicero in Verrem actione ſeptima. ¶ † Similiter pro
Cluētio. ] Hanc cauſam iam ſemel iterumq́; attigimus,
eſtq́; hic locus eiuſmodi, vt intelligi plene non queat, niſi
9 perlecta oratione tota. ¶ † Quin etiam in hac ipſa quæ-
ſtione, cum ex priore orationis parte nota iam eſſent Op-
pianici crimina, argumentationes quæ ex cauſis perſo-
niſq́; ducebantur, præpoſuit narrationi ] Sic quidem no-
bis legendum videtur, etiamſi exemplaria habebant ad
hunc modum: Quin etiam in hac ipſa quæſtione, cum ex
primæ orationis parte, notæ iam eſſent Oppianici duæ
vtique perſonæ, &c. Quæ lectio ſi cui magis probabitur,
liberum ei per me quidem erit ſequi quod volet. Scripto
exemplari, quamobrem hac vtiq; parte minus eſſet ha-
bendum fidei, illud cum primis mihi videbatur eſſe ſat
cauſæ, quod qui hanc partem deſcripſerat, neq; enim ab
Rodolpho ſcripta erat, is hoc loco aliquantum ſpacij re-
liquerat vacuum, cui pòſt ab alio quopiam quædam ex
his verbis quæ recenſuimus erãt inſerta. Accedebat huc,
quòd vbi prior ille librarius, quiſquis tandem is fuit, non
ex primæ (quemadmodum certis indicijs poterat depre-
hendi) ſed ex priore orationis parte, ſcriptum reliqne-
rat: ibi hic poſterior, paucis literis immutatis, priore illud
in primæ traſformarat. Vt taceam interim, & alia quædã
hoc loco in eo exemplari deprauata ſic eſſe, vt omnino
diſsimulari non queant. Quod genus eſt, quod prope cal-
cem capitis legitur oportebat, vbi ab Rodolpho, nõ opor-
tebat, ſed apparebat ſcriptum fuiſſe, negari haud poteſt.

¶ Quo ordine in oratione ea, quæ argumentatione conſtat, ipſæ inter ſe diſponendæ ſint quæſtiones.

## CAPVT XII.

*Quæſtionũ, alias prorſus eſſe diuerſas, alias ex vna aliqua generali quæſtiõe deſcẽdere.*

QVAESTIONES quæ veniũt
in orationẽ ( quoniam de earũ di-
ſpoſitione primũ dicere ordo pro-
poſitus nos admonet ) ex quan-
doq; ſunt prorſus diuerſæ, neq; ab aliquo ca-
pite deſcendunt. †Vt omnia in Verrem repe- 1
tundarum crimina. Singula enim ſuam capiũt
quæſtionem: quæ ſuis tabulis, teſtimoniis, de-
cretis, argumentis confirmantur. Nec redigi-
tur alia ad aliã, quandoquidẽ vnaquæuis per
ſe, repetundarum crimen, in quo ſumma iudi
cii verſatur, continet. Tale eſt cum quæritur à
philoſophis, an materia diſtinguatur à quãti-
tate & habeat ſine illa partem diſcretam à par-
te. Vtrumuis enim horum per ſe quæri poteſt,
vt alterum de altero negetur aut affirmetur.
Aliæ ſunt quæſtiones, multæ quidem, ſed ab
vna deſcendentes origine, †quemadmodum 2
ſecundo libro demõſtrauimus multas ab vna
deduci quæſtiones, dicimusq; naſci alias ex
verbis ipſis quæſtionis, alias in verbis inclu-
ſas eſſe, alias ex conditione quadã accipi. Quę
omnia cuiuſmodi ſint, illic explicata ſunt à no
bis. ¶ Quoties igitur venient in orationem di-
uerſæ quæſtiones, ipſisq; ( vt diximus ) fonti-
bus diſcretæ, ſiquidem nihil alteri explicandæ
ab altera afferetur, liberũ erit vtiq; de qua vo
lemus primũ diſſerere. Niſi ſit grauior aliqua,
quæ plus ad explicandũ poſcat laboris, & re-

*Non reſerre quo ordine explicentur quæſtiones cæ, quarũ al-*

liquæ vel ad dicēdum tenuiores ſint, vel ad approbandum faciliores, tum recēti adhuc & nulla audiendi moleſtia fatigato auditori, re-ctiſſime obiicietur ea, cuius difficultas alacres requirat aures: maxime, quod minoribus po-ſtea, & velut appēdicibus vel feſſus etiam be-nignius intendet. Deinde quòd pronior erit in iſta fides, cum dicentis authoritas maioribꝰ approbandis fuerit conformata. Cū fuerit em̄ animis accepta ex oratione priore perſuaſio, incipiemus deinde non dictioni modo crede-re, ſed homini. ¶ At cum quæſtionis alterius fi-des alteri quæſtioni innixa quomodolibet eſt, de ea quæ aſtruendæ alterius in ſe continet mo-
3 menta, priꝰ eſt dicendū. † Vt ſi quæratur à pri-
4 ſca philoſophia, † an ſit animꝰ humanꝰ immor-talis, ſitq; ſummū hominis bonū virtꝰ: ei quidē
5 † qui veteris Academię voluiſſet eſſe, id quod prius eſt, prius explicandū fuiſſet, immortalē eſſe animū: deinde, qđ iā hinc ꝓbari aliqua ex
6 parte poteſt, † virtutē eſſe ſūmū bonū: quoniā manentibꝰ poſt mortē animis, multū videatur noſtra intereſſe, recte ſecus've vitā peregiſſe. Contrà verò cū dixiſſet Epicureus, non virtu-
7 tē † ſed voluptatē ſummū eſſe bonū, ꝑmagno ad id ſibi fuiſſet adiumēto, docere cū corpori-bus interire animos. Ideo em̄ ſtultiſſimū vide-retur, ſplēdida virtutū noīa ſectari: cūq; mors ſupra ceruicē īmineret, vltro nos præmori, &

*tera nihil fiaciat ad explican dā alterā.*

*Inter quæſtiones quarū altera alteri innititꝰ, eas eſſe principio explicādas, è quibus cæteræ dependent.*

exiguis his vitæ bonis fraudare noſmetipſos in vita. Huic ergo idē fuiſſet ordo ſeruandus. At Stoico, qui cum virtutem non ſummū modo bonum, ſed ſolum putaret, attamen credebat interire animam, quandoq; quidem ſimul cum corpore, quandoq; vt poſt corpus maneret, tandem & diſſipari tamen atq; emori, libera fuiſſet ei ratio, vtram harū quæſtionum præponere maluiſſet. aut ſi quis eligendus ordo, prius de virtute dixiſſet, tum de interitu animi, ne de illo prædixiſſe, ſequētis de virtute orationis detraheret fidei. Hinc & in ciuilibus cauſis videmus quęſtiones eas, quæ magis ad inuidiā reorum quàm ad ſummā iudicij pertinebant, quia ab eis firmari cauſa, non eæ firmari à cauſa videbantur, & ab accuſatoribus præpoſitas eſſe, & à patrono prius eſſe confutatas. †Vt in Murenæ cauſa, ſolutius eū in Aſia verſatū eſſe ſaltaſſeq;. Pauciora quidem hæc. †At in Cœlium tam multa, vt longe maxima pars patrocinij ſit de criminibus, quę ſunt extra cauſam. Ergo cum ſint adiumenta cauſę iſta, prius à Cicerone deliniuntur: Pro Cluentio contra, quoniam crimina defenſa corrupti iudicij cauſa, liquide poterant videri ab accuſatorū odio profecta, iſta aūt confutata nihil iudicij corrupti cauſam adiuuiſſent, idcirco Cicero in finē ea cōiecit orationis. ¶ Cum vero ab vna prima quęſtione, multas deducimus alias quæſtio-

*Quæ primū ponēs*

8 9

nes, quod pleriq; diuiſionẽ rhetorum vocarũt *de inter*
10 (†quam vtilem quidem ante omnia neruis at *quæſtiões*
que oſſibus controuerſiæ inueniendis Quinti *eas, quæ*
lianus rectiſſime ſimul & eruditiſſime dixit) tũ *ex eadem*
hæc obſeruãda diſpoſitionis erit ratio, vt pri- *generali*
11 mas eas ponamus quæſtiones, quæ ex ipſis na *quæſtiõe*
ſcũtur verbis. Proximas, quæ incluſæ ſunt in *deſcẽdũt.*
verbis. Poſtremas, quæ ex conditionibus acce
dunt. Quod ita eſt accipiendum, ſi rerũ de qui
bus quæritur ſit ea natura, vt poſſint ex eis om
nia hæc quæſtionum genera deduci. Quòd ſi
res ipſæ aliquod horum generum non admit
tẽt, in eis tamen quæ ſuſcipient, præſcriptus or
do ſequendus erit. primumq; quæſtiones eas
quæ naſcũtur ex verbis, quecũq; demũ erunt
rectiſſime excutiemus, antequã ſequentiũ ge-
nerũ attingamus quæſtiones. Hæ ſunt enĩ quę
ſtiones, quibus an ſit aliquid, quęritur: quas
veluti in præſumpto neceſſe eſt eſſe, priuſquã
quicquã vlla de re quærere poſſimus. Deinde
per ſingula verba quæ continẽtur quæſtione,
ducimus ordinem quæſtionum. Primum qui-
dem earum, quæ verbis incluſæ ſunt, vt quęq;
maxime generalis eſt, ſic primã facimus. Pòſt
ſequuntur quę minus late patent, ſic, vt poſtre
ma ſit, quæ contractiſſima. Tum cõditionales
ſubduntur, quas & ipſas quoq; per generales
ſpecialesq; diuidimus ſingulatim. Conditio-
nalium vero inter ſe non facile eſt dare certã

vllam diſpoſitionis legem, niſi ſit in eis quæ-
ſtio, quæ poſſit alii quæſtioni firmamenti ali-
quid afferre, quemadmodum prædiximus, ea
ſemper prius erit tractādа, quod ſi nō ſit, tum
primam facimus quæſtionē aliquam, quæ ma
iore vi mētem auditoris occupet: poſtremam
vero, quę ad probandum plurimum poſſit: in
medium, quod ſolet in agmine fieri, debilio-
res recipiuntur. ¶ Sumamus exemplum paulo
liberius, quò facilius poſſimꝰ hæc oīa vna quę-
ſtione cōplecti. Quæramus ſit'ne inter laudes
Achillis numerandū, † quòd Pētheſileam ad 12
Troiā occiderit. Primū eſt, fuerit'ne Achilles,
fuerit'ne Troia, fuerit'ne Pētheſilea. Nā quę de
Amazonibus Troiaq; dicuntur, nō defuerūt
authores, qui vetuſtatis hæc commēta potius,
quàm veritatis monumēta putauerint: vt'que
non omnino, maxima tamen ex parte ſcripto-
rum libertate conſtare. Deinde iam eſt, an occi-
derit Achilles Pentheſileam, an occiderit ad
Troiam. Hinc ſequitur iam id quod quæſitū
eſt initio, an ſit inter laudes ei ducendum. Cer-
tum eſt, aduerſariis non poſſe de hoc vllo pa-
cto conuenire, niſi cōuenerit prius de illis quæ
priora ſunt. Ergo ſi quid illorū eſt quod in du-
bium vocare velimus, neceſſe eſt præcedat id
tractatum huius quęſtionis de qua ſumma cō
tentionis eſt. Et hę quidem quæſtiones in ver-
bis ſunt. Poſt hęc incluſas verbis tractamus, in

quibus ferè obſeruatum eſt apud authores, vt ex ordine proinde vnumquodq; verbum, vt primum eſt, per omnes quęſtiones explicent: generales primum, deinde conditionales. Mihi rectiſſime ordo ex occidendi verbo incipere videbitur: vt, an fuerit cuiuſquam offendere aliquem: deinde, an occidere: pòſt, an occidere Pentheſileam. Quam per cōditiones iam diuidimus, an occidere mulierem, an mulierē armis conſpicuam, an nobilitate memorabilē, an auxilium iure ferentem patriæ, amico, regi, afflictæ fortunæ. Iam an'ne fuerint hæc Achillis, cuius generalē quæſtionem præpoſuimus, cum diximus, an fuerit cuiuſquam. Ergo & ipſum per conditiones diuidemus: an occidere hanc fœminā fuerit viri fortis, an Græci, an præſtantiſſimi inter eos, an his maioribus orti, an hoc pacto inſtituti. Poſtremo iam ſequitur (quia multum intereſt excuſes tantum aliquod factum, an laudem ex facto vindices) an ſit propter iſta laudādus. ¶ Nec hæc eò pertinent, quo credam has omnes quæſtiones, vel & alias multo plures, quę ex quęſtione iſta poſſunt deduci, excutiendas eſſe dicenti: ſed vt in eis quas viſum fuerit, quasq; expediet explicare differentē, oſtendamus vberius in hac copia, quis faciēdus ſit ordo. ¶ Non eſt quod putemus, ſolum principio quæſtionū, quæ ex diuiſione naſcuntur, habendam diſponendi

rationem,quinctiā & ſingulæ quæſtiones rurſum diuiſione diſponuntur.†In declamatione 15
quæ Mathematicus inſcribitur apud Quintilianum,quoniā tota propè controuerſia ex eo pendet,quod fingitur in themate,mathematicum prædixiſſe, virū fortē, deinde parricidā fore,qui naſceretur:quæſtio conditionalis eſt, an ſatis magna cauſa volūtariæ mortis ſit prędictio mathematici.Quod ſi doceatur verum dixiſſe,ſatis vtiq; magna erit cauſa, hocq; eſt in quod probaturus incūbit. Præmittit tamen quæſtionē,an etiā ſi falſum dixerit, ipſa tamen denunciatio tanti ſceleris debeat ſatis eſſe cauſæ cōſciſcendæ mortis.Poſt hāc iam ſequitur, an verū dixerit.Id autē obtineri nō poteſt,niſi antè probetur,artē eſſe mathemathicā. Quod ex duabus pendet quæſtionibus : an ſyderum motu res humanæ regantur:&,an poſſit is humano deprehendi ingenio.Quæ cum vtraque docuiſſet,tum colligit, & hūc mathematicum verū dixiſſe:idq; multis argumentatioib⁹ peruincit.†Cicero ſimiliter in ſecunda Philippica, 14
cū reſpondet Antonio obiicienti ſibi ingratitudinem,neceſſe erat,ſi debebat conuinci ingratitudinis, vt accepiſſet aliquid ab Antonio. Deinde,vt quod accepiſſet, beneficium eſſet. Poſtremum illū gratiā non habuiſſe Antonio. Huncitaq; ordinē ſequitur. At beneficio (inquit) ſum vſus tuo. Quo? Negat ſcilicet. Dicit

tamen id ſemper prę ſe tuliſſe. Subiicit deinde, Sed quo beneficio? quod me Brunduſii nō occideris? Docet id, quod acceperit, beneficium nō eſſe. Poſtremo, ſed ſit beneficiū, quādoquidē maius à latrone accipi nullū potuit, in quo potes me dicere ingratū? †Sic etiā cōtinuo pòſt de literis ſuis, cū eas recitaſſe reprehendit, primum coarguit inhumanitatē eius, qui literas vllas recitādas putet. Deinde, quas ſi ſuas eſſe neget Cicero, probare nequeat illius eſſe. Demum, vt agnoſcat eas, ſicuti facit, nihil eſſe in eis quod accuſare poſſit Antonius. Quiſquis viderit iſta, diligenterq́ perſpexerit, facile cognoſcet, quo modo cuncta hæc velut gradib⁹ quibuſdā ducantur: vtq́ perueniri ad ſequentia niſi per priora non poſſit, ſi modo ea quæ priora ſunt, dicēda credamus. Adeoq́ prioribus adiuuātur ſequētia, vt quāuis priora forte ſatis cōſtanter teneri nō poſſint, ſequentium tamē integra plerunq́ maneat fides. Mutatur tamen hic ordo quæſtionū, vt eiuſdē generis quæſtionū alia aliis in cauſis ſit diſpoſitio. Vt pro Muręna, de criminibus quæ extra cauſam erāt, primū dixit Cicero, quoniam leuia & inania nulliusq́ momenti erāt, vt ſubleuatis illis atq́ contēptis, totius accuſationis authoritatē pondusq́ primo aditu videretur ſubleuaſſe. Vnde tanquā ex illa fiducia erupit, vt diceret, Bene habet, iacta ſunt fundamenta defenſio-

*Epicuri fuit, quam apud Ciceronē primo libro de finibus defendit Torquatus.* ¶ † *Vt in Murænæ cauſa, ſolutius eū* 8
*in Aſia verſatum eſſe, ſaltaſſeq́;.* ] *Obiecerant enim Cato & Sulpitius Murænæ Aſiam, & præterea ſaltatorem eū Cato appellarat: quæ duo crimina diluit Cicero, prius quàm ad reliquas duas accuſationis partes progrediatur.*
¶ † *At in M. Cœlium tam multa.* ] *Nam cum auri à Clo*- 9
*dia accepti & veneficij eſſet accuſatus Cœlius, tā multa præter hæc obiecta illi fuere, vt vel minimam Ciceronianæ orationis partem occupent ea, de quibus erat conſtitutum iudiciū.* ¶ † *Quam vtilem quidem ante omnia ner*- 10
*uis, atq; oſſibus controuerſiæ inueniendis Quintilianus rectiſsime ſimul & erudiſsime dixit.* ] *Libro ſeptimo.*
¶ † *Quæ ex ipſis naſcuntur verbis.* ] *Quæ quæſtiones ex* 11
*verbis ipſis naſcantur, quæ've ex ijs quæ verbis incluſa ſunt, de his lege libri ſecūdi caput vndecimum.* ¶ † *Quod* 12
*Pentheſileam ad Troiam occiderit.* ] *Hæc Pentheſilea regina Amazonum fuit, conſanguinea earundem reginæ Hippolytes, quam ſuperius diximus occiſam fuiſſe ab Hercule. Qua perempta, Pentheſilea exul cum ſuis, Priamo contra Græcos auxilio venit, in eoq́; bello ab Achille occiſa eſt. Sic ferè Diodorus.* ¶ † *In declamatione quæ* 13
*Mathematicus inſcribitur.* ] *Eius declamationis argumentum eſt eiuſmodi: Vir fortis optet præmium quod volet. Qui cauſas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, inſepultus abijciatur. Quidam de partu vxoris mathematicum conſuluit. Is reſpondit, virum fortem futurum qui naſceretur, deinde parricidam. Cum adoleuiſſet qui erat natus, bello patriæ fortiter fecit, reddit cauſas voluntariæ mortis, pater contradicit.* ¶ † *Cice*- 14
*ro ſimiliter in ſecunda Philippica.* ] *Verba Ciceronis habent ad hunc modum: At beneficio ſum vſus tuo. Quo?*

*Pentheſilea* | *Hippolyte.*

*Quanquam*

Quanquā illud ipſum quod cōmemoras, ſemper præ mē
tuli. Malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquā minùs
prudēti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio? Quòd
me Brunduſij non occideris? quem ipſe victor, qui tibi, vt
tute gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis princi-
patum, ſaluum eſſe voluiſſet, in Italiam ire iuſſiſſet, eum
tu occideres? Fac potuiſſe. Quod eſt aliud P. C. beneficiū
Latronum, niſi vt cōmemorare poſſint, ijs ſe vitā dediſſe
quibus non ademerint? Quod ſi eſſet beneficiū, nunquam
ij qui illum interfecerunt, à quo erant ſeruati, tantam eſ-
ſent gloriam conſecuti. Quale autē beneficiū eſt, quod te
abſtinueris à nefario ſcelere? qua in re non tam iucūdum
videri mihi debuit, non interfectum à te: quàm miſerum, id
te impune facere potuiſſe. Sed ſit beneficium, quādoquis-
dem maius à latrone accipi nullum potuit: in quo me po-
tes dicere ingratū? An de interitu reipub. queri non de-
15 bui, ne in te ingratus viderer? &c. ¶ † Sic etiam conti-
nuo pòſt de literis ſuis.] At etiam literas, inquit, quas me
ſibi miſiſſe diceret, recitauit homo & humanitatis ex-
pers, & vitæ communis ignarus. Quis enim vnquā, qui
paulum modo bonorum conſuetudinem noſſet, literas ad
ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in me-
diū protulit, palámq; recitauit? Quid hoc eſt aliud, quàm
tollere è vita, vitæ ſocietatem? tollere amicorum collo-
quia abſentium? Quàm multa loca ſolent eſſe in epiſto-
lis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? Quàm mul
ta ſeria, neq; tamen vllo modo diuulganda? Sit hoc inhu-
manitatis tuæ, ſtultitiā incredibilem videte. Quid habes
quod mihi opponas homo diſerte, vt Muſtelæ, Thami-
ſio, & Tyroni Numiſio videris? Qui cum hoc ipſo tem-
pore ſtent cum gladijs in conſpectu Senatus, ego quoque
te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quo modo ſis eos inter

*ſicarios defenſurus. Sed quid oppones tandem? Si negem me vnquam iſtas literas ad te miſiſſe, quo me teſte cõuinces? An chirographo, in quo habes ſciẽtiam quæſtuoſam? Quî poßis? ſunt enim librarij manu. Iam inuideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantã iam proferam, nihil ſapere docuit. Quid eſt minus, non dico oratoris, ſed hominis, quàm obijcere aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, longius progredi non poßit qui obiecerit? At ego non nego, teq́; in iſto ipſo cõuinco non inhumanitatis ſolum, ſed etiam amentiæ. quod enim verbum in iſtis literis eſt non plenum humanitatis, officij, beneuolentiæ? Et quæ ſequuntur. Porrò, de Murænæ, & Plancij cauſa non eſt cur hoc loco quicquam dicamus, cum antea de vtraque dixerimus.*

*¶ Argumentationum, quibus ſingulæ quæſtiones confirmantur, quæ debeat eſſe diſpoſitio.*

## CAPVT XIII.

*In genere demõſtratiuo non ita magni referre, q̃ præcedãt argumẽtationes, & quæ ſequantur.*

ARgumẽtationum diſpoſitio in eis, 1
atque ἐπιδεικτικὰ Græci, Cicero de-
monſtratiua vocauit: quæ videlicet
ad oſtentationem tantum volupta
temq́; audientium diſſeruntur, ex arbitrio ferè
pẽdet eius, qui dicit, abundeq́; ſatis fecit, ſi de-
corẽ, cuius ſolius eſt cura ſibi, diſpoſitione con
ſequitur. Huiuſmodi ſunt laudationes, vitupe
rationes, †& panegyricorũ pleriq;, qui ex lau- 2
datione in ſuadẽdi quandam imaginẽ nonnũ-
quã deſcendunt. †Quoniam autẽ laudãtur bo 3
na, vituperantur cõtraria: in homine quidem
laudamus animi bona, vt ſciẽtias, vt virtutes.

Corporis verò & fortunæ bona laudamus dupliciter, vel quia bonorũ animi ſunt indicia: vt vires, quia continẽtiæ ſignum ſunt: opes, quia frugalitatis, vel quia bene ſit vſus, vt opibus ad liberalitatẽ, viribus ad fortitudinem. Contraria quoq; interpretatione vituperamus hęc ipſa, & horum contraria. Per ſe enim, nec bona ſunt, nec mala: ſed ex eius qui habet ingenio accipiũt nomen. In reliquis rebus laudamus vtilitatẽ, quã præbẽt nobis: & ea præcipue ꝑte bona cenſemus, qua proſunt. Sic deũ, patrẽ, rectorem rerũ noſtrarũ, cuſtodem, protectorem, datorem vitæ, proſperitatis, quietis omniumq; quæ felicium expetantur votis, fontem originemq; laudamus. Deinde ſimilitudine laudũ noſtrarũ: fortunæ quidẽ, quod nulli obnoxius ſit: corporis, quod malorũ omnium quę in nos incurrũt ſit expers: animi humanarumq; virtutum, vnde iuſtũ eum, clementẽ, lõganimẽ, propitium, ſapientem dicimus. Eadem ratione in equis, ex vſu noſtro, geſtandi arandiq; cõmoda narrãtur: quantum bello, quãtum pace no-
4 bis præſtent. † Tum quod alacritate ad pericula, fide aduerſus veteres dominos, patientia laborũ, manſuetudine, obſequioq; virtutes noſtras referũt. Ita in corporis bonis, robur, velocitas, decor. Ita ĩ fortunę, ſunt ornamẽta, phalerę, frena, cult9, et à maxĩa quaq; fortuna maxi-
5 ma cura eis adhibita. Similiter, † nõ apes mõ,

ſicut copioſiſſime Virgilius: † nec pſitaci, vt 6
Ouidius, vt Statius: ſed inanima quoq;, ſicut vrbes, portus, regiones, arbores, plantæ, lapides'q; laudantur.† Sic Plinius terram laudat, 7
quòd propter eximia merita cognomen indidimus ei maternæ venerationis. Vtilitas hæc eius eſt. Iam mitem, benignam, indulgentem, & vſus mortalium ſemper ancillã vocat. Iam venena noſtri miſertam inſtituiſſe putat. Imitatio quędã eſt hæc humanę probitatis. Nec ego ſum neſcius, iſta figuratè dici (propriè eñ qui poſſent?) ideo & imitationem dicimus. Hoc tamen conſtat, quod initio propoſui, ſimilitudine quadam virtutis iſta laudari, cum ſint reuera longiſſime ab ea remota. Sed de laude, quanquam non noſtri negocii nunc ea ſit, hæc velut in tranſcurſu non inutile fuerit attigiſſe. Late patet enim laus, & omnium ciuiliũ quæſtionum ratio prope ex eo fonte deſcendit. In iudiciis enim, quid æquum, quid iniquum ſit: in conſiliis, quid expediat, aut noceat, quæ cũcta vtilitatis honeſtatis'q; fine metimur. Quis autem non videat hæc omnia cum laudatione eſſe coniuncta: ſed tamen laudatio ex dicentis deſtinatione in aliud tranſit nomẽ. Laudationem verò tũc proprie ſignamus hoc nomine, cum laudamus rem nullum alium in vſum, niſi vt laudemus. In hoc itaq; orationis genere, quoniã præcipue voluptatẽ admirationem'q;

ſectamur audientium, quæ non contingit niſi
magnis quibuſdã recenſendis, quæ perſæpe
cum fidei etiã periculo petũtur, aut minoribus
in eũ modũ extollendis, vt magna videãtur:
ſic ergo nonnunquã inſtituitur diſpoſitio, vt
argumentationibus alia ſuper aliam increſcen
tibus, velut gradibus quibuſdã augeatur ora-
8 tio.†Qualis eſt apud Ciceronẽ laus clementiæ
9 Cęſaris, M.Marcellũ reſtituẽtis.†Et ad Quiri-
tes item laus beneficii P.R. quo ipſe eſt ab exi-
10 lio reductus.† Quę quomodo fiant, ſuperius
diximus. At in earũ rerũ laudibus recẽſendis,
11 quarũ ipſa ſibi ſufficit magnitudo:†vt in Pom
12 peii laudatione pro lege Manilia, † in vitupe-
13 ratione M.Antonii,† L.Piſonis, cęterorumq́;,
nihil eſt neceſſe ſeruare hanc extruendarum ar
gumentationũ legem. Sed aut diſpartimus bo
na per ſua genera, ſic, vt de fortunæ bonis, de
corporis, tum de virtutibus dicamus, ſingu-
lasq́; ſimiliter proſequimur, vt quicquid fecit
ad vnamquanq; virtutũ pertinens, id ad eam
redigamus, aut vitã totã, vt natus, vt educat⁹
eſt, vt ſeſe geſſit, per temporum ordinẽ digeri-
mus, aut ipſi nobis diſtributionẽ quandã effin
gimus, quod pro lege Manilia in laudãdo Põ
peio Cicero fecit. Quod fuit quidẽ faciendũ ſi-
bi, quoniã pura laus nõ fuit eo loco propoſita,
ſed in ſuaſionẽ vertebatur laudatio, nec Pom-
peium bonũ virum tunc probare voluit, ſed

vtiliſſimum imperatorem, in quo dixit quatuor illa eſſe oportere, ſcientiā rei militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem. Aut ſi multa ſint argumenta laudis, quorum magna alia, alia leuiora ſint, ne vel leuiora in vnum congeſta locum exilitate ſua vim orationis infringāt, vel eam maiora ſupra modum tollant, ordinē quem arbitrariū ſupra vocauimus ſequimur. Itaq; vt maiorum robore, leuiorum fulciatur debilitas: & rurſus tenuitate leuiorum, impetus maiorum temperetur, miſcemus ea, iungimusq; incredibilia probabilibus, ſplēdida obſcuris, inſignia ignotis, propria cum his quæ ſunt aliorum communia: vt hac miſtura, concinnatio quædam, & æquabilitas accedat orationi.

*Quis argumentationū ordo in genere deliberatiuo, & iudiciali.*

¶ †In his verò generibus, quæ fidem ſo- 14
lam quærunt: fidei quoque eſt ante omnia accommodanda diſpoſitio, id eſt, † quemadmo- 15
dum de quæſtionibus diximus, ſi ſint argumētationes, quæ non ſolum prodeſſe cauſæ poſſint: ſed ex quarum aſſeueratione reliquis argumentationibus aliqua parte veniat fides, vt eas aliis præponamus. Sic Cicero pro Milone in ea quæſtione, cuius ſæpe iam meminimus, qua diſputat, an poſſit vllus ab altero occidi iure: primū † opponit aduerſariis M. Ho- 16
ratium, qui ſororem occidit, abſolutusq; eſt P. R. ſententia. In quo velut naſcentis rei Roma- 17
næ exemplo, † legesq;, † & teſtimoniū ex fabu- 18

lis quæſitum,innixa ſunt. Similiter Quintilia-
nus in Mathematico,cũ probare vult, mathe-
maticum dixiſſe verũ,poſtquãm probauit ſy-
deribus regi res humanas, & eorũ vim poſſe
ab hominibus comprehendi,primũ argumen
tum ponit ipſam mathematici conſtantiã in re
ſpondendo:qui cum ea,quibus merito crede-
re conſulens cum pater nõ debuerit, tamen ni
hil texerit,ſed oĩa ſine diſſimulatione protule-
rit,pẽdet vtiq; præcipue quæſtionis iſti⁹ fides
ex mathematico. Quemadmodũ in futurorũ
omniũ prædictione,nulla re magis credimus,
quãm eius ſciẽtia fideq́;,qui prędicit. Rectè er-
go hoc argumentũ tanquã firmamentũ primũ
19 fecit.¶ †Præter hæc,ſi non ſit hæc in argumẽtis
ordinis cauſa,tamẽ ꝓxima ratio erit, vt aliqd
quod apud audictiũ animos multũ habiturũ
ſit viriũ,hoc primũ locem⁹: deinde debiliora
in mediũ recipiam⁹:poſtremũ faciamus id,qđ
arctiſſime auditorẽ teneat:quoniã eorũ,vt pro
xima,ſic eſt efficaciſſima memoria. Quintilia-
20 nus itaq; †in Milite Mariano,in prima quæſtio
ne,quã fecit,an licuerit eũ qui vim inferret oc-
cidere,primã cõfeſſionẽ cauſæ aduerſario ex-
torſit. Nõ (inquit) me hercule poſſum tenere,
quo min⁹ in accuſatorẽ dolor meus prorũpat.
Quid dicis? Tu ſi tribunus eſſes,hoc feciſſes? ſi
miles,hoc tuliſſes? Nihil ferè potuit efficati⁹ di-
ci pro cauſa,quãm quo vel imprudentiſſimus

etiam aduerſarius cogeretur ſecundum reum
pronũciare. In fine verò quæſtionis id poſuit,
quod quamuis non ad firmandum fidem cau
ſæ, tamẽ quod maius eſt, apud iudicis animũ,
potentiſſimum eſſe debuit. Itaq; cum inuaſiſ-
ſet luxuriam nobilitatis, quam maxime ſtude-
bat ſeueritate virtutibusq; premere C. Marius,
ſubiecit in fine, Dij profecto magnitudinem
tuam curant imperator ac dirigunt, qui tibi ſu
per cæteras laudes attulerunt tam honeſtæ ſen
tentiæ occaſionem. Quod miles fortiter fecit,

*Ordo argumentationũ in mouẽdis affectibus.*

ſi abſoluis, tuum exemplum eſt. ¶ †In affecti- 21
bus (quod et antè diximus) creſcere ſemper de
bet oratio, & quemadmodum inter argumẽta
tiones ea quæ affectus eſt capaciſſima, ſic in ip
ſo affectu quod potẽtiſsimum, recte ponetur
poſtremum. †Cum enim ſua ſpõte citiſſime a- 22
reſcant lachrymæ, turpe eſt eas dicentis frigo-
re ſiccari. Quod vt lachrymis, ſic in omni affe
ctu neceſſe eſt euenire, quoties is qui dicit, pro
poſitis efficacioribus & acrius in animum pe-
netrantibus, ad leuiora deinde velut deſtituta
omnibus oratione deflectit.

## SCHOLIA IN CAPVT XIII.

*Tria cauſarum genera.*

*Quæ ἐπιδεικτικὰ Græci, Cicero demõſtratiua vo- 1
cauit.] Tria, quemadmodum & ſupra attigi-
mus, cauſarum ſunt genera, demõſtratiuum, de
liberatium, iudiciale. Demonſtratiuũ vocãt, quod in lau-
dando vituperandoq; verſatur. Deliberatiuum, quod in*

ſuadendo, aut diſſuadendo, hortãdo dehortando ve conſiſtit. Iudiciale, quo accuſamus, aut defendimus, petimus, aut abnuimus. Ergo quod ad hunc attinet locũ, id quod Latini, Ciceronẽ in rhetoricas ſecuti, vocãt genus demonſtratiuum, Græcis ἐπιδεικτικὸν dicitur. De quo hũc in modum quintilianus libro tertio: Eſt igitur, inquit, vt dixi, vnum genus, quo laus, & vituperatio continetur: ſed eſt appellatũ à meliore parte laudatiuum. Idem alij demonſtratiuum vocant. Vtrunq; nomen ex Græco creditur fluxiſſe, nam & ἐγκωμιαστικὸν & ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam demonſtrationis vim habere, quàm oſtentationis videtur, & multum ab illo encomiaſtico differre. Nam vt continet laudatiuũ in ſe genus, ita non intra hoc ſolũ conſiſtit. An quiſquã negauerit, panegyricos ἐπιδεικτικοὺς eſſe? Atqui formã ſuadendi habẽt, & plerunq; de vtilitatibus Græciæ loquuntur: vt cauſarum genera tria ſint, ſed ea tum in negocijs, tum in oſtentatione poſita. Niſi fortè nõ ex Græco mutuantes demõſtratiuum vocãt: verũ id ſequũtur, quod laus & vituperatio qualeſit quicq; demõſtrant. ¶ †Et panegyricorum

Genus demonſtratiuum.

2 plerisq;.] πανήγυρις, laudem, feſtum, mercatum, cõuentũ ſignificat. Hinc λόγοι πανηγυρικοὶ, hoc eſt, orationes, quæ in laudem cuiuſpiam, aut alioqui in cõuentu populi, nõ tam vtilitatis, quàm demulcendarũ aurium voluptatiſq; gratia apud Græcos dici ſolebant, etiamſi nonnunquam (vt iam ex quintiliano oſtendimus) & ſuadendi habebãt formam, & de vtilitatibus Græciæ loquebantur, id quod nec

Panegyris.

Panegyrici.

3 Rodolphus diſſimulat. ¶ † Quoniam aũt laudantur bona.] De his Fabius quintilianus libro tertio, capite nono. & M. Cicero cũ multis alijs in locis, tum etiã in partitionibus. ¶ † Tũ quod alacritate ad pericula, fide aduerſus veteres dominos.] De hac equorum laude & amore

4

aduerſum dominos multa legere eſt apud Plinium libro
octauo,capite vigeſimoquarto.¶ +Non apes modo,ſicut 5
copioſiſſime Virgilius. ]Quarto Georgicon.¶ +Nec pſi 6
ttaci,vt Ouidius,vt Statius. ] Ouidius ſecundo libro ele-
giarum deplorat ſimul ac laudat pſitacum mortuū.Idem
facit Statius ad Meliorem libro ſecundo ſyluarū. ¶ +. Sic 7
Plinius terram laudat. ] Libri ſecundi capite ſexageſi-
moquinto.¶ +Qualis eſt apud Ciceronem laus clemen- 8
tiæ. ] De hoc ſupra,huius lib.cap.3. ¶ + Et ad Quiri- 9
tes. ] In oratione qua gratias egit Po. Rom. quòd ſe ab
exilio reuocaſſent.¶ + Quæ quomodo fiant,ſuperius di- 10
ximus. ] Huius libri cap.3. ¶ + Vt in Pompeij lauda- 11
Lex Ma- tione pro lege Manilia. ] Manilius tribunus plebis le-
nilia. gem rogarat,qua Cn.Pompeio decerneretur bellum Mi-
tridaticum.Eam legem diſſuaſere ſummi viri ac princi-
pes ciuitatis Catulus ac Hortenſius, ſuaſit Cicero: &
quidem ita ſuaſit,vt bonam totius orationis partem deſti
narit recenſendis laudibus Pompeij, cuius laudationis
mentionem hic facit Rodolphus. ¶ + In vituperatione 12
M.Antonij. ] In quem plenis,quod aiunt, velis inuehi-
L.Piſo. tur Cicero philippica ſecunda. ¶ +Et L.Piſonis. ] Hic 13
eſt ille L.Piſo,qui cum Gabinio conſul erat id temporis,
quo in exilium actus eſt Cicero. Qui cum poſtea ſenatus
authoritate,ac populi iuſſu, eſſet reſtitutus in patriam:
orationem habuit in ſenatu de prouincijs conſularibus:
idq; ea oratione effecit,vt ambo COSS. Piſo inquam &
Gabinius à prouincijs reuocarentur.Quare vehementer
offenſus Piſo,de inſectatione Ciceronis queſtus eſt in ſe-
natu,grauiterq; in illum inuectus, maxime fiducia Cæ-
ſaris generi ſui,qui tum Gallias obtinebat. Ergo huic re-
ſponſurus Cicero,ita eum retaliat,vt grauiſſima ei in ſe-
natu obijciat crimina, omniq; e ū genere vituperationis

proſcindat. Atq; hæc eſt vituperatio illa Piſonis, cuius
14 meminit hoc loco Agricola. ¶ † In eis verò generibus,
quæ fidem ſolam quærunt. ] Quorum hic eſt finis, vt ve-
ra credantur eſſe quæ dicuntur, vt eſt genus deliberatiuũ
15 & iudiciale. ¶ † Quemadmodum de quæſtionibus dixi-
16 mus. ] Capite proximo. ¶ † Opponit aduerſarijs M. Ho-
ratium. ] Hic qua arte amiſſis duobus fratribus, tres il-
los Curiatios, deinde & ſororem ipſe ſuam occiderit, nar
17 rat Ti. Liuius libro primo ab vrbe cõdita. ¶ † Legesq́;. ]
Duodecim videlicet tabularum, quæ furem nocturnum
quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defendiſſet, impu
18 ne ſinebant interfici. ¶ † Et teſtimonium ex fabulis quæ-
ſitum. ] Ait enim, non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſi-
mos homines memoriæ prodidiſſe, eum Oreſtem, qui pa-
tris ſui Agamemnonis vlciſcendi cauſa, matrem Clytæ-
mneſtram necauiſſet, variatis hominum ſententijs, ſa-
19 pientiſſimæ deæ Palladis ſententia liberatum. ¶ † Præ-
ter hæc, ſi non hæc ſit in argumentis ordinis cauſa. ]
Hoc ipſum Fabius libro quinto, capite de vſu argumen-
torum, & Cicero item non vno in loco docet, nempe fir-
miſſima argumenta in principio & fine locanda eſſe, de-
20 biliora velut in medium agmen recipienda. ¶ † In milite
Mariano. ] Cuius declamationis iam ſemel iterumq́;
21 meminimus. ¶ † In affectibus, quod & ante dixi-
22 mus. ] Libri huius capite tertio. ¶ † Cum enim
ſua ſponte areſcant lachrymæ. ] Sic Quintilianus li-
bro ſexto. Nunquam tamen debet longa eſſe miſera-
tio, nec ſine cauſa dictum eſt, nihil facilius quàm lachry-
mas inareſcere. Nam cum etiam veros dolores mitiget
tempus, citius euaneſcat neceſſe eſt illa, quam dicendo
effinximus, imago: in qua ſi moramur, fatigatur lachry
mis auditor, & requieſcit, & ab illo quẽ cœperat impetu

*Oreſtis fabula.*

*Lachrymas cito areſcere.*

*ad rationem redit. Non patiamur igitur frigeſcere hoc opus, & affectum cum ad ſummum perduxerimus relinquamus, neq; ſperemus fore, vt aliena quiſquam diu ploret. Et in partitionibus Cicero, Cito enim (inquit) exareſcit lachryma, præſertim in alienis malis.*

*¶ Tametſi naturalis quidem partium argumentationis ordo is ſit, vt propoſitiones ſemper præcedant, ſequatur cõcluſio: & in ratiocinatione, primus locus cedat maiori, ſecundus minori, tertius concluſioni, tamen ordinem hunc adeò anxie obſeruandum non eſſe, quin interdum mutetur: ne dum nimis theologice pro & contra voluimus arguere, in meras incidamus ineptias.*

## CAPVT XIIII.

*Naturalis ordo partiũ argumentationis.*

PARTES argumentationũ quã capiant diſpoſitionem, non eſt certis vllis comprehẽdere præceptis. Quæ ſint autem partes argumentationis, † proximo libro ſatis multis executi ſumus. Et naturalis quidem ordo eſt earum, vt pręcedant propoſitiones, deinde ſequatur id, qđ ex eis efficitur. In ratiocinatione quoq;, prima ſit maior propoſitio, ꝓxima ſit minor, poſtrema concluſio. Sic in inductione, priores ſunt ſpecies aut partes, quàm genus aut totũ quod colligitur ex eis. Velle tamen hanc legẽ vſquequaque obſeruare, frigidę prorſus eſt & friuolæ cuiuſdam neſcio an curæ dicam an cauillitationis, certe infantiæ & faſtidii. Infantiæ quidem, quòd nihil poteſt aut minus diſertum aut magis puerile videri, quàm omnia

velut puerum à magiſtro dictata ad vnã cer-
tam legem formamq́ dicere. Faſtidii quoq;,
2 quòd neceſſe eſt ſequi eos, † qui aures nulla
vnquam varietate delicatiſſimam noſtri par-
tem tentãt reficere. Varietas enim, ſicut rerum
omnium, ſic orationis præcipue leuat tædium.
Multarum adeo rerum nobis gratia, nõ ex ſe,
ſed vel ex meliorum etiam ſatietate venit. Iam
etiam pleræq; ſunt argumentationes, quarum
tota vis aut duabus propoſitionibus citra con
cluſionem explicatur, aut altera propoſitionũ
3 pro tota ponitur ratiocinatione. † Quæ qualia
ſint, ſuo loco demonſtrauimus. Feras tamen
vtcunq; leuioribus in rebus hanc ludicrã ver-
4 borum iaculationem, † in quibus ſolum os in-
5 ſtruitur, † & inanes inter diſputandum circu-
lorum clamores petuntur. At in eis rebꝰ, quæ
non ideo tantum dicuntur, vt dicãtur, ſed vt
animos noſtros ſubintrent & emendẽt, quæq;
vitiis eradendis ex intimis mentium noſtra-
rum ſedibus adhibentur, id eſt, quæ moralis
philoſophiæ vocamus, ſi hac leuitate intra pri
ma ſubſiſtãt aures, inania profecto, inania tã-
tum irritaq; verba fundent. Maioribus ergo
viribus inſtructam orationem, & plenioribus
eam ferri velis oportet. Auertendus enim
eſt ab eis quæ placent, quæq; multo tempore
6 probauit animus, † & ipſe ſibi (vt ita dicam)
eſt auferendus. Nec tam docendus, vt ſciat

*Hæc legant ſilicernia iſta, quibus nihil placet niſi arguitur & replicatur.*

meliora qui cogendus, vt velit. A qua facultate, quantum abſit confracta illa & ſpinoſa argumentandi ratio, non eſt certiore ſigno colligere, quam quòd ea poſteaquàm philoſophorũ ſcholas ingreſſa eſt, mortalis iſta quã vere philoſophiã dicimus, è ſcholis prorſus exceſſit. Veterum certe neminem niſi Stoicorũ horridiſſimum quemq́ʒ, ſic diſſeruiſſe inuenias, nec id vbiq́ʒ tamen. Et ſi quis paulo lætiore fuit ingenio, huius etiam ſectæ victus eſt dignitate, & ſplendidius aliquid dicere concupiuit. Ariſtoteles certe, Plato, & quorum interea in philoſophia paribus laudibus eloquentia eruditioq́ʒ celebratur, rariſſime putauerunt vtendum ſibi nudis illis & expreſſis ratiocinationibus, quod ex libris eorum facile perſpectu eſt. At

*quibus floſculis laſciuiãt philoſophi ætatis noſtræ.*

noſtri ſeculi philoſophis, ſi, quæritur & arguitur primo & ſecundo, & notãdum quarto aut quinto, & conſequentia tenet in baroco, & reliquas id genus ineptias demas, deſtitutos prorſus & nihil quod dicãt habituros videbis. Nec hæc eo dico, quòd ea putem eſſe contemnẽda. Diſci enim illa ab incipientibus in ſcholis, & quidẽ exactiſſima cura, velim, & exerceri quoque, ſed adeo, vt intra ſcholam maneant. A grauiorum vero rerum tractatu, doctiorumq́ʒ virorum diſputatione: ante omnia, cũ poſteritati erudiendæ res literis mandantur, crediderim maxime hanc leuem ineptamq́ʒ dicendi

ſcrupuloſitatem remotā eſſe debere. Nunc au- Quid Rō
tem cum ſint omnia in leuiſſimas etiam dige- dolphe, ſi
ſta quæſtiones, & cuilibet quæſtioni, velut ſta- hæc noſtri
tutus lege quadam argumentationum & notā legāt The
dorum debeatur numerus, implentur ingētia ologi?
volumina librorum, & totis paginis dicūtur, quæ ſingulis interdum verſibus poterant abſolui. Equidem argumentationem in oratione controuerſa cenſeo neceſſariam eſſe, tanquā neruos ſine quibus ea ſubſiſtere non poſſit. Sed quemadmodum deforme non modo ſit corpus, ſed nec ſpeciē quidē habeat corporis, in quo ſoli ſint omniꝗ; carne nudati nerui, ſic nec orationis aut faciē aut nomen iure habebunt horridæ iſtæ & vna perpetua ſpecie compoſitæ argumentationes. Apud Græcos qui-
7 dem in prouerbio fuit, vt dicerēt, †egregia de lente, quoties minor res maiorem in modū tolleretur. Quanto nunc rectius hi notabuntur, cum puerilibus etiā nugis diuina pertractent? Vertendæ ſunt igitur formæ argumentationum, & partes earum varia collocatione diſponendæ. Nec tamen adeo vitādus ordo rectus, vt credamus non interdum ratiocinationē totam proferendam. quod & Quintilianus fecit in ea declamatiōe, quę inſcribitur, Ignominioſus contra tres rogationes. Ergo (inquit) ſi & ignominioſum vult eſſe eum, qui ter contradixerit nec tenuerit, & hic contradixit ter nec te-

nuit, quomodo non ſit ignominioſus, inueni- re profecto non poterit. Sic & Cicero cum mul tis in locis, tum pro M. Cælio: Si qua nõ nupta mulier (inquit) domum patefaceret omnium cupiditati. et reliqua multa, quę ſubijcit in eam ſententiam, quorum omnium hæc vis eſt: Ne- mo poterit dici adulter, qui cum muliere om- nium cupiditati expoſita coire conſueuit. Hoc apertum eſt maiorem propoſitionẽ eſſe ratioci nationis. Addere deinde debeat minorem: Clodia autem talis mulier eſt. Variauit id dicẽ di figura, & in eius locum interrogat eam, fa- teatur'ne talem eſſe ſe, an neget. Pòſt ad vtran que partem cõcludit, ſi neget ſe talem eſſe, ne debere quidem videri à M. Cælio petulantius quicquam cum ea factũ: ſin fateatur, non id vi deri ex præcedentium propoſitionum proba- tione adulterium. At in eadem oratione paulo antè conuertit prorſus totum ratiocinationis ordinem Cicero, primamq́; concluſionem po- nit: In M. Cælio nulla luxuries reperitur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuio- rum & luſtrorum libido, quæq́; ſequũtur. Hoc eſt enim, quod probandum eſt. Deinde cum ſubdit: Audiſtis antea cum accuſaret: mino- rem propoſitionem facit, quæ eſt, Cælium ſum ma eloquentiæ ſtudiorumq́; cura teneri. Poſtre mo maiorem addit: atque ſcitote iudices, eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atque hæc

ſtudia

ſtudia de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe. Vt ſit ratiocinatio: Nō poſſunt in eo in quo eſt ſummus ſtudiorū amor, eſſe & prauæ cupiditates: in Cælio eſt ſummus ſtudiorum amor, non poſſunt ergo in eo eſſe prauæ cupiditates. Interim proponitur altera ex propoſitionibus tantū. Vel maior, vt Quintilianus in Mathematico: Ei (inquit) tantum debet mors negari, de quo non ſufficit hoc pœnę genus, vt ſe ipſe potius occidat. Hanc propoſitionem probat. Deinde quod aſſumpturus, & hoc videlicet quod ex eis concluſurus: ego vero talis non ſum, non ergo debet mihi mors negari: ea velut in propoſitione illa ſatis intellecta prætermiſit. Interim proponitur minor, vt in eadem declamatione: Quid quòd me futurum dixit parricidam? Ratiocinatio quidem talis ſit oportet. Quiſquis prædictus parricida eſt, debet mori: ego prædictus ſum parricida, debeo ergo mori. Eſt ergo quod proponitur minor propoſitio: quod ſequitur, eſt confirmatio maioris, debere mori eum quiſquis parricida prędictus eſt. Quod quāquam poſſet vniuerſaliter pronunciari, orator ſinguariter & tanquam de hoc vno pronunciat.

8 †Quoniam (vt priore libro dixi) vniuerſales propoſitiones remotiores eſſe, & minus arcte premere rem præſentem videntur.

## SCHOLIA IN CAPVT XIIII.

PRoximo libro ſatis multis executi ſumus.] Libri 1 ſecundi capite decimoquarto. ¶ † Qui aures nulla 2 vnquam varietate, delicatiſſimā noſtri partem, tentant reficere.] quis enim, inquit ille, eſt auribus vſq; adeo patientibus, vti vel pauliſper ferat orationem vbiq; ſui ſimilem? Tantam vbique vim habet varietas, vt nihil omnino tā nitidum ſit, quod non ſqualere videatur citra huius commendationē. Gaudet ipſa natura vel in primis varietate, quæ in tam immenſa rerum turba nihil vſquā reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio depinxerit. Et ſicut oculi diuerſarum aſpectu rerum magis detinentur, ita ſemper animus circunſpectat, in quod ſe velut nouum intendat. Cui ſi cuncta ſui ſimilia occurrant vndique, tædio protinus auertitur. Et Quintilianus: Ars porrò, inquit, variandi, cum gratiam præbet ac renouat aures, tum dicentem ipſum laboris mutatione reficit: vt ſtandi, ambulandi, ſedendi, iacendi, vices ſunt, nihilq; eorum pati vnum diu poſſumus. ¶ † Quæ qualia 3 ſint, ſuo loco demonſtrauimus.] Libri ſecundi capite decimonono. ¶ † In quibus ſolum os inſtruitur.] In quibus 4 id agitur ſolum, vt dicendi vſum paremus. ¶ † Et inanes 5 inter diſputandum circulorum clamores petuntur.] Vbi hoc vnum quæritur, vt qui nos diſputantes vndequaque circunſtant, ij nobis applaudant, & placere ſibi ea quæ dicuntur à nobis, plauſu ipſo ac clamore teſtentur. ¶ † Et 6 ipſe ſibi, vt ita dicam, eſt auferendus.] Ita, inquit, afficiendus animus eſt, vt non is ſibi eſſe videatur qui adhuc fuit: vtq; probet ea quæ auerſatus eſt hactenus: & auerſetur, quæ hucuſq; probauit. ¶ † Egregia de lente.] Eundem 7 propemodum ſenſum habet cum eo, quod legitur apud Gellium, τὸ ἐν φακῇ μύρον, in lente vnguentum.

*Varietas q̄ placeat auribus.*

8 ¶ † *Quoniam vt priore libro dixi.] Libri ſecundi capi-
te decimoquarto.*

## ¶ *De cautionibus aliquot inter argumentandum obſeruandis ei, qui aduerſarium velit conuincere.*

## CAPVT XV.

POſſent iſta extendi, multiplexq́ ho-
rum forma proferri ex authoribus.
Sed longum id eſt: & niſi alioqui
multa cura quis, legendis, explicã-
dis, perſpiciendisq́ ſcriptoribus iſta cognoue-
rit, fruſtra docebitur. Nã neq; dici omnia poſ-
ſunt: & ex eorum quæ diximus collatione, faci-
le quis reliqua cognoſcet. Illud tamen adieciſ-
ſe velim. Quod ſi qua ſit propoſitio, vel ali-
quid propoſitionis ſimile, in quo maius quæ- *Cautio obſeruanda argumẽtati.*
ſtionis momentum ſit poſitum, rectiſſime ali-
quando antequam id aggredimur quod eo
conficere volemus, in anteceſſum apud audi-
tores eſt deponendum, & tanquam aliud aga-
mus explicandum. Minus enim ſuſpectum
tunc erit, cum quare dicatur nõ apparebit: cre-
deturq́ facilius, & ſecuros animos blandius
ſubibit. Sicut minus timẽtur arma, quorũ non
intelligitur vſus. Inde cum poſſederit men-
tem paratam ſemel, fidem tunc quoque perfe-
1 ret, cũ vtendum erit eo. † Fauet enim quiſque
2 perſuaſioni ſuæ, † nemoq́ vel ſibi ipſe libenter
errorẽ ſuum fatetur. Credimusq́ multa, non
quia vera videantur, ſed quia credimus.

Huiuſmodi eſt apud Ciceronē illa expoſitionis matris Cluentii inuidia, quę quanquā pręcipue veneficii crimini defendēdo conueuiat, tamen ſi, cum illud defendendum erat, primū poneretur, poterat tam dubia ſicut crimen videri. Huc pertinent altius repetitæ narrationū præparationes. Et in altercationibus quidem præcipuus eſt obſeruationis iſti⁹ vſus. Ideoq́ ſi qua ſunt, quæ plus ſint allatura confirmādæ intentioni noſtræ, nō ſunt vtiq; protinus cum eo conſtringenda. Tergiuerſabitur enim & effugia quęret aduerſari⁹, inuitusq́ ſe in laqueū quem proſpexit dabit. Ergo dimouenda ſunt hæc ab eo quod efficere volumus, & altius repetenda, & multitudine ſimilium propoſitionum, quas ſibi periculo daturus ſit aduerſarius, obruenda. Quæ cuiuſmodi ſint, ex Platonis dialogis non eſt difficile perſpicere. Sed nos interim aliquo exemplo quod dicimus indicemus. Demus Academicū probare volentem Epicureo: quiſquis ſine virtute ſit, cum eſſe infelicem. Non ſumet ille tantūmodo virtutem eſſe ſummū bonū: id enim nihilo probabilius eſt, quàm id quod intendebatur: nec id etiam vnde iſtud deducitur, virtutis curā maxime naturalē eſſe homini. Altius igitur ordietur. Quęret ecquid fateatur animam corpore meliorē eſſe? Sed hoc quoq; muniendum eſt Socratica inductione. Quærendum eſt, an au-

rigam curru,& naue gubernatorem, & domi-
num domo, & principem popularibus, & in
vniuerſum quod imperet præſtantius eſſe pu
tet eo quod paret, an & animi imperio putet
corpus regi. Quæ ſi concedat, neceſſe erit con-
cedat, animũ corpore potiorẽ eſſe. Quod vbi
conſtare cœpit, ſequatur hinc, propria animi
bona propriis corporis bonis eſſe potiora.
Quod ſi docuerimus hinc, propriã animi vir-
tutem, propriã corporis voluptatẽ eſſe: cõſta-
bit virtutem eſſe meliorem voluptate. Quod
ipſum erit fortaſſe quærendũ. Ex lõginquo ro
gabit itaq;, putet'ne eiſdẽ gaudere corpus &
animũ: quod nimirũ negabit. Nam & multa
poſcit corpus, quæ nec indulgenda illi credit
Epicurus. Ergo horum aduerſis animus, qui
negat ea corpori, gaudet. Sic & animo multa
placent, quæ corpus auerſatur. Cum gaudeãt
autem diuerſis, voluptas corporis erit: quod
autem voluptati contrarium ſit, nõ inuenim⁹,
niſi virtutem. Ea pertinebit igitur ad animũ.
Hæc ergo bona vtriuſque erunt. Quod ſi eſt
propriũ animi bonum virtus, erit & ſummũ
bonum, cum demonſtratum ſit antẽ, meliora
eſſe quæ ad animũ, quàm quæ ad corpus per-
tineant. Cum enim ſint alia propria hominis,
quàm quæ ſunt animi & corporis bona. ( Nã
fortunæ bona ſolum dicuntur, quia iſtis deſer-
uiunt) ergo animi bona, quoniã meliora ſunt,

ſumma ſint oportet. Et iam hæc quidem cum ſint virtutes, neceſſe eſt qui ſine eis ſit, eſſe cũ ſummo malo, quod vitiũ erit. Atqui quiſquis cum ſummo malo eſt, infelix eſt. Ergo iam efficitur, quod intendimus, quiſquis eſt ſine virtute, infelix eſt. Quod ſi à ꝓximis cœpiſſem⁹, & inde digrederemur ad longius poſita, inſolentior aduerſarius negaret omnia, neq; peruenire nos ad aliquid ſineret vnquã, quod ipſe confiteretur. At cũ ea proponimus, quæ diſtãt multum, neq; fere quicquam negocii videntur habere cum eo quod proponimus, facilius dat aduerſarius tanquã nihil ad ſe pertinens. Vnde datur cõfeſſum nobis aliquid arripere, † in quo pedem (quod dici ſolet) figamus, ad qđ ſi alio perueniremus ordine, negaret id ipſum aduerſarius, ne vinculis argumentationũ vinciretur, & aliquid confiteretur, ex quo contra ipſum regredi poſſemus. ¶ Sed quemadmodum à ſummo quodam cacumine petito initio, ad id poſtremum, quod probare deſtinamus delabimur: ſic licebit econtrario, & hoc ipſum quod intendimus primum facere, & id adhibita argumentatione confirmare, hancq; ipſam argumentationem rurſus alia aſtruere, donec veniamus ad aliquid tandẽ, quod infitiari aduerſarius non poſſit. ¶ Similiter etiam poterimus, cum negauerit intentionem aduerſari⁹, proponere aliquid, quod etiã diuerſum

videatur à propoſito, quod det aduerſarius.
4 Id cum fecerit, tum ductu eo † quem obliquũ priore libro diximus, ex contradicente intentionis, contradicens eius quod aduerſari⁹ dedit, colligere. Quod quomodo fiat, ſuo loco nobis eſt dictum. ¶ Huius tamen admonitum altercatorem velim, vt ſciat quam potiſſimũ ex iſtis diſponendi rationem ſequatur, duas ferè in altercatione figuras eſſe orationis. Autem interrogantes, & aduerſarii ſententias percontando elicientes, diſſerimus: aut aſſeueramus, & noſtrarũ argumentationũ conſtãtia, in noſtrã ſententiã eũ tranſire cogimus. Primum genus eſt, vt cũ quærimus, ſit'ne virtus propriũ animi opus. Quod ſi dederit aduerſari⁹, rurſus quęrim⁹, eſt'ne opus cuiuſq; bonũ ipſi⁹? Deinde ſi id quoq; detur, tum quæritur, ſit'ne anim⁹ optima pars noſtri? Poſt hæc, ſit'ne optimum quod optimo bonũ eſt? Hæc etiã cũ data fuerint, tũ relinquetur, vtiq; optimum, id eſt ſummum bonũ eſſe virtutẽ. Secundum genus eſt, cum dicimus. Virtus eſt ſummum bonum, idq; probamus, eſt enim bonum animi noſtri, qui eſt pręſtantiſſimũ quod in nobis eſt. Quòd ſit autem animi bonum virtus, id rurſus docemus, quoniam proprium opus eſt ipſius: reliquaq; ad hunc modũ aſſeueramus, donec veniam⁹ ad poſtremũ aliquid, quod probatione non habet opus. Cum poſſit autem duci ordo

*Duæ in altercatione figuræ.*

ille propoſitionum, aut à primis, atq; confeſſis ad intentionē, aut ab intētione ad prima & confeſſa, per vtranq; figuram: apta tamen eſt interrogatio priori ordini, eſtq; genus ipſum diſſerendi tutius, atq; modeſtius, & pluriū laqueorū aduerſus aduerſarium capax. Nam ſi interroganti aliquid non det aduerſarius, poteſt inde ſine dedecore referre pedem, quod aſſeueranti turpe fuiſſet, repulſum ſe & fruſtra conatum fatenti. Aſſeueratio verò grauior eſt, atq; inſtantior, & ordini ab intentione ad confeſſa ducendo aptior. Vrget enim aduerſarium, & nō illius conſenſu, ſed viribus quæ voluit extorquet. Sed rē ſubeſſe oportet eiuſmodi, quā ab inuito nos aduerſario cōfidamus exprimere poſſe. Quæ ſi non ſit, ſatius erit interrogationes experiri. Socrates itaq; apud Platonem, vt qui nihil ſcire ſe affirmaret, nihil'que habere, quod tanquam pro ſua ſententia diceret: interrogatione ſemper eſt vſus, omnemq; omnibus in locis diſputationē ex aduerſariorū dictis inſtituit. †Et ſicut maximorū omnis æui virorū in philoſophia cōſenſu, primæ tribuuntur Platoni, ſic omnē altercationum rationē artemq; ſummo ingenio pariq; cura & acumine in dialogis expreſſit. Quanquā nō deſtiterit eū Ariſtoteles inceſſere, tanquā copia effuſum, nouitatis cupidum, eloquēdo tumidum, orationis oſtentatorem. Fama tamen pro Platone ſtetit,

*Platonis laus.*

& ſicut multorum fauore Ariſtoteles æquauit
6 primum: ſic maximorum iudicio †Plato hunc
proximũ quidẽ, ſed infra ſe tamen, ſicut om-
7 nes, reliquit. †Quintilianus autem, ſicut decla *Quintilia*
mationum, ſic altercationũ quoq; proprium *ni liber al*
condidit volumen, quod in noſtras peruenit *tercatio-*
manus, egregiũ quidẽ, ſicut ſunt illius viri om *num.*
nia. Plato tamen, quanuis ſint etiam inſignes
virorũ vtriuſq; linguæ dialogi, in quanuis va
rios vſus mihi ſufficere videtur exẽplo. ¶ Vt
ergo quæ ad diſpoſitionẽ pertinent, in ſummã *Sũma dis*
quãdam redigamus, opus eſt in primis, quiſ- *ctorũ de*
8 quis bene diſponere volet: †vt totam inuẽtio- *diſpoſi-*
nis ſuæ ſyluam, hoc eſt, omnia quæcũq; dictu- *tione.*
rus eſt, velut cõſpectui ſuo ſubijciat. Tũ quid
in animo auditoris efficere velit, diligenter ex
pendat. Deinde res ipſas, rerumq; partes, &
vim naturamq; ſingularũ, omnia & inter ſe cõ
ferat, & cũ præceptis omnia. Tum nõ difficul-
ter videbit, vbi tẽporũ ſequenda ratio, vbi per
9 ſpecies res digerẽda, †& quibuſdã velut limi-
tibus ſingula diſcernenda: vbi aliud ex alio, vt
quodq; proximũ aptiſsimũ've fuerit, ducen-
dum. Tum quid tribuendũ voluptati, quomo
do victoriæ certaminiq; ſeruiẽdum, quis quę-
ſtionũ ordo, quis argumẽtationũ, quis propo
ſitionũ ſeruãdus. ¶ Eſt autem diligẽti multaq; *Diſpoſi-*
cura tractanda diſpoſitio, quãdo veram hæc *tionis*
pars ingenij laudẽ meretur. Sicut enim opes *laus.*

fortunæ munere imprudentibus perſæpe con-
tingunt: recte autem miniſtrare eas, circunſpe-
cti conſultiq́; viri eſt proprium: ſic inuentionis
copia indomitis prope nonnunquam & inſa-
nis datur ingeniis, decor diſpoſitionis & ordo
arte iudicioq́; formatur. Quorum vt illud na-
turæ felicioris, ſic hoc cultioris doctrinæ ſignū
eſt, præparanda quidem vtraque, iſtud tamen
iuſtius laudes.

## SCHOLIA IN CAPVT XV.

*F† Auet enim quiſque perſuaſioni ſuæ.* ] *Suum, in-* 1
*quiunt, cuiq; pulchrum, ſumusq́; φίλαυτοι adeò καὶ*
*φιλόνικοι omnes, vt nonnunquam in manifeſtis etiā*
*erratis nobis blandiamur, acne à nobis quidem ipſi vin-*
*ci velimus. Quis autem neſcit, hodie multa etiam apud*
*magnos quoſdam theologos, maximis vociferationibus*
*idcirco defendi, non quòd ſint vera, ſed quòd aut nobis,*
*aut iis, quorum doctrinam profitemur, aliquando talia vi*
*ſa ſint.* ¶ † *Nemoq́; vel ſibi ipſe libenter errorem ſuum* 2
*fatetur.* ] *Tantum abeſt, inquit, vt apud alios libenter fa-*
*teamur errorem noſtrum, vt nobis etiam ipſis ægre eum*
*fateri ſoleamus.* ¶ † *In quo pedem, quod dici ſolet, figa-* 3
*mus.* ] *Ductum videri poteſt à bobus, aut equis currum*
*aratrum've, trahentibus. Nam vt illis firmiori opus eſt*
*ſolo, quo pedem firment: ita diſputantē, ſolidum firmūq́;*
*aliquid habere oportet, quo ceu fulcimento ac baſi tota di-*
*ſputatio nitatur. Notum vel pueris eſt prouerbium illud*
*Hieronymianum, Bos laſſus fortius pedem figit. Verum*
*id alienius eſt ab hoc loco.* ¶ † *Quem obliquum priore li-* 4
*bro diximus.* ] *Libri ſuperioris, capite decimoquarto.*

¶ † *Et ſicut maximorum omnis æui virorum in philoſo-
phia conſenſu primæ tribuuntur Platoni.* ] Id vel ex Ci
cerone conſtare poteſt, qui Ariſtotelem ita principem phi
loſophorum appellare ſolet, vt Platonem tamen ſemper
excipiat. Vt prima Tuſculana: Ariſtoteles, inquit, longe
omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & in-
genio & diligentia, cum quatuor illa nota genera eſſet
6 complexus &c. ¶ † *Plato hunc proximũ quidem.* ] Ver-
bis magis quàm ſenſu his ſimile eſt illud Ciceronis in
Bruto: Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio, L.
Philippus proximus accedebat, ſed lõgo interuallo, pro-
ximus tamen. Et hunc æmulatus Virgilius: Longo, ſed
7 proximus interuallo. ¶ † *Quintilianus autem, ſicut de-* Quintiliani libri altercationum.
*clamationum, ſic altercationum quoque proprium volu-
men reliquit, quod in noſtras peruenit manus.* ] Demi-
ror ego, cum nihil fermè tam obrutum fuerit hactenus,
quin id noſtra hac tempeſtate in lucem prodeat, qui fiat,
vt hoc Fabij altercationum opus nondum vſquam excu-
ſum ſit. Nam extare ipſum adhuc, id vel inde colligi po-
teſt, quòd Rodolphus ſibi id viſum teſtatur, neq; veriſi-
mile eſt, intra tantillum temporis intercidere potuiſſe.
Quod autem ad volumen attinet declamationum, hoc
an Quintiliani ſit, video verti in dubium. Sunt enim qui
aiant, ſunt qui negent. Verum nihil adhunc locum.
8 ¶ † *Vt totam inuentionis ſuæ ſyluam.* ] Materiam ru-
9 dem, impolitamq;, & adhuc indigeſtam. ¶ † *Et quibuſ-
dam velut limitibus.* ] Ductum à diſcretione, diſtermi-
nationeq; agrorum. Porrò, quæ hoc capite ab Rodolpho
tractantur, eadem ferè cum alijs quibuſdam præcipit Ari
ſtoteles, octauo Topicorum.

*¶ Parũ vtilitatis allatura eſſe hactenus tradita præcepta, niſi vſus, qui in omni re plurimum poteſt, accedat. Deinde, cur legendi authores, & quomodo imitandi. Poſtremò, quibus rebus liceat conſequi illud, vt expedite, copioſe, atque ex tempore etiam quauis de re propoſita dicere poßimus.*

## CAP. XVI.

*Vſum omni in re plurimũ poſſe.*

VELLEM equidem, vt quæcunq; de diſpoſitione hacten⁹ dixi, adeo et quæcunq; de tota inuẽtione, cui diſponẽdi ſubiecimus partes, tam aperte potuiſſent dici à nobis, vt nihil fuiſſet præterea requirendum. Feciſſem, vt quemadmodum nunc fides noſtra candido fortaſſe lectori excuſata erit, ſic tum fuiſſet facultas laudata. Iam verò, præterquam quòd ingenii nobis perquam tenuis vtiq; vena eſt, & apte dicendi aperteq; vires exiguæ, rerũ fortaſſe natura obſtat, quo minus ſola præceptione & artis ratione demõſtrãda, poſſint iſta plene perfecteq; tradi. Quod quidem in omnibus, quæ vſus actionisq; cauſa docentur, euenire videmus: vt niſi fuerint longa conſuetudine, & exercitatione multa firmata, futuri potius temporis in agendis rebus ſpem, quàm in præſentia

*Pictor.* ſubſidiũ præſtent. Ita & pictor quãuis multa, vel legerit, vel audierit de figurarũ ratione: & quo linearũ ductu eminẽtia, quo reducta, quo directa in aſpectum, & ab oculis ſubſidentia,

ipſaq; velut in ſe deliteſcẽtia: quoq; tranſuerſa item & totã oſtendẽtia magnitudinẽ ſuam exprimẽda ſint: quæ luminũ, quæ vmbrarũ vis, quanta oculorum varietas, materia, mixtura: quàm multiplex in corporibus partiũ diuerſitas, quæ forma, quis color cuiuſq;, quæ omniũ inter ſe conuentio (ſi audebimus Latine ſic di-
1 cere, † quod Græci συμμετρίαν vocãt) quis earũ ordo, nõ modo vt nihil à natura diſtortũ ſit, ſed vt diſpoſitio earũ motũ quendã corporũ animorumq; repræſentet. Cũcta hæc quãuis à
2 præceptore percepit, † niſi tamen ipſe admouerit tabulæ manũ, & multa tẽtauerit, multã operam ſpe profectus perdiderit, multaq; ſuis fecerit improbãda: ne faciet quidẽ vnquã, quæ debeant aliquãdo probari. Hoc idẽ in muſicis contingit. Nihil profuerint multa illa, quæ de conficiendis muſicorũ præcipiũtur inſtrumentis, quibꝰ proportionibꝰ ſingulæ naſcantur: nihil quæ de vocũ interuallis, quæ de conſonantibus, & diſſonãtibꝰ, & quæ quibꝰ conſonantiæ recte, aut ſecus ſubnectãtur, quæ tẽporum ſpacia ſint obſeruãda, qui modi: ſi nõ oĩa diligens meditatio aſſuefecerit, firmauerit, indiderit, & propè in naturã verterit. Hoc in rebus ruſticis, hoc in bellis gerẽdis, in rep. adminiſtranda, in vniuſcuiuſq; vita rite recteq; formãda euenit, vt ſuperuacua ſit præceptio, quã non fuerit induſtria diſcẽtis ſequuta. Quęcũq;

*Muſicus.*

enim diſcuntur operis gratia, præcipue diſcuntur etiã ex opere. Nec vlla res efficacius recte nos docet facere, quàm vt ſæpe faciamus. Quòd ſi contingit in apertioribus iſtis & prope manuarijs artibus, vt difficiliores, & proinde ad percipiendum obſcuriores, ſed & inutiles videantur, niſi vſus acceſſerit: quanto minus erit mirandum, in hac reconditiore arte, primam eius frontem tractantibus, quædam obſcuriora videri, quæ tamen aperiet proferetq; in lucẽ creber, & diligens rerũ tractatus? Quam ob cauſam nos etiam omnia fuſius diximus, quàm ſolent, qui iſta prȩcipiunt. Exemplis deinde omnia nõ impleuimus modo, ſed onerauimus etiam, vt quocũq; poſſemus modo, cuncta quãtum in nobis erat, veluti in plano conſpicuoq; poneremus. Et hæc ipſa tamen qualiacunq;, & his quantumuis meliora, contenderim non magnopere profutura, niſi de arte fiat vſus, & in opus verba vertantur. Vſum duabus his in rebus fore accipio: ſcriptis authorũ cuiuſq; generis expendendis, & noſtris deinde ad illorũ exemplum quantum datur effingendis. Quorum illud eſt ad artis perceptionẽ commodius, iſtud ad efficiendi facultatem efficacius. Sunt autem reuoluẽdi authores, non in hoc ſolum, vt inuentionis acumen, diſpoſitionis decorem, in omni rerum orationiſq; genere noſcamus: ſed communis rerum

*Vſus quibus conſtet.*

*Cur euoluendi authores.*

humanarum ſenſus peritiaq́ accipitur, & co-
pia quædam orationis ad omnem vſum para
tur. vnde ſemper velut ex theſauro, vel profe-
ramus ea quæ diſpoſuimus, vel eorum ſimilia
3 effingamus. †Præter hæc quoq́, exempla, †ſen
4 tẽtiæ, †diuerbia, & generalis quædam rerum
5 omnium deguſtatio ſumitur, & ad omnem o-
rationis vſum apta quædam ſupellex. Qui-
bus fit, vt iucunda, faceta, grauis, erudita dica
tur oratio. Vnde apud Platonem, Ariſtotelẽ,
Ciceronẽ, Quintilianum, reliquosq́ quorum
in illuſtri nomen eſt, omnium artium omnisq́
humanitatis peritia elucet. Quamquidem eis
qui in populo maioreq́ ciuilium negociorum
turba verſantur, vſus vtcunq́ & crebra audiẽ
6 di experiendiq́ conſuetudo ſuppeditat. †Qui
verò tecto & vmbra gaudentes, intra ſtudio-
rum ſecreta ſe condiderũt, niſi ab eis qui in li-
teras iſta miſerunt depromſerint, non video
vnde ea conſequi poſſint. Legendũ eſt ergo
authorũ omne genus, cum propter hęc quę di
ximus, tũ propter ea quæ propria noſtri ſunt
negocij, vt collatis cum illorum obſeruatione
præceptis, & iſta explicatius intelligamus, et il
lorum virtutibus ex præceptionis ratione co-
gnitis, incipiamus & nos ducibus illis profer-
re pedem, eorum quoque ſequi veſtigia, quos
quantunlibet de longinquo poſſe ſequi, in hac
ſeculi noſtri deſidia, vel præcipuã arbitror lau

*Quomodo authorũ ſequi debeamus veſtigia.*

dem. Initio itaq; ſatis habebit, tractatas ab a-
lijs, quos imitari volet quæſtiones etiam ipſe
tractare, eademq; ferme dicet quæ illi. Interim
tamen ne nihil agat, ordinem mutabit (ſi pote-
rit) quæſtionum, argumentationum, partiũq;
argumentationis cuiuſq;, vel omnium horũ,
vel quatenus res permittet: ita tamen, vt ſpe-
ciem ordinis aliquam, et ipſe aſſequatur. Tum
videbit, ſi qua quæſtio, aut argumentatio poſ-
ſit à ſe adijci eis, quas ille, cuius ductum ſequi-
tur, ſibi ſumpſit. Hinc paucis collectam argu-
mentationem pluribus explicet. Quæ ſtrictim
breuiterq; dicta ſunt ab alio, ipſe copioſe: quæ
vbertim alius, ipſe anguſtius dicat. non quia
ſua meliora putet, ſed vt hoc pacto, ſicut pue-
ri ſolent, proximis quibuſq; apprehenſis, po-
nere gradum diſcat. Poſt hæc quæſtionem ali-
quam quamſimillimã propoſitæ accipiat, inq;
ea omnem inuentionis diſpoſitioniſq; ratio-
nem quam obſeruatam in exemplo volet, qua
tenus poteſt, conſequatur. Hinc eis quę dicta
ſunt ab alijs, contradicere incipiet, aduerſarijq;
tueri partes. Quod quidem liberius iam eſt.
Multum tamen iuuabitur inuentione partis di
uerſæ, cum propoſitis illius argumentis, fa-
cilius admonebitur, quid & ipſe pro ſe dicere
debeat. Liberrimum id & conſummati robo-
ris, †cum relicto (vt dicitur) nido volare ſuo ar 7
bitratu cœperit: & quacunq; libuit, arripit iter:
ipſe

ipſe ſuo ductu inuenit, quæ diceda ſunt, diſpo nitq; inucta: ſpecies iam ſuo iure, ſuo exemplo facit. Quod vbi quatenus poteſt contigerit, *Quomodo nō modo bene, ſed & celeriter quauis de re dicere poßimus*
8 †tum danda ventis vela, & non ſolū id vt bene, ſed vt celeriter & ſine cunctatione iſta faciamus, conandum. Id aſſequemur, ſi primum locos omnes & omnia præcepta firmiter affixa memoriæ habeamus, vt quotieſcunq; libuerit, cuncta velut vno intuitu ſine cunctatione perſpicere poſſimus, deinde, ſi multo vſu aſſuefecerimus animū, intentos ſemper & apertos (vt ſic dixerim) habere oculos, vt ſtatim poſſit ex rebus per locorum ordinem deſcriptis, conſentientia diſcrepātiaq; eruere. Quibus rebus, ſi vllis alioqui, conſequemur, vt expedite, copioſe, ſubito, de omni re propoſita dicere poſſimus. Difficile id quidem & arduum, non ta
9 men maius quàm vt fieri poſſit. †Ingēs enim, immenſa, incredibilis eſt vis mentis humanæ, & cui nihil propemodū difficile ſit, niſi quod non vult. Qua in re vt miracula tranſeā, quæ vidi, ſurdum à primis vitæ annis, & (quod cōſequens eſt) mutum, didiciſſe tamen, vt quæcunq; ſcriberet aliquis, intelligeret, & ipſe quoque tanquā loqui ſciret, omnia mentis ſuæ cogitata perſcribere poſſet: cæcos item per ingentia vrbium ſpacia, non modo vicorū omnium flexus ambagesq;, ſed domuum ſingularum aditus & oſtia ſine errore permeare ſolitos: ea *Quāta vis humani ingenij.*

potius quæ quotidie fiunt videamus, è quibus vnum hoc ſuffecerit è multis, quòd in eis qui muſicis organis canunt, tantum poteſt animi vis præſtare, vt manus pedesq́ membra rationis expertia, & ſequētia alieni imperij nutum, non viſos antea canēdi modos propoſitos extēpore pſallant, & cum ſuum quodq́, & ab alterius partis diuerſum officium motumq́ faciat, omnia tamē in vnum iungantur concentum: cum interea ipſa mens præter hæc libro intenta ſit, in quo quod canit ſcriptum eſt, vnde miniſtris illis membris, quod ſequi debeāt, depromit. Quòd ſi potuit animus iſtud obſequiū alia docere membra, repugnantia etiā & nō niſi longo vſu domanda: quanto facilius erit ei ſuum agere opus, & huius rei facultatem non modo imperare ſibi, cum ſit ei conatus expeditior, ſed & perficere quanto eſt vis ſua corporis membrorum efficacior.

## SCHOLIA IN CAPVT XVI.

*Q †Vam Græci συμμετρίαν vocant.] μέτρον Græcis* 1
*menſurā ac modum eſſe norunt vel pueri: Hinc*
*fit συμμετρία, quam vulgus hodie commenſura-*
*tionem, Rodolphus cōuentionem interpretatur. Budæus*
*in placitis philoſophorum, τὰς τῶν ἀριθμῶν συμμετρίας, in-*
*terpretatur accommodatas numerorum proportiones.*
*¶ †Niſi tamen & ipſe admonuerit tabulæ manum.] Niſi* 2
*& ipſe pingere occeperit. ¶ †Præter hæc quoq; exēpla.]* 3

*Exemplum diximus ſupra eſſe rem geſtam, aut perinde vt geſtam, quæ ad ſuadendum aliquid aut diſſuadendũ, ad laudandum vituperandum've adhibetur. ¶ † Senten tiæ,] Sententia eſt oratio ad mores & communem homi- Senten- num vitam pertinens, oſtendensq́;, quid aut fiat in ea ple tiæ. runque, aut fieri oporteat. Vt, Princeps qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere. Neceſſe eſt multos ti meat, quem multi timent. Feras non culpes, quod mutari*
5 *non poteſt. ¶ † Diuerbia,] Parœmiæ, prouerbia, adagia. Eſt autem parœmia, quemadmodum eam finit Eraſmus, celebre dictum, ſcitu quapiam nouitate inſigne. Vt, Ego in portu nauigo. Quid cani cum balneo? Ignem gladio ne ſc* Diuerbia
6 *ces. ¶ † Qui verò tecto & vmbra gaudentes.] Qui in fo* Parœm. *ro & in hominum frequentia non verſantur, ſed in eis de liteſcunt locis, quæ ſtrepitu carẽt, ac proinde aptiora ſunt*
7 *ſtudijs,* ¶ † Cum *relicto*, vt dicitur, *nido.*] Ductum hoc *eſt ab auibus, quæ poſteaquam diu ſatis à parentibus in nido altæ ſunt, & volandi, vt ſic dixerim, artem ſeu mo dum edoctæ, tandem aliquando nido relicto, ſuis ipſæ alis*
8 *nituntur. ¶ † Tum danda ventis vela.] Ductum à naui-*
9 *gantibus. ¶ † Ingens enim, immẽſa, incredibilisq́; eſt vis ingenij humani, & cui nihil propemodum difficile ſit, ni ſi quod non vult.]* Sic M. Cicero ad Brutum: *Magnum, inquit, opus omnino, & arduum Brute conamur, ſed nihil difficile amanti puto. Quocirca ſi qui facul tatem hanc diſſerendi ceu difficilem ac arduam nimis perhorreſcent ac deſperabunt, hi primum (vt Quintiliani verbis dicam) renuncient ſibi, quanta ſit homini generis vis, quàm potens efficiendi quæ velit: cum maria tranſire, ſyderum curſus numeros'que cognoſcere, mundum ipſum penè dimetiri, minores ſed difficiliores artes potuerint. Nil mortalibus arduũ eſt: & dimidium*

*facti, in quit idem author, qui cœpit habet. Nihil tam eſt difficile, quin id labore ac induſtria vinci queat: nihil rurſus tam facile, cui non ſuccumbat inertia. Plura Quintilianus libro duodecimo circa finem.*

PERORATIO.

ISTA ferè ſunt, quæ de parte illa dialectices (quam inueniendi vocãt) arbitror potuiſſe dici. Nec me latet, hæc omnia, vt in breuem admodum præceptorum ſummam arctarentur, perfacile fuiſſe. Sed ego (ſi quid poterunt iſta prodeſſe) malui ſpacioſius ea dicere, & legentium etiam vtilitati conſulere (ſi qui erunt, qui legendis iſtis fructum aliquem conſecuturos ſe credant) quàm per capita tãtum rerum ire, vidererq; doctos potius quod didiciſſent admonere, quàm docẽdis diſſerere, quid & qua via deberent perſcribere. Rectius itaq; credidi, cum poſſem quidem breuiora dicere, †breuiore ducere itinere, ſed eo aſpero difficiliq; & impedito, longo potius flexu, ſed læto magis & molliore, minusq; ſpinis obſito circumire. Nec iſta dico, quia laudem huius meę rationis captem, quam quidem cum ex omni ingenio meo, tum ex hoc præſertim labore minime auſim ſperare: ſed quò mihi lectoris æquanimitatem conciliem, ſi ſciuerit non mei facti hac in re, ſed vtilitatis profectusq; ſui ſequutum eſſe rationem. Quam ſi conſequimur, boni conſul-

tum erit:ſin minus, voluimus tamen, conatūq́
2 præſtitimus, †qui ſicut pleriſq; in rebus vel ſo•
lus laudi ſufficit, ita mihi eum non arroganter
ad veniam ſperauerim ſuffecturum.

## IN PERORATIONEM.

1 *B†Reuiore ducere itinere.] Sumptum ab impera•*
2 *toribus ac ducibus exercituum.* ¶ *† Qui ſicut ple•*
*riſq; in rebus vel ſolus laudi ſufficit.] Sic Oui•*
*dius: Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas. Et*
*alius poeta: In magnis & voluiſſe ſat eſt. Ac volui ego*
*quoq; ſtudioſis hiſce lucubratiunculis noſtris quoad poſ*
*ſem prodeſſe, quod ſi aliqua ex parte ſum conſecutus, ſa•*
*tisfactum eſt voto meo: ſin autem minus, tamen volui cer*
*te, atq; conatum præſtiti, qui laudari à bonis ſolet, etiam*
*cum non optimus eſt rei euentus.*

EXCVDEBAT DIONYSIVS HAR•
SIVS *in ſua officina, anno ſalutis hu•*
*manæ.* M. D. XXXIX.

RODOLPHI AGRICOLÆ AD IACObum Barbiriũ de formando ſtudio. Epiſtola.

SCRIBIS, ſuauiſſime Iacobe, atq; optas, dari tibi facultatẽ degendæ mecum vitæ, quo poſſes id, quod maxime cupis, velut ductu auſpiciisq; meis, ſtudia tua inſtituere atq; formare. Vellẽ equidẽ tantæ mihi eruditionis, tam magni in literis doctrinisq; vſus conſcius eſſem, vt illud tã iure meritoq; deberes cupere, quàm te ſcio vere id atq; ex animo optare. Hortarer te, vt rebꝰ omnibꝰ relictis, quæcunq; vel vtilitatis ſpecie te deuinciũt, vel voluptatũ illecebris blandiuntur, eruditionẽ ſtudiaq; me duce ſequereris: & inciſis omnibꝰ, vel abruptis etiã vinculis, quibꝰ alligatꝰ teneris, prona præcipitiq; ad optima tẽderes via. Facerẽ id non modo tua cauſa, cuiꝰ maxime & deberẽ & vellẽ, ſed & mea quoq; quũ ſperarẽ tantũ nominis opinionisq; apud multos conſequi poſſe, tantumq; fuiſſe me pleriſq; perſuaſum iri, quantũ te monitis, præceptioneq; mea factũ viderent, quãtumq; fieri te poſſe exploratũ habeo, & de te ingenii vis, amor ſtudiorũ, naturæq; tuæ felicitas, mihi promittũt. Nũc cũ ad nullã tãtam ſpem mei vocare te poſſum, quę vllo incõmodo rerũ tuarũ tibi ſit redimenda: rebus ipſis pareamus oportet. Vtiq; optabile nobis eſſet, ſi vnum aliquem in locũ nos felicior caſus con-

tuliſſet, ſic hoc deſiderium noſtrum eſt hac cõmoda rerum tuarum conditione leniẽdum, & iucundiſſima putanda, quæ optima ſunt. Vt tamen interea pręceptoris apud te munere fungar, & per literas (qua datur) oſtendam, qua ratione tibi putem ſtudia tractanda paucis, & quãtum epiſtolæ capit anguſtia, quod optimũ cẽſeo, explicabo. In ſtudiis formãdis duo præcipue ſpectanda crediderim. Prius, quod ſtudiorum maxime genus cuiq; lectandũ ſit. Deinde qua ratione quis in eo, quod elegerit, plurimum efficiat, de vtroque ordine dicam. Stu- diorum genus, alteri neceſſitas vel rerum vel naturæ ſuæ aſſignat. Alter voluntate ſua id, quod optimum cenſet, ſeſe adiungit. Vt enim cui anguſtior res familiaris contingit, eas ferè ſequitur arteis, vnde promptiſſimũ putat poſſe neceſſitatibus ſuis præſidium parare. Vt etiam ſegnior natura, obtuſior mentis acies eſt, ſi modo perdere nolit operam, ea ſequi debet, non quæ maxime cupit, ſed quæ rectiſſime poteſt. Sic is, cui facultatum vberior copia, & felicior ingenii vis tributa eſt, nimirum errabit, ſi non totis viribus ad optima feretur, quandóque ad ſumma pertingere poſſit, malit inter ſecunda potius tertiáve ſubſiſtere. Ergo ciuile ius alius, alius Pontificum ſanctiones, alius medicinæ artem diſcendam ſumit: plerique etiam loquaces has, &

*Duo in ſtudendo præcipua*

*Primum.*

inani ſtrepitu crepitantes, quas vulgo arteis iã vocamus, ſibi vindicãt, & perplexis diſputationum ambagibus, vel etiam (vt verius dicã) ænigmatibus diem terunt. Quæ tot iam ſeculis nullum inuenerũt Oedipodẽ, q ea ſolueret, nec inuẽtura ſunt vnq̃. His miſeras adoleſcẽtiũ onerãt aures, hæc ſubinde ĩgerũt inculcãtq́;, & in pleriſq; meliorẽ ingenij ſpẽ atq; frugẽ, in tenerioribus adhuc annis, velut in herba enecãt. Laudo eas omnes tamẽ, plus certe laudatur?, ſi recte ordineq́; tractarẽtur. Nec enĩ tãtũ deſipio, vt ſolus dãnẽ, quas tã multi laudãt. Quid ni laudẽ vero, quibus videã multos ſummas opes, ampliſſimos honores, autoritatẽ, famã, dignitatẽ cõſecutos? Et quas certe vẽdibiliores (vt Ciceronis verbo vtar) ſciã, & plane fatear, alijs nõnullis, quas ſteriles & ieiunas vocãt, vt
Philoſophiæ ſtudendum. q̃ magis animũ expleãt q̃ arcã. Si lucri rationẽ itaq; ducis, habes ex illuſtrioribus illis aliquã, quam ſequaris, vt diuetias, dum tñ ſcias hãc laudẽ, vt cõtingat, tibi cũ fœneratore fore cõmunẽ. Sin rectius credis, quę honeſtę ſunt, propter ſe expetere, & quas habes facultates, ſuffecturas putas modeſtiæ tuæ. Quãdoquidẽ immodeſtiæ, & quantũuis paruæ, nimiæ ſunt, & quantũuis magnæ, nõ ſufficiunt, cenſeo, vt ad Philoſophiã te cõferas, hoc eſt, enitaris, vt recte de rebus ſentias, & quę ſentis, cõmode vt poſſis eloqui. Sentire aũt duplex eſt, proĩde &

duplex conditio rerũ quas inquirimus. Aliæ nanq; res ad actiones, moresq; nr̃os pertinẽt. quibus oĩs ratio vitę recte,riteq; degendę cõtinetur,quã Philoſophiæ pars ea,quæ moralis vocatur,tradit. Huius prima nobis, & præcipua habẽda eſt ratio. Hæc aũt eſt petenda tibi nõ modo à philoſophis,qui literis eã tradidere, vt ſunt Ariſtoteles,Cicero Seneca, & ſi qui ſunt alij,vel latini,vel ita latine redditi,vt digni ſint q legãtur, ſed ab hiſtoricis etiã, et poëtis,& oratoribus. Quoniã ij,& beneficia laudãdo,& q̃ cõtra facta ſunt,vituperãdo:nõ docẽt qdẽ,ſed(qđ efficaciſſimũ eſt) exẽplis ꝓpoſitis, quæ recte ſecus'ue fiãt,oſtẽdũt. Per hæc gradꝰ ad ſacras literas faciẽdus eſt, & ad illarũ præſcriptũ dirigẽdus vitæ nobis ordo, ſaluberrimisq; illis ducibus,de nr̃a ſalute credẽdũ. Reliqua omnia aliorũ tradita,plus minus've erroris,tñ habẽt admiſtũ aliqd. Neq; em̃ cõtingere potuit eis,vt rectũ,& nulla aberrãtẽ parte curſum vitæ inſtituerẽt,q,quis eſſet vitæ ꝓpoſitus finis,aut neſcirẽt,aut veluti per nubẽ ſpectãtes ſuſpicarẽtur,dicerẽtq; cõſtãtius q̃ crederẽt. At ſacræ literę,tã lõge ab omni errore remotę ſũt q̃ qui eas tradidit,Deus. Hæ ſunt,quę ſolę nos certa,ſolida,rectaq; ducũt via,quęq; omni diſcuſſa caligine,ſequẽtẽ ſe nõ falli,nõ excidere, nõ vſq̃ aberrare patiãtur. Sũt & aliæ res,quarũ cognitio magis ad ornamẽtũ animi noſtri,ho-

*Recte ſentire eſt duplex.*
*Morale.*
*Cognitio rerum naturaliũ.*

neſtamq́ voluptatē, quàm ad neceſſariū vtiq́ vſum pertineat. Cuiuſmodi eſt oīs diſputatio de natura rerū, multiplex certe variūq́ negotiū, & multipliciter quoq́ à multis ſummo ingenio viris tractatū. Quæ vt non neceſſaria ſit ad boni viri mentē formā dā effingendāq́, nō parū tamen cōtulerit, vel eo, qđ vbi hæc cura perquiſitioq́ rerū bona fide ſibi cuiuſquā vindicauerit animū, nullū ſordib⁹ vilibusq́ curis locū relinquit, deinde qđ docet cōtēnere atq́ pro nihilo putare ea, ad quorū cōſpectū vulgus ſtupet: per quorū poſſeſſionē etiā eis, qui felices putātur, miſereatur quādo oſtēdat, quā vanis oīa futilibusq́ cōſtēt cauſis, dicatq́ nullā rerū naturæ poſſe pernitiē cōtingere maiorē, quàm ſi oēs eius vel ſordidiſſimæ partes tales fiāt, quales nūc ſunt aurū, gemmæq́, quib⁹ publica humani generis inſania ſummum eſſe

*Anima excolenda.* pretiū voluit. Poſtremo, quia quādo intelligimus hac mōſtrare, fragilis hui⁹ caducisq́ corporis noſtri habitū, omnib⁹ caſibus obnoxiū, diſcim⁹, omnē curā nobis ad animā eſſe trāsferendā, hancq́ excolendam, in qua nulla nobis opera fruſtra, aut peritura locatur: qppe in quā quicqd collatū ſit, īmortale (ſicut ipſa eſt) æternūq́ ſit māſurū. Trāſeo multa, neq́ em̄ epiſtola eſſet, ſed voluminis op⁹ oīa cōplecti, quę in hāc poſſent ſententiā dici. Hoc ſatis eſt oſtendiſſe, quod tute minime ignoras, dignā hanc

eſſe ſtudiorũ, in qua viri boni mens elaboret. Nec ego aditũ tantũ primaq́; initia harũ artiũ percipere te velim, qđ nũc vulgò in ſcholis fieri videm⁹, quodq́; tu pridẽ cum magna laude pulchre, ꝓlixeq́; pręſtitiſti, ſed res ipſas attingẽdas cẽſuerim, tã terrarũ, mariũ, montiũ, fluuiorũ ſit⁹, naturas, gẽtiũq́; in his mores, terminos, cõditionẽ, imperia vel accepta vel ꝓlata, tam arborũ, herbarũq́; vires, quas Theophraſtus, iã animãtiũ hiſtoriã, generationẽ, partes, quas Ariſtoteles literis mãdauit, perquirẽdũ. Quid dicã, quæ de re ruſtica tractata ſunt, quidq́; de Medicina? alius rẽ militarẽ, alius architecturã, ali⁹ pingẽdi, fingẽdiq́; rationẽ cõſcripſit, quas artes, tametſi nõ ſum neſcius, nõ intra partẽ eã diſciplinarũ claudi, quę rerũ naturã ſcrutatur, tamen quia cognatæ ſunt illi, & ab eiſdem ferẽ ꝓdeũt fontib⁹ nõ eſt quòd nũc in eo magnoperè ſim ſolicit⁹, quãdo ad eundẽ ordinẽ redigẽdas putẽ. Hæc ergo oĩa, quæ dixi, & ad mores noſtros, & ad rerũ naturã pertinere, ex eis diſcenda tibi ſunt authoribus, qui reb⁹ cognitu dignis clariſſimũ eloquẽtiæ lumen addiderũt, vt vna opera & rerũ notitia tibi, & qđ poſt cã proximũ feci, cõmode eloquẽdi ratio cõtingat. Qua qdẽ de re ſcis multa à ſummis viris tradita eſſe pręcepta. Qđ tamẽ ad corruptã inſtitutionẽ loquẽdi emẽdãdã ptinet, q̃ pueri in ſcholis accipim⁹, hui⁹ mihi admonẽd⁹ videris.

*Res ipſæ tentãdæ.*

Fac ſuſpectum tibi ſit, quicquid hactenus didiciſti, dānes oīa, atq; abiiciēda putes, niſi meliorū authorū teſtimonio, & velut decreto, rurſus in eorū mittaris poſſeſſionē. Præterea quicquid apud emēdatos authores leges, vtiliſſimū fuerit, idipſum q̄ maxime ꝓpriis & idē ſignificātib⁹ verbis reddere vernaculo ſermone. Hac eñ exercitatione aſſequeris, vt quoties dicendū tibi aliquid ſcribendū´ve fuerit, quādo cōcipiēdis verbis apud animū tuū ſeſe, quo natura fert, vernacul⁹ ſermo ꝓtulerit, ſtatimq; quoq; latina verba iā pridē illic hoc vſu accōmodata ſequātur. Ad hęc quoq; ſi qd ſcribere voles, optimū erit idipſum quàm pleniſſime rectiſſimeq; patrio ſermone intra animū tuū formare, deinde latinis pure proprieq; id ſignificantib⁹ explicare. Sic fiet, vt oīa aperte & quàm maxime plene dicātur. Oēs eñ, ſi quid in dicēdo eſt vitii, facillime in eo perſpicimus ſermone, ad quē ſumus nati: & ſi quid vel dilucide parū, vel breui⁹ quàm cōueniat, vel cōtorte nimiū, nec ſatis cū re propoſita coherens, dictū fuerit, in eo ſermone expeditius annotabit quiſq;, quem notiſſimū habebit. Poſtremo vt hunc locū concludā, quicquid eris ſcripturus, des operā, vt quàm puriſſime id recte tātū, latineq; inter initia eloquaris. Ornate dicēdi poſterior erit cura, quod cōtingere certe, niſi ſana & integra ſit oratio, nō poteſt. Eue-

*Vernaculus ſermo.*

nit enim Eloquentię, quod corpori, in quo ſi non omnia mēbra ſint ſuo quodq; loco diſpoſita, ſint à recto habitu detorta, ſi magnitudinis ſuæ modū egreſſa, fruſtra illi circūdederis ornatū. Pugnabit enī cū ornamētis ſuis corpus, & illuſtriorē deformitatē eius decor externus faciet illi cōparatus. Sed de hac parte, quæ tibi ſtudia potiſſimū ſectāda putē hactenus. Reliquū eſt vt dicā quo pacto plurimū in ſtudiis fructus cōſequuturū te credo. Alius aliter fortaſſe, ego ita ſentio. Quiſquis in percipiēdis doctrinis cupiet dignū aliquē laborū fructū adipiſci: illi tria eſſe præcipue præſtanda, vt plane recteq; percipiat, quod diſcit, vt fideliter, quod percepit, contineat, vt & ex eo aliquid ipſe deinde parere proferreq; valeat. Primū diligētis lectionis eſt opus: Secundū, fidæ memoriæ: Tertiū, aſſiduæ exercitationis. In lectione id conādum in primis eſt, vt id quod legimus, quàm maxime fieri poterit, intelligamus, & penitus habeamus perſpectū: nec rē tantū, quæ traditur, ſed & verborū in diſertis authoribus, vim, proprietatē, ſtructurā, ornatūq; perſpiciamus: quis decor, quod pondus ſententiarū, quæ vis explicandi, & res proferēdi verbis, & velut in lucem cōſpectumq; protrahēdi. Nec tamē iſtud eò ptinet, vt ſi vel per ſe obſcurior, vel nobis ignotus occurrerit locus, ſtatim reſiſtendū illic, nec pgrediēdū vltra putemus, vt (quod nōnulli) ſtatim proiiciamus librū, dānemusq; ſtudia &

*Secundū præcipuū in ſtudendo, triplex eſt.*

*Lectio diligens.*

ingeniũ noſtrũ deploremus. Diligẽtia em̃, non indignatione ad profectũ eſt opus. Transeun-dũ ergo, ſi quid erit, vbi intellectus non poſſit erui, & in aliud reſeruãdũ tẽpus, donec vel homo, vel liber nobis cõtingat, q̃ id aperiat, vel alia lectio, quod crebrũ eſt, doceat. Dies enim (quod dicere ſoleo) diẽ docet. Quod ſi Quintilianus inter virtutes grãmatici numerãdũ putauit, aliqua neſcire, quãto magis nobis, vt nõ dicã neceſſariũ, ſaltẽ cum venia erit, nonnulla ignorare. Nolim tñ videri cuiuſq̃ deſidiæ patrociniũ me his cõmemorandis parare. Nã cõtrà videor mihi nulla re alia cuiuſquã ſtudium poſſe vehemẽtius accẽdere, quàm ſi oſtẽdam ipſam ſibi lectionẽ aperire viã, & omnẽ legendi laborẽ legendo ſuperari. Proximũ eſt, vt memoria firmiter, quod accepit aſſeruet. Conſtat autẽ memoria in primis natura, ea tamẽ adiuuatur arte, quã alii q̃dẽ aliter tradidere, ſed ſic tamẽ ut ſumma rerũ eodem ferè redeat. Eam artem duobus maxime vſibus accõmodã arbitror. Aut enim ſubito dicẽdum eſt, & maior aliquis rerũ numerus cõmemorandus, in quo periculum adeũdum eſt, ne vel ordine, vel numero deſtituamus, vt quũ legati apud Principẽ, aut Senatũ aliquẽ, vel proponimus petita noſtra vel partis aduerſæ cogimur reſpondere poſtulatis, tunc certe ab hac arte cõmodiſsime præſidium petetur. Aut quando exercere memoriã volumus, id hac via facile & quàm

minima moleſtia facere licebit, quod ſane ad memoriam firmãdam vtiliſſimũ eſſe, & Quintilianus autor eſt, & rei vſus ſi qs experiri volet, expedite docebit: ſi quod aliud enim, memoria vel maxima eſt, quã creber vſus auget, quamq; incuria negligẽtiaq; deſtituit. In ijs vero, quæ perpetuo animo noſtro cupimus hęrere, optimũ contẽderim eſſe, quàm intẽtiſſima cura primum complecti ea: deinde quàm creberrime ab animo noſtro repoſcere, & ſubinde admonẽdo eum ad fidem præſtandã cogere: poſtremo, vt animo vacuo, & quãtũ datur ab aliarum curarũ turba ocioſo, id agamus, quod quidem in actionibus omnibus & negotijs qcquid id eſt, quod vlla parte noſtri fieri debet, exploratũ eſt, vt nemo pluribus æque ſufficere poſſit. Ingeniũ certe id eſt, quod vbi intẽderis (vt inqt Saluſtius) valet, quod ei in multas diducto curas cõtingere minime põt. Tertiũ eſt, & quod propoſuerã poſtremũ quo pacto ex ijs, quæ diſcendo percepimus, ipſi excudere aliquid, proferreq; valeamus: ne'ue ſtudia noſtra apud animũ ſegnia & (vt ita dicã) ſterilia reponantur: ſed quod ſemina ſolẽt in terra condita, fructũ aliquẽ vberiorẽ cũ fœnore profundãt. Amplus copioſusq; eſt hic locus, et dignus, qui pluribus diceretur, quem'que ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic præcipuus eſſe videtur longi laboris, ſolicitudinis'que in ſtudia

*Ingeniũ.*

*Exercitatio aſſidua.*

collatæ,fructus. Quòd ſi nihil ipſi ad poſteros mādare poterimus,nihil extra ea, quæ didicimus,ad præſentes ꝓferre, quid tandē inter librū & nos intererit: niſi qualiter quidē ea,quæ ſemel in illū congeſta ſunt,bona fide ſemꝑ ſeruat,redditq; nobis,vt quæ accepimus, cōtinere poſſimus,iterāda toties, & ſubinde in animū inculcāda. Cōplectitur ſane locus hic duo, quorum vtrunq; per ſe quādo ſit magnū, coniuncta certe plurimū in ſtudijs laudis merētur. Horū alterū eſt,ut quæ didicim⁹,in vſum prōpta habeamus,& vbicunq; res poſtulat, parata. Pleroſq; eñ videas,qui quādo multa didicerint,multorū habeāt memoriā,vbi proferēdū tamē ſit aliquid eorum nihil ſuccurrat eis, nihil queāt meminiſſe, at ſciūt quidē,ſed idipſum ſcire ſe neſciunt. Alterum eſt vt ex eis,quæ accepimus,ipſi pręter hęc inuenire aliqua poſſimus,& conficere, quæ nobis aſſeramus,noſtraq; eſſe queamus affirmare. Duo ſunt autē, quę pręcipue huic parti profutura crediderim. Horum vnum eſt,vt certa quædā rerū capita habeamus,cuiuſmodi ſunt virtus, vitiū,vita, mors,doctrina,ineruditio, beneuolētia,odiū, & reliqua id genus quorū vſus ferè cōmunis ad omnia & tanquam publicus ſit hæc crebro iteremus,& omnia quæ didicimus, quantū fieri poteſt,certe quæcunq; diſcimus, ad ea redigamus, vt repetēdis capitibus illis, ea quoq;,

*Liber.*

*Exercitatio duo cō plectitur.*

*Primū in promptu habenda quæ didicimus.*

quæ

quæ ad ea redigimus repetātur. Sic fiet tandē, vt omnia, quæ diſcimus, certa nobis, præſen- tiaq́;, & propè ſub conſpectu maneant. Poterit autē perſæpe vel exemplū vnum, vel vna ſen tentia, in multa capita conferri, vt quod de vi illata Lucretiæ, apud Liuiū eſt, primū de pudi citia, quanti ſcilicet ea facienda ſit, cuius dānū Lucretia morte putauit penſandum. Poſt de pulchritudine quantorū malorum ea ſæpe ſit cauſa, quantum etiam pudicitiæ ab ea periculi ſit. Iam de morte, vt ea mala non ſit habenda, quā Lucretia impudicæ vitę prætulerit. Hinc de libidine, quas clades, quę bella ea mouerit, vtq́; etiā ingētia mala magnorū ſæpe bonorū præbeāt cauſam, quando ex eo ſcelere populo Romano ſit libertas quæſita. Sentētia itidē di- uidetur, vt, eſt virtus placitis abſtinuiſſe bo- nis. Ad Virtutis caput ducetur, dicit em̄: Vir- tus eſt placitis bonis abſtinuiſſe. Ducetur ad caput boni, nō omnia bona expetēda eſſe: quo niā placitis bonis abſtinuiſſe eſt virtus. Duce- tur ad caput abſtinētiæ, quia abſtinuiſſe placi- tis bonis, eſt virtus. Secundū, quod huic parti adiumento erit, id eſt, vt in iis quæ diſcimus, diligenter pēſimq́; conferamus verba interſe, & latiori quodā tractu explicem⁹. Sumamus, exempli gratia, quod apud Verg. eſt, Optima quæq́; dies miſeris mortalibus æui, prima fu- git. Primū autem: optima enim inquit, qualia

*Collatio- ne vnius ad alte- rum.*

ſunt putanda bona humana, quando optima ſint, eaq; n'ed ũ abeant, ſed fugiãt, & ſemppeio rũ expectatione torqueãt, quæ etiã duriora videãtur neceſſe eſt, ex meliorũ, quę præceſſerũt, cõparatione. Seqtur dies ęui, id eſt, vita nr̃a, ea quàm parui eſt faciẽda, ſi fugax eſt, & optima protinꝰ initio, velut in flore cõſumitur. Quę poteſt aũt eſſe felicitas in vita, quãdo q fruuntur ea, mortales nedũ, ſed & miſeri ſunt? Hinc iam miſeris mortalibus, quid ni miſeri, quorũ talia bona ſũt, talis eſt vita, quiq; morti obnoxij ſũt? Poſtremũ eſt, prima fugit. Prima ergo nõdum vſu cognita, nulla ꝑfunctione poſſeſſa, vt ſemper quę ſeqtur, quãdouis forte per ſe bona, tñ melioris collatiõe dura videatur. Fugit etiam, nõ dimittitur, non abire iubetur, quàm fallax ergo, q̃ incerta, quàm nequaquam noſtri iuris aut arbitrij eſt? Quòd ſi qs latius iſta, & per oẽs locos dialecticos fuderit, quatenus cuiuſq; natura capax eorũ eſt, ingẽs vtiq; copia, & ad dicendũ, & ad inueniẽdũ ſe prębebit. Quod quomodo faciendũ ſit, maius eſt, quàm vt epiſtola id capiat, & copioſe eſt à me ea de re ĩ ſex libris eis, quos de inuẽtione dialecticæ ſcripſi, diſputatũ. Quiſquis ergo prius id recte, & cum cura tractauerit, prę ſertim ſi rationẽ dialecticę inuẽtionis illi adiũxerit, ingẽs illi, paratiſſimaq; de omni ferè propoſita re diſſerẽdi facultas cõtinget, modo ea res illa ex parte ad eas pertineat, quas didicit artes. Hocq; pacto veteres illos

*Vnum quodq; ꝑ locos dialecticos deducendum.*

professores artiũ,quos Græci ſophiſtas,id eſt, Sophiſtæ.
doctores vocabãt,exercuiſſe deprehẽdo, quã
tũ ex Ariſtotele,& Platone cõijcere licet, atq;
ad eã eruditionẽ,prõptitudinemq; dicẽdi per-
uenerunt,vt de qua re audire qs vellet;ꝓponi
iuberent dicerentq;,quãdiu,quantumq; vide-
retur de eo,quod eſſet ꝓpoſitum. Sic Gorgias
Leõtin⁹,prim⁹ tã audacis cœpti autor, ſic Pro
dic⁹ Chi⁹,ſic Protagoras Abderites, atq; Hip
pias Eleus,& inſtituti, & alios docuère. Ad id
qđ ſecundũ feci multũ iudicij ꝓbabit in ijs, quę
diſcuntur,& nouas argumẽtationes, nouasq;
ſentẽtias,aut veteres, ſed qbus noua facies ſit,
inueniet,eſtq; eiuſmodi, vt ſi ſtyl⁹ ei addatur,
ſtatim exercere eloquẽtiã poſſit, & ad benedi-
cẽdũ aditũ parare.Sed hęc hactẽn⁹:vt ꝓ rerum
cõditione pauca,vt pro modo epiſtolæ nimis
multa.Vt em̃ Demetrio Phalereo viſum eſt in
libro,quẽ περὶ ἑρμηνείας, id eſt,de explicatione ſcri
pſit,Epiſtola,quæ grãdior facta eſt, nõ tã epi-
ſtola dici debet, q̃ liber,cui⁹ initio ſit ſalus ad-
ſcripta.Verũ id vtcũq; æſtimari poterit, haud
ponã eqdẽ in magno diſcrimine, mihi ſtatutũ
eſt aliquomodo,quocunq; poſſum, ſtudia tua
iuuare.Quod ipſum,ſi nõ potero oſtẽdere, tñ
vt me voluiſſe intelligas, quod voluiſſe,vt in
multis,quę effectũ exigunt,parum eſt,ita in a-
micitia,cui pro effectu eſt aĩus,tale eſt,vt nihil
plus exigi,nihil maius præſtari poſſit. Vale.
Heydelbergæ.Anno 1484.7.Idus Iunij.

Academia pa. 623
Academia duplex pag. 306
Academici negãt quicquam ſciri poſſe 28.31
Acatalepſia 31.305
Accidens 155
Accidentia 147
Accidẽtiũ genera quinq; Ib.
Accuſatores anſeribus & canibus ſimiles 195
Accuſatorum mos 165
Accuſatorum potẽtia nimia, reis nõnũquã ſaluti fuit 611
Acta quomodo ſcribi conſueuerint 300
Actio proprie dicta ſemper finẽ aliquẽ reſpicit 105.106
Actionis quæſtio 352.353
Actus quid 104
Actuum diuiſiones quatuor 104.105
Actiuũ genus poëmatis 276
¶ Ad aliquid 205
Adiacentia 94
Adiacentia natiua 101
Adiacẽtia q̃ accedũt 101.102
Adiacentiũ diuerſitas 100
Adiuncta 155
Adiuncta an ad ſolum pertineant oratorem 131.132
Adiũcta quæ dicanť à Cic.132
¶ Aequalitas 146
Aequalitas an ſit de numero connexorum 144.145
Aeſchin.ĩ Demoſt.verbũ 192
¶ Affectiones triplices 102
Affectus 472
Affectus duplices 540
Affectus interim ex perſonis, interim ex rebus, interim ex vtriſq; ducuntur 547
Affectus oĩs duo exigit 538
Affect.paulatim augẽdi 548
Affectus qua ratione augeantur 549
Affectus qui maximã laudẽ attulerint oratoribus 540
Affectus quid 537
Affectus quomodo minuendi ac etiam tollendi 554
Affectus vehemẽtes eſſe oportet 548
Affectuum ortus 538
Affectuum tractandorum ratio triplex 541
¶ αἰσθήσεις 567
¶ ἀκαταληψία Acade. 31.305
ἀκόλαςος 567
ἀκρατὴς Ibidem
¶ Alexander 93
Amazones 376
Ambitus 263
Amphictyones 377

Amplificatio 271
An ſit aliquid rectũ 375
Anacharſis 3
Anaxagoras 390
Anima 71
Animi partes 108
Animus an immortalis 623
Annibal capere Romam nequit 146.165.166
Annus 140.141
Anſeres cuſtodes Capit. 196
Antecedens 155
Antecedentium, conſequentiũ & adiũctorum nominibus quõ vtatur Rodol. 152
Ante inuẽtã dialecticen quãquã diſputatũ ſit, nõ tamen idcirco ipſa inutilis 288.289
Antichthones 38
Antigenidas 254
Antipodes an ſint 38
Antonius Muſa 342
ἀπόφανσις 114
Appietas 327
Applicita 130
Archimedes 249
Arethuſa 133
Argumentãdi ductus duplex 411
Argumentandi duæ formæ perfectæ 401
Argumẽtandi formæ duæ imperfectæ 403.419
Argumentandi formæ perfectæ & imperfectæ quo diſtẽt 401.416.419
Argumentandi formæ tã perfectæ quàm imperfectæ cõmuniter & ad rhetorẽ & ad dialecticũ pertinent 406
Argumentandi formis imperfectis quãdo vtendũ, & quãdo rurſum perfectis 419. 459.410
Argumentatio 381.399.419 385
Argumentatio an in eam veniat orationem qua affectus monemus 266.267
Argumentatio & cõfirmatio idem 474
Argumentatio & expoſitio miſcentur 384
Argumẽtationes quomodo diſponendæ inter ſe 626
Argumẽtationis, cuiuſq; partes quo ordine collocãdæ 636
Argumentationum ſolutio duplex 439
Argumentum 28.417
Argumẽtum de quo dubites, verti in quæſtionem 371
Argumentum τάθ' ὑπόθεσιν 337

Argumentũ idem ad diuerſos poteſt referri locos 502
Ariſtides rhetor 365
Ariſtippus 304.305
Ariſtoteles aliter docuit ac ſcripſit 41
Ariſtot. in ore omniũ 41.48
Ariſtoteles obſcuritatis amãs .41
Ariſtoteles quas enumerat quæſtiones, eas non tã quæſtiones, quàm prolectamẽta quæſtionum eſſe 318
Ariſtoteles quomodo finiuerit ſyllogiſmum 430
Ariſtoteli non per omnia adhærendum 42
Ariſtotelis ad Alexandrũ epiſtola 41.42
Ariſtotelis ſentẽtia de vtilitate & materia diale. 286.295
Ariſtotelis ſententia refellitur 290.303
Ariſtot. topica cur non vſq; quaq; ſatisfaciãt ſtudioſis 43
Ars certior, quàm natura, 298
Ars Lulli 142
Ars quid ſit 256.258
Artes non ſunt inutiles, etiãſi qui id quod ars docet, citra artem fecere 288.297
Artes paulatim inuentæ 299
Artes quomodo inuentæ 289
Artis diſsimulatio 510
¶ Aſdrubal 162
Aſſertor 496
Aſſumptio 417.403
¶ Ateæ Scytharum regis verbum 31
Athenienſes reprehenſi à Demoſthene 246
Attributa perſonarum & rerum 483.487
¶ Augendi ſeu amplificandi ratio duplex 550
Authores cur euoluendi & quomodo imitandi 654.659
¶ Axioma 113.314
αὐτὸς ἔφα 599

B

Bellũ peloponeſsiacũ 367
Bene, inquit, bene, ſed quò iſtud tum tã bene? 38
¶ Boëthius de locis 46
Boëthius quomodo diſcreuerit dialecticen à rhetorica 487
Boëthius reprehenditur 149 155.156.307
Bonæ deæ ſacra 138
Bona duplicia 120
¶ Breuitas in oratione quomodo paranda 574

Breuitate magis peccatū quàm copia 586

C

CÆſaris cōmētarij 472
C. Gracchus 568
¶ Cambyſes 93
Canes capitolij cuſtodes 195
Carneades 306
Caſſander 377
Caſus 88.92
Catalepſis 435
Cato philoſophus ſtoicus 244
Cato quo argumento perſuaſerit delendā Carthag. 343
Cato vxorem ſuam tradidit Hortenſio 343
Catonis de Cicerone verbum 554.559
Cauilli amotio 418
Cauſa 398
Cauſa quid 116
Cauſæ vnius vnus per ſe effectus 136
Cauſarum genera 116
Cauſarū genera tria 352
Cauſarum locus copioſus 127
Caute exordiendum 456
Cenſura de Topicis Ariſtotelis 49
Cerberum ab inferis extrahere 40
Cerberus extractus ab inferis 47
¶ Ciceronis epilogi 275
Ciceronis epilogus pro Milone 268
Ciceronis in ſtoicorum paradoxa ſales 344
Ciceronis in Verrē ioci 170
Cicero lapſus memoria 155
Ciceronis laus ex Iuuen. 194
Ciceronis opinio de adiūctis, antecedētibus, cōſeq̄ntib. 148
Ciceronis q̄d fuerit inſtitutū in Tuſcul. quæſtionibus 375
Cicero reprehenditur 353. 310. 314
Ciceronis topica 46.51
Ciceronis vita reprehēſa 16
Cimmerij 255
Circuli 248
Circunſtantiæ 340
Ciuitas quid 65
¶ Clades Cannenſis 520
Cluentij cauſa 409
¶ Codex 168
Cognata 15
Cognitionis quæſtio 353
Coitus, paruus morbus comitialis 567
Color orationis 544
Comœdia ſedatiores habet affectus 541

Commentarij Cæſaris 472
Cōparatio quomodo plura in vno cōiungat 181
Comparatio ſeu cōparatorum locus 179
Comparatione amplificamus dupliciter 550
Comperendinatio 365
Complexio quoddā argumentandi genus 530
Complexio ſyllogiſmi 417
Cōprehēſiones ſtoicorū 305
Cōditionalia pronūciata 330
Confirmatio 471
Coniugata 88.91
Coniugatorum vſus non ita creber 89.92
Connexa 142
Connexa quo diſtent ab adiacentibus 142.143
Connexorum diuiſio 143
Connexorum pronunciatorū veritas 330
Conſentanea 34
Conſequens 155
Conſtās aſſeueratio interim p argumento eſt 45.50
Conſultatio 344
Contingentia 160
Contradicentia 206
Contraria 206
Cōtraria q̄ vocet Cicero 214
Controuerſia 334
Cōtrouerſiæ omni tacita ſub eſt conditio 337
Copia orationis quomodo paranda 569
Copulata pronūciata an dicēda ſint hypothetica 330
Copulatorum pronūciatorū veritas 330
¶ Chryſogonus 170
Chryſippus 307
χθὼρ 38
¶ Curij paupertas 93
¶ Cyrus Ibidem

D

De aſini vmbra certatur 555
Definiendi leges generales 63
Definiendi lex vnica 67
Definitio an ſemp cōſtituēda ex genere & differētia 64
Definitio quid Ciceroni ibidem
Definitio quid ſit 58
Definitionis inueniēdæ præcepta 61
Delectare 265.564
Delectandi ratio duplex 561
Delectatio & ipſa duplex 560
Delectatio nūquam eſt finis.

orationis 271
Deliberatiua cauſa 352
Demonſtratiuum cauſa, genus 352. 633
Demoſthenes Cane præcepto re vſus 198
Demoſthenis dictum in Aeſchinem 192.194
Demoſthenis & Ciceronis cõparatio 585
Demoſthenis fabula 555
Demoſthenis vita reprehẽſa 31
Deſcriptio 60.65
Deſcriptionis vtilitas 527
Deſtinata 126.128
Detectæ in iudicijs cicatrices 557.
¶ Dialectica an ſit ars 255
Dialecticæ & rhetoricæ diſcrimen 303
Dialecticæ finis qui ſit 262
Dialecticæ inſtrumentũ oratio 283
Dialecticæ materia quæſtio 283
Dialecticæ nomen latinum 355.259
Dialecticæ nomen bifariam capitur 303
Dialecticæ officium an ſit definire, diuidere &c. 288.197
Dialecticæ partes duæ, vna inueniendi, altera iudicandi 35,156
Dialecticæ profeſſores inepti 24. 236
Dialecticæ vſus indicandus ijs qui doceantur 250
Dialecticæ vſus paucis notus 250
Dialectice neceſſaria formandis artibus 288,299
Dialectice nõ inutilis, quãquã quidã ſine ea nõ peßime diſputarũt 288. 297
Dialectica poſt alias artes inuẽta 495
Dialectice pugno ſimilis, rhetorice manui explicitæ 280 387
Dialectice quatenus ſibi ſubijciat omnia 286.290.292
Dialectice quid ſit 259
Dialectice quomõ doceat 262
Dialectice quomõ fallat 156
Dialecticẽ ad q̃ vtilẽ eſſe putauerit Ariſtoteles 285.295
Dialectices an ſit explicare quid definitio, q̃d genus &c. 287
Dialectici ætatis noſtræ pxime accedunt ad ſtultitiã Athenieſium &c. 237, 246

Dialecticorum canones ali-quot 410.437
Dictata i ſcho. decãtare 46.51
Dies 139
Differentia 207
Differentia quando propriè hoc nomine vocetur 76
Differentia quid 58
Differentium diuiſio 28
Differentiarum quanta labo-remus penuria 59
Digrediendi ratio 562
Digreſsione quomodo elabi contingat 444
Di boni quàm ridiculum ha-bemus conſulem 554
Dilemma 530
Diogenis in Ariſtippum ver-bum 305
Diogenis in Platonẽ iocus 78
Dionyſij regia plena areolis mathematicorum 249
Diſiunctorum pronunciatorũ veritas 330
Diſiunctis pronũciatis tacita ſubeſt conditio 330.339
Diſpoſitio an poſsit vllis com prehendi præceptis 588
Diſpoſitio in argumẽtatione 696
Diſpoſitio in rebus multipli-cibus 600
Diſpoſitio hiſtoricorum & poëtarum 592.594
Diſpoſitio quæ ſeruanda in tractandis artibus 597
Diſpoſitio quid ſit 591
Diſpoſitionis laus 649
Diſputatura, Diſſertura 259
Diſsimilitudo 146.192
Diuerſa genere, ſpecie, nume-ro 220
Diues quis ſecundum Stoicos 445
Diuerbium 659
Diuidẽdi ratio multiplex 71
Diuidendi vtilitas 69
Diuidendũ ne ſemper per dif-ferentias oppoſitas 70
Diuiſio & partitio quo diſtẽt 85
Diuiſio quid 70
Diuiſio vocis in ſignificata 75
Diuidendi lex parũ firma 70
¶ Docemur rebus & verbis 265
Docendi ratio duplex 28
Docere proprium munus ora-tionis 26
Docere quid ſit 265
Docilitas in exordio 468
Dñi ſeruis monoſyllabi 581
¶ Ductus argumentandi du-

plex 419
Ductus rectus 411
Ductus obliquus 411
Ductus rectus ab obliquo quo diſtet 415.420

E

Eadem genere, ſpecie numero 220
Effecta 125.128
Efficiens 116
Efficientium cauſarum diuerſitas 117.119
¶ Ego te conſulẽ putem, cum tu me non putes cõſularem? 180
Egregia de lente 642
¶ εἰκότα 163
¶ ἔκφρασις 513.519
¶ Elabendi ratio 441
Eleuandi ratio 443
Eloquentiæ laus 488
Eludere 510
¶ ἐνάργεια 558
Enarratiuum poëma 276
ἐνδελέχεια 107.109.
ἐνέργεια 558
ἐνθύμημα 296
Entymema 404
Enthymema quid Ariſtoteli 404
Enthymema quid ꝓprie apud rhetores 405
Enthymemati num ſemper altera propoſitionũ deſit 434
Enthymematis nomen quid proprie ſignificet 435
Entitas 327
Enumeratio in peroratione 468.472
Enumeratio quæ & inductio 401.418
Enumeratio quid ſit 75
¶ Epilogus pro Milone 276
Epilogus ſeu peroratio 472
¶ ἐρμηνεία 314
¶ Eſſentia 114
¶ Etymologia 167
¶ Euenta 125.128
¶ Excidere. In epi. Rod. præambulari
Exemplum non omne imperfecta inductio eſt 414.433
Exemplum quid 181.404.419.432
ἕξις. i. habitus aut conſuetudo 98.102
Exordiendum caute 456
Exordio quæ facienda 467
Exordium quid 471
Exordium ſeu principiũ quo diſtet à peroratione 467
Expoſitio 28.383

Expoſitio, quæ & propoſitio maior 403.417
Expoſitio quomodo fiat probabilis & rei accommodata 450.453
Expoſitioni qua fidem facere velimus, neceſſaria duo 450
Expoſitionis principiũ quale 453
Expoſitionũ genera tria 447
Extremum maius 403.418
Extremum minus Ibidem.

F

FActio 260
Fames non docẽda 366
Fauet quiſque perſuaſioni ſuæ 651
¶ Fides orationi duobus contingit modis 391
Fides quæ fit argumentando, aut à ſenſibus, aut à mente proficiſcitur 400
Figuræ ſyllogiſmorum tres 436
Figura ſyllogiſmorũ tertia ſuperuacua eſſe putatur 418. 436
Finis 116
Finis agẽtis non continuo finis eſt actionis 123
Finium diuerſitas 120
Fines plures in re eadẽ. 123
¶ Forma & finis quandoq; idem 129
Forma quid 83.86
Formæ ſeu ſpecies 86
Formæ ſeu ſpecies, quo diſtent à partibus Ibidem
¶ Franciſci Philelphi elogiũ de Quintiliano 327
¶ Fundus factus populus qui dicatur 496
Furem quatenus liceat occidere 635

G

GEneris finitionẽ quomodo reprehẽdat Valenſis 64
Genus quid 58
Genus quod ad inuentionem pertinet argumentorũ, dicitur quicquid de minus communi in quid prædicatũ, etiã ſi proprie nõ ſit genus 69
Genus quõ i qd prædicetũ 322
Genus quõ finiat Cic. 65.66
¶ Gnato ſiculus 199
¶ γραμμικῶς ἀποδείξεις 249
Gracchi 568

H

HAmatites 101
ἅιμα Ibidem
Helotæ 274

Heraclitus σκοτεινὸς dictus 48
Herodotus 461
¶ Hippocratis ſentẽtia de coitu 567
Hippolyte 624
Hippolytus 170
Hiſpanitas 327
Hiſtoriæ lex 461
Hiſtoriographis qui ſeruandus ordo 392. 594
¶ Hoc eſt patrẽ colere &c. 167
Hoc modo modulari oportet, illo non oportet, Verbum Iſmeniæ 274
Hoc ſcio, quod nihil ſcio, Verbum Socrat. 31
Homo deſcribitur per locos omnes 515
Homonyma 171
Homo vnde dictus 520
Hora 139
Horatius ridentis præ ſe fert ſpeciem 544
¶ Humani ingenij quãta vis 567
Humanitas 171
¶ Hypotheſes nũ oẽs & ſolæ pertineant ad rhetorẽ 340
Hypotheſis eſt id ipſum qđ quæſtio conditionalis 342
Hypothetica pronũciata, quæ propriè dicantur 330

I

IDem diuerſa ratione & cauſa & effectus dici poteſt 125
¶ Inartificiales ne probationes ſint, quæ ex pronunciatis, teſtimonijs, aut authoritate ducuntur 172
Indicia 164
Indis quibuſdam ſol mane ardentiſsimus 134
Indiuiduum 67
Inductio 402. 422. 433
Inductio, an ex particularibus probare poſsit vniuerſale 424
Inductio, an neceſſario habeat interrogationes 426
Inductio duplex, perfecta, & imperfecta 423
Inductioni an inferenda hæc particula, & ſic de ſingulis &c. 429
Inductiõis quatuor modi 423
Inæqualitas 146
In lente vnguentũ 643
In pultẽ emũgere qui fuerint ſoliti, vt alijs abſtinentibus, ſoli ſeſe ipſi ingurgitarent 199
¶ Iſmenias thebanus quomodo docuerit 274
¶ Iudiciale cauſarũ genus 352

Iurecõſultorum finitiones, ac diuiſiones quædam, parum aptæ 290.300
Iureconſultorum ſcripta acto rum ſimilia ibidem
Iureconſultus vtilis dialectica ibidem
Iuris ciuilis cognitio, nõ tam difficilis quàm putatur 299
Iuris diuiſio 290.302
Ius, quid ſit 61
Ius, quomodo finiatur à Celſo 290.302
Iuſtitia ibidem
¶ καταλήψεις 435
κατηγορίαι 339

L

Lacedæmonij, qua ratiõe iuuenibus exoſam fecerint ebrietatẽ 274
Lachrymæ facile areſcũt 635
Laurentij Vallæ de inductiõe ſententia 426
¶ Lentulitas 327
Leges apud Roma. innouatæ, ac proinde etiam diuerſa ſortitæ nomina 365
Lex Agraria 568
Lex Calphurnia, de ãbitu 365
Lex Cornelia, de ſicaris 364
Lex Manilia 634
Lex Repetundarum 364
Lex Sẽpronia, ſeu Cornelia, de ſicarijs & veneficis 610
¶ Liber 168
Liternum 584
¶ Loci ad tria vtiles 31
Loci communes 407.436
Loci cur appellati 37
Loci definitio 38
Loci dialectici nihil differũt à locis rhetoricis 475 & deinceps
Locorum dialecticorũ diſtinctio vnde ſumenda 160.161
Locorum dialecticorum diuiſio 52
Locorum dialecticorum notitia duobus conſtat 500
Locorum dialecticorum origo 28
Locorum dialecticorum vtilitas ibidem
Locorũ dialecticorũ vſus 498
Locorũ explicatio ad rhetorẽ non pertinet 475.486
Locorum varietas 135
Locorum internorum diuiſio 52.53
Locorũ externorũ diuiſio 54
Locus dialecticus quid 36.38
Locus quid Ariſtoteli, & quid eo nomine intelligat Rodolphus 134.137

Logicæ artes 348.350
λόγος 350
¶ Lucilij poetæ verbū. In epiſtola Rodolphi præābulari.
L. Piſo 634
Lucumo 511
Lullus 242
¶ Lyſias 511

M

Macedonū interrogatio, ecqd volare poſſent Romani 136
Manium apparitiones 374. 377
Manumiſsio. In epiſtola Rodolphi præambulari
M. Marcelli mors 558
Martia à Catone Hortenſio tradita 343
Mathematicorum mos 248
Materia. 83
Materia artium duplex 282
Materiæ nomen quibus competat 87
Materia quid 83
Maximæ an addendæ locis 232.234
¶ Medeæ fuga 195
Mediū ſyllogiſmi 403, 418
Me mea, te delectant tua 281
Mendacium difficulter tegitur 395
Menſis 139
Mentē quæ res delectent 561
¶ Mihi cane & muſis 254
Miſericordia quomodo mouēda 268
Mixtum poēma 276
Modalium pronunciatorum modi quatuor 338
Modi pronunciatorum modalium 246
Modus optimus 585
Mouemur rebus & verbis 265
Mouere ibidem
¶ Multi viuunt vt edant &c. 567
Murænæ cauſa 611

N

Narratio 471
Narratio & expoſitio idem ibidem
Narratio quo intellectu ſemper præcedat confirmationem 608
¶ Neceſsitas perſpicax eſt 365
Nemo artifex tantum remedia nouit 257
Nero vera proles Æneæ 169
¶ Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat Gallus noſter 133

Nili ortus 134
¶ Nomen rei 167
Nomina quomodo rebus indita dixerit Anaxagoras 90
Non es mihi Philippe conſul 184
Notatio 167
Nouus homo 584

O

Oblectamur duobus, rebus & verbis 264
Obuiatio & obuiare 296
¶ Occaſio 141
¶ Omnes φίλαυτοι ſumus 650
Omnium ſtudiorum contaminatio 239
¶ Oppoſita 204
Oppoſita quomõ finierit Boëthius 215
¶ Oraculorum ambiguitas 48
Oratio libera vel expreſſa 178
Oratio perfecta docet, mouet, delectat 27
Oratio quomodo ipſa p ſe delectet 564
Oratio tam perpetua quàm conciſa ad dialecticum pertinet 381
Orationis partes 465.471
Orationis proprium munus eſt docere 26
Orationis quanta vis 551
Orationum alia conciſa, alia continẽs ſeu perpetua 381
Orationũ alia expoſitio, alia argumentatio 385
Orator & rhetor idem 488
Orator qui dicendus ibidem.
Orator ſubinde ab effectu ad cauſam reſpicit 27
Ordo triplex, naturalis, arbitrarius artificialis 588
Oreſtis fabula 635
¶ ὅτι ἐστί 321.326
¶ οὐσία 114

P

Pædia 171
Panegyris 635
Panegyrici Ibidem
Parœmia 659
Partitio 81
Partitio quo differat à diuiſione 85
Partium diuiſio triplex 82
Partium & ſpecierum diſcrimen 81.86
Partium orationis inter ſe ordo 606
Paßionis p ſe nullus eſt finis 105
Patauinitas 327

Patris poteſtas in filium. In epiſtola Rodolphi præambulari: &c. 215
¶ Pedem figere 650
Peloponeſſus 362
Penthesilea 614
Perdere an poßim rogas ſeruare potui 223
Pericles 366. 475
Perillus 438
Peripateticorum laus 50
Perorandi ratio 471
Perorationis munera tria 467
Perſpicuitas orationis duplex 263
Perſpicuitas rerum duplex ibidem
¶ Phalaris 438
φιλανθρωπία 171
Philodamus 613
Philoſophus p ſuos locos explicatur 525
Philoxeni dictũ de carnibus & piſcibus 199
Philoxenus Eryxidis filius ibidem
¶ Pictura poëma tacẽs 275
Piratæ ad Scipionem veniunt 583
Piſo 634
Piſces an ſpirent ſub aqua 37
Piſiſtratus 437
¶ Plato, quomodo dixerit hominẽ eſſe animal implume 80
Platoni primæ deferuntur inter philoſophos 651
Platonis laus 648
Platonitas 327
Plinius iureconſultus. In epiſtola Rodolphi præãbulari.
Plinius quid ſcriptori faciendũ cẽſuerit 354. 362
Plumbeo iugulare gladio 567
Plumbeo pede ad rem accedere ibidem
Plumbeus pugio Ibidem
¶ Poëma pictura loquẽs 235
Poëmatum genera tria 276
Poëtis qui ordo cõueniat 592
Poſitis apud Ariſtotelem in finitione ſyllogiſmi quid ſignificet 430
Poßibile 346
¶ Præcepta vtilitati cedunt 586
Prædicamenta 114
Prædicatum 403
Præſtat ſua virtute florere quàm maiorum opinione niti 585
Prætorium 168

Pragmatici 493
Priuatio 206
Prius dicitur aliquid quatuor modis 589
Probabile quid 238
Problema 285
Proœmium & in mediam orationem cadit 607
πρόληψις 607.612
Proloquium 114
Pronunciata cõditionalia duplicia 335
Pronunciata modalia 246
Pronunciata pura Ibidem
Pronũciata vniuerſalia à rhetoribus in particularia, aut indefinita, quare vertantur 407
Pronunciatorum cõpoſitorũ ſpecies tres, copulatũ, disiunctum, conuexũ quod & conditionale 329
Pronunciatorum genera duo ibidem
Pronunciatorum locus 172
Pronunciatorum ſeu teſtimoniorum, ſiue authoritatum diuerſitas 174
Pronunciatum 113.314.329
Pronunciatum cõpoſitũ 329
Pronunciatum ſimplex ibidẽ
Pronũciatum verum, aut falſum ibidem
Propoſitio 306.313
Propoſitio maior, quæ & expoſitio 403
Propoſitio minor ibidem
Propoſitio non omnis dialectica 265
Propoſitio pars ſyllogiſmi prima 417
Propoſitiões ſyllogiſmi 402
Propoſitum 334.336
Proprij nomine nũ cõprehendatur & differentia 76.78
Proprium 76
Proprium quadruplex 77
πρότασις 313.285
Prudentia 260
¶ Punica bella tria 519
¶ Pythagoricorũ ſentẽtia de principijs rerum 47.48
Pyrrhus 94

## Q

Qualitatis nomen qd ſignificet, cum dicitur eſſe quoddam genus quæſtionum, quod dicatur quale eſt 323
Quàm ſit vtile, traditas ab authoribus argumentationes in ſuos locos reſoluere 499

Quæ laudanda & quæ vituperanda 626
Quæ, quibus probandis conueniant 32
Quærendi duo modi 332
quærendi duo alij modi 338
queſtio actionis, aut cognitionis 353
quæſtio an eſt, & quid eſt, nũ in forum veniant 310
Quæſtio categorica 333
Quæſtio cõpoſita duplex, copulata, diſiuncta 323
Quæſtio generis, finitionis, proprij, accidentis 321
Quæſtio hypothetica 333
Quæſtio modalis 338
Quæſtio omnis, aut ſimplex, aut compoſita 319
Quæſtio pura 338
Quæſtio quẽadmodum inuenienda 355
Quæſtio quid 307.317.328.377.416
Quæſtio vna quomodo diducenda in plures 366
Quæſtionem aliquam tractãt, quicũq; de re quauis dicũt, aut ſcribunt 355
Quæſtiones plures in eadem cauſa 357
Quæſtionum diuerſitas triſariam ſumitur 308
Quæſtionum genera duo, cognitionis vnum, alterũ actionis 352
Quæſtionum genera quatuor ex ſententia Ariſtotelis 309.315
Quæſtionum genera tria 50
Quæſtionum inter ſe ordo 614
Quæſtionum ſimpliciũ tria genera 320
qui populus dicatur fundus factus 496
Quibus breuitas, quibus rurſum copia conueniat 581
Quibus de rebus, & apud quos breuiter, aut copioſe dicendum 581
Quid dicas video, quid velis dicere non video 33
Quiditas 322.328
Quinti. volumen altercationum 649.651
Quintilia. quatenus de locis egerit 46
Quirinus vnde 170
Quis in ſcribẽdo longus 362
Quis modus ſeruandus inter breuitatẽ & copiam 578
Quis neget Æneæ magnã de ſtirpe Neronem &c. 172

Quo artium genere dialectice contineatur 257
Quod tu igitur facturus non ſis, id ego feci &c. 197
Quomodo ex locis paranda dicendi copia 498
Quorſum hæc? 34.38

R

Radius 248
¶ Rectum an ſit 375
Regerendi ratio duplex 441
Regula Leſbia 35.38
Regulus 93
Relatiua ſeu ad aliquid 205
Repugnantia 152.159.203
Repugnantium genera duo 204
Repugnantium locus 203
Rerum publicarũ formæ tres 37
¶ Rhetor & orator idẽ 488
Rhetor quatenus omnes res ſibi ſubiectas habeat 489
Rhetorem quem vocarit M. Anton. 490
Rhetores cur tam multa de locis præceperint, cum ad eos horum tractatus non pertineret 481
Rhetori quàm multa ſubiecerint Cicero & Quintil. 489
Rhetori ſolàm eloquendi rationem proprie ſubiectã eſſe 478
Rhetoris nomen quibus tributum 492
Rhetoris officiũ 476
Rhetoricæ nomen bifariã capitur 303.485
Rhetorice vnde nomẽ habeat 494
¶ Rodolphi loca aliquot quæ adhuc lima indigere videantur 245.462.433.512.559.583
Rodolphi loci quo diſtet à locis cæterorũ 224.& deinceps
Rodolphi cenſura de Ariſtotele 42
Rodol. locus nõ ſatis integer 559.613
Rodolphus Boëthij verba perperam citat 158.203
Rodolphus Boëthium reprehendit ſine cauſa 156.158
Rodolphus lapſus memoria 154.179.217.219.313
Ro. à Gothis capta 145.145
Romulus dictus Quirin. 170
¶ Rutilius 93

S

Saguntus 242
Satyric. diuerſitas 542

¶ Scipionem viſunt piratæ 583
Scopulus pro ſcopo 307
Scriptor titulum ſuum ſubinde legat 362
¶ Senſilia communia & propria 101
Senſum quæ res delectent 561
Senſus communis 519
Senſum obiecta duplicia 101
Senſuum voluptas, quæ turpiſsima 561
Sententia 659
Seruare potui, perdere an poſſim rogas? 225
¶ Sibi diſcere 254
Signa 163
Signa an ſint referenda inter argumenta 163.166
Similia 181
Similitudo 146
Similitudinis inueniendæ ratio 188
Similium locus 186
Simonis Terent. narratio ex Andr. 463
Sinonis illius Vergiliani oratio explicatur 392
¶ Socrates dicebat nonnullos homines videre, vt edant, & bibant &c. 567
Socratitas 327
Species à Cicerone forma dicitur 67.86
Species, an ſit in ſubſtantia generis 58
Species collata generi proprie ſpecies dicitur, ſecus habet cũ indiuiduis comparatur 67
Species in locis dicit de quocunq; aliud in quid prædicatur, etiamſi proprie illud ſpecies nõ ſit, ſed indiuiduũ 67
Species quid 59
Species rei 556
Specierũ & partiũ ſimilitudo & rurſum diuerſitas 81
¶ Status plures in eadẽ quæſtione 357
Status quid 356
Stoici quem diuitem vocent 445
¶ Subiectum 403
Sui animam datam pro ſale quis dixerit 307
Supinus 437
Suum cuiq; pulchrum 281
¶ Syllogiſmi ptes 417.420
Syllogiſm. figuræ tres 436
Syllogiſmus 402.417.431
Syllog. partes tres: nõ quinq; 420
Syllogiſmus cornutus 530
συλλογίζεσθαι 421

συμμετρία 658
T
TArquinius Priſcus 511
¶ τιμωρία 164
Te tua, me delectent mea 181
Tempus quid 139
Temporum diuerſitas ibidem
¶ Themiſtius de locis 47
Theodoricus Plinius uirecon-ſultus. In epiſtola Rodolphi præambulari
Theſes quatenus & ad rheto-rem pertineant 304.334.340
Theſis 334.340
Theſis id ipſum quod prædi-catiua quæſtio 334.342
Thucydides 461
¶ Tyberius Gracchus 568
¶ Totum an ſit in ſubſtantia partium 58.
¶ Tragœdia affectus habet ve-hementiores 541.544
Triplex ratio diducendi vnũ in multa 73
V
VArietas quam placeat auribus 642
¶ Verbis nouis qua-tenus vtendum 327
Veſtes in iudicijs ſciſſæ 557
¶ Vnum vni opponi, quomo-do intelligendum 215
¶ Voluptas, quæ turpiſſima 567
Vox an diuidatur in ſua ſi-gnificata 73.75
¶ Vſucapio 496
Vſus locorũ dialect. 498 & deinceps
Vſus omni in re quantum poſ-ſit 552
Vſus quibus conſtet 654
¶ Vxor per omnes locos de-ſcribitur 525
ὕλη 295
Z
ZEno 344
¶ Zonæ quinq; 137

# INDEX.

## PROVERBIA SEV ADAGIA, QVIbus eſt vſus Rodolphus.


Conferre pedem 240.249
Craſſis craſſa cõueniũt 303
In ipſo ictu 366
Modus optimus 176
Ne quid nimis Ibidem
Pedem figere 650
Tempori ſeruiendum 176
Trãſuerſum digitũ diſcedere 42.49
Facilius credere quàm exquirere 449
Cumulo accipere 124
Plenis ferri velis 270
Noſtræ ferraginis 206.637
Balbus balbum intelligit in epiſtola Rodolphi præambulari
Tabulæ manum admouere 653
Operam perdere 653
Relicto nido volare 656
Ventis dare vela 657


*Cætera ipſe ſibi colligat lector.*



Costa bajocchi quindici.